DE BIBLIOTHECIS

ACCESSIO ALTERA

COLLECTIONI

MADERIANÆ

ADIUNCTA

a

I. A. S. D.



HELMSTADII.

Typis & sumtibus Georg-Wolffgangi Hammii, Acad. Typogr. Anno M DCCV.



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

I. A. S. D.



Vperiori quidem anno typographus noster alteram hanc de bibliothecis accessionem publicæ luci exponere sibi proposuerat, sed operæ academicæ solito plures præter spem omnem hos circulos turbarunt. Eædem effecerunt, ne præsens volumen hoc quoque anno iusta prodiret magnitudine, quam mente ante hac conceperamus. Hinc juxta methodum, in prima accessione constitutam, unum duntaxat illorum damus autorem, qui universalem bibliothecarũ histo-

riam scripsit, duos vero, singularium bibliothecarum designationem nobis exhibentes. Primus est Ioannes Lomeier *ecclesiæ primum Deutechomiensis dein Zutphaniensis ecclesiastes, qui* librum singularem de bibliothecis *in universum anno MDCLXIX. Zutphaniæ in 8. & MDCLXXX Ultraiecti multo auctiorem atque addito rerum indice locupletiorem edidit. Diffusam eius lectionem variamque eruditionem singulæ clamant paginæ, ut habet epistola Wilhelmi Wilhelmii, libro illi quondam præfixa. Nemo autem mirabitur, eum rem omnem, vasto hoc argumento comprehensam, non exhausisse; cum illum apparatum, quem præsens tractatio postulat, nec habuerit nec obtinere potuerit, omni sæpe diligentia adhibita. Accuratus nihilominus satis est in vetustioribus, & in recentioribus, quamvis parcius ea recenseat, interdum aliqua habet, quæ alibi non apparent, ut recte judicat B. Morhofius libri polyhistoris primo capite decimo octavo de scriptoribus bibliothecariis. Alter ab illo est* Burchardus Gotthelff Struvius, *Ph. & IV. D. historiarumque apud Ienenses professor publicus, Schubarti successor omnium æstumatione dignissimus. Placuit nobilissimo huic viro, inter alias curas literari-*

as

as præsentem, quam exhibemus, hiſtoriam & memorabilia bibliothecæ Ienenſis, *cui ipſe per aliquot annos fuerat præfectus, erudite conſcribere. Recenſet in ea bibliothecæ originem, augmentum, fata, diſpoſitionem, præſtantiores in omni ordine libros, rariora manuſcripta, numophylacium Boſianum, picturas, & cimelia alia, effigies ducum Saxoniæ & profeſſorum, ſceleta rariora & tandem bibliothecæ præfectos. Tertius in ordine eſt vir plurimum reverendus*, Heinricus Pippingius, *in æde Lipſienſium Thomana verbi divini miniſter, qui præfatione mea, collectioni Maderianæ præmiſſa, excitatus, arcana bibliothecæ Thomanæ ſacra, nemini hucusque cognita, multo labore atque ſtudio retexit. Huic ergo viro clarisſimo nunc debemus laudatæ bibliothecæ ortum atque incrementa & non quasdam modo obſervationes monitaque voluminibus hinc inde allita, ſed etiam excerpta nonnulla ex Michaelis Stifelii, in apocalypſin S. Joannis, commentario, quem integrum & ineditum illa ſuppellex libraria aſſervat. Voluiſſemus &* Joannis Baptiſtæ Cardonæ *libellum* de regie S. Laurentii bibliotheca, *alioque ſingularium bibliothecarum*

ſcriptores prioribus ſubjungere, ſed cogimur in numero ternario, alias perfecto & ſancto, hac quidem vice ſubſiſtere, defectum omnem in ſequenti acceſſione, typographi noſtri diligentia, compenſaturi. Interea lector benevole vale & ſtudiis noſtris fave. Dabam in academia IVLIA. d. XXV. Aprilis A. O. R. MDCCV.



E P I S T O L A

Rev. & Clar.

D. WILHELMI WILHELMII,

Τοῦ Μακαρίτου,

Sacrarum & humaniorum literarum in Acad. Harder-vicena, poſtea Philoſophiæ in Acad. Lugduno-Batava Profeſſoris, ad Lomeierum

Ibrum tuum de Bibliothecis, quantum per ocium licuit, perlegi. Serio & ſedulo dico. Adeo me ejus lectio cepit & affecit, ut, priusquam totum evolviſſem, conquieſcere non potuerim. Fœtus profecto te dignus, & qui varia eruditione refertus diffuſam tuam lectionem ſingulis paginis nequaquam tacitus clamat. Vere hæc tua lucubratio indicat, quam tu plus olei, quam vini conſumſeris, & ex hac tua Bibliotheca patet, quam ſis ipſe, quod de Caſſio Longino memoriæ proditum ipſe etiam refers, βιβλιοθήκη ἔμψυχος. Vereor plura addere, ne videar auribus tuis inſidiari, & amicum profeſſus, familiari huic ſæculo more, aſſentantis ſpeciem præbere. Sed nec merx tam proba, & tam vendibile vinum ſuſpenſa hedera eget. Ita perge ex Bibliotheca tua talibus chartis ſæculum hoc noſtrum recreare, quod tot malorum au-

torum

torum venenis infectum esse communis tecum eruditorum querela est. &c. Concludo hoc carmine, exiguo quidem, sed magni amoris indicio.

Integra pelle una hæc arctatur Bibliotheca,
Integra & hic unus Bibliotheca *liber.*
Quis dubitet tam docti operis cultissimus auctor
Quin vere ἔμψυχος Bibliotheca *fiet?*



IOHANNIS LOMEIERI
ECCLESIASTAE ZUTPHANIENSIS
DE
BIBLIOTHECIS
LIBER SINGVLARIS.



CAPVT PRIMVM.

Nominis & rei explicatio.



N antiquis lapidibus BYBLIOTHECA & BIBLYOTHECA lectum fuisse ostendit Aldus Manutius *in ratione Orthographiæ.* Vtrumque vitiose; componitur enim vox ex βιβλίον, & θήκη, à τίθημι. Latinè *Libraria* dicitur. *Librarius* est non solum qui libros scribit, sed etiam qui vendit, bibliopola. *Isid. Orig. lib. 6. cap 14.* Significat tam librorum magnum per se numerum, quam ipsum locum, in quo libri collocati sunt, auctore Pompejo Festo, item apud Ictos. *l. quæsitum 12. §. instructo 33 ff. de instructo vel instrumento legato. Instructo autem fundo, & bibliothecam, & libros qui illic erant ut quatenus venisset, uteretur, contineri constat. Sed si quasi apothecâ librorum utebatur, contra erit dicendum.* Bibliotheca enim & librorum apotheca differunt. Item *L. Labeo 50. ff de contrab. emt. Labeo scribit, si mihi bibliothecam ita vendideris, si decuriones Campani locum mihi vendidissent, in quo eam ponerem, &c.* Vnde legatâ bibliothecâ, & armaria & libri debentur: sed in hoc testatoris mentem, utrum ex his senserit, potissimum intuendam esse Nerva censuit, & Vlpianus probat in L. *Librorum 52 §. sed si Bibliothecam. ff. de legat. 3.* Apud Juvenalem *Et libros dabit & Forulos*, qui alterius reparandam supellectilem librariam rite auxerit. *Bibliothecas* vocabant Attici, non ipsos

ipsos libros, sed locum illum ubi libri vendebantur. *Pollux Onimast. lib. 9. cap. 5.* cujus hæc verba: εὖ δε τῶν κοινῶν βιβλιοθῆκαι, ὡς Εὔπολις φησὶν ὅ τὰ βιβλία ὤνια. ὅυτο γὰρ τὸν τόπον, ὁ τὰ βιβλία οἱ Ἀττικοὶ ὠνόμαζον, ὥσπερ καὶ τοῦς ἄλλους τόπους ἐκ τῶν πιπρασκομένων. Καταχρηστικῶς unus liber *Bibliotheca* dicitur. *Primò*, cum in illo tanquam in catalogo multorum tituli recensentur, ut Bibliotheca sancta Sixti Senensis; Gisberti Voetii Bibliotheca studiosi Theologiæ; Buxtorfii Bibliotheca Rabbinica; Classica Draudii; Theologica, item Philosophica Bolduani, &c. *vid. Voet. Biblioth. Theol. lib. 2. sect. 1. cap. 1. & Bolduan. p. 644. Secundò*, libri qui sunt πολλῶν ἀντάξιοι ἄλλων bibliothecæ vocantur. Vt Bibliotheca Appollodorii; Photii; Diodorus Siculus, qui apud Græcos nugari desiit, βιβλιοθήκης historiam suam inscribit, cum alias mira esset apud eos inscriptionis felicitas. Κηρίον inscripsere qui volebant intelligi favum. ,, Alii Κέρας Ἀμαλθείας, ut vel lactis gallinacei sperare possis ,, in volumine haustum. Jam Ia, Musæ, πανδέκται ἐγχειρίδιον, ,, λειμῶν, πινακίδιον, inscriptiones propter quas vadimonium ,, deseri possit. At cum intraveris nihil in mundo invenies. ,, Latini crassiores Antiquitatum, Exemplorum, &c. *Plin* ,, *præfat ad hist. natur. A Gel noct. attic. lib XX. Cap XI.* ,, Impropriè admodum Riderus lexicon suum Anglicum ,, Bibliothecam inscripserat; hinc Oweni εἰρωνεία.

Quid sibi ridendi vult Bibliotheca Rideri?
Vnus enim non est Bibliotheca liber.
Verborum cum theca sit hæc, non theca librorum,
Lexicon hoc dici Dictiotheca potest.

Longinus Cassius ab Eunopio Sardiano dictus βιβλιοθήκη ἔμψυχος, καὶ περιπατοῦν Μουσεῖον: quod dictum in proverbium abiit, de homine undiquaque erudito, qui totam artium & disciplinarum ἐγκυκλοπαιδείαν animo complexus, de omnibus velut ex professo respondere, & inexplicabiles authorum nodos dissolvere possit, tanquam ex secretiore Musarum

adyto cuncta depromens. Sic Nepotianus, lectione assiduâ, & meditatione diuturna, pectus suum bibliothecam fecerat Christi. *Hieron. tom.* 1. *Epist.* 3. cujus titulus *Epitaphium Nepotiani.*

Vivam bibliothecam habuit ridiculus ille Calvisius Sabinus, qui cum esset memoriâ tam malâ, ut illi modò Ulissis nomen excideret, modò Achillis, modò Priami; magnâ summâ emit servos, unum qui Homerum teneret, alterum qui Hesiodum, novem præterea lyricis singulos assignavit. His memoriæ ejus imbecillitati succurrentibus, fretus, convivas suos inquietabat. *Senec. Epist.* 27.

Sicut apud Philosophos non est maximum aut minimum, ita etiam librorum numerus, qui ad justam bibliothecæ constitutionem requiritur, determinari non potest, cum ille major vel minor sit, pro temporum, locorum, ac personarum ratione. Etenim in mundi primordio tanta librorum copia non fuit, quâ nunc fere laboramus, & omnes bibliothecæ à minoribus initiis ad majorem multitudinem succreverunt. Nec omnes libri ubique locorum æquè haberi & comparari possunt, unde utile esse creditur, ut multi libri conscribantur diverso stylo, non diversa fide. Nec privati sumptus est multos libros coacervare, cura hæc principum est, & magistratuum, publicè bibliothecas dicare, ut ex iis & ad remp. & ad privatos utilitas redeat. Non tamen minores bibliothecæ eo minus isto nomine decorandæ sunt, cum unus liber bibliothecæ instar esse possit, quo facit illud elogium cujusdam de Plinio:

Quid juvat innumeris repleri scrinia libris?
Unus præ cunctis Plinius esse potest.

Circumfertur etiam dictum illud Philippi Melanchthonis, quatuor authores bibliothecam constituere, *Aristotelem*, *Plinium*, *Plutarchum*, *&* *Ptolomæum.* Bibliotheca Francisci Junii Theologi celeberrimi, cum Genevæ operam literis

literis daret, quatuor tantum libris conſtabat: Bibliis, quæ aliquoties perlegerat; Inſtitutione Calvini, quam cum lectionibus & concionibus ejuſdem conferebat, & ex ea ſecundò adverſaria, & tertiò epitomen conſcripſerat: Confeſſione Bezæ, & Grammatica Hebræa Cevallerii. Sic illis qvatuor, ac non alio ullo, amplius annum uſus eſt diligentiſſimè. Atque in hac ſuâ egeſtate Dei providentiam agnoſcit, utpote, qui in librorum copiâ promiſcuè evagaturus fuiſſet, ut antea Lugduni fecerat; non enim librorum multitudo, ſed eorum multa lectio eruditum facit. Hieronymus Cardanus *de utilitate ex adverſis capiendâ, lib 3. ubi de paupertate agit*, bibliothecam eorum, qui ex diſciplinâ literariâ quæſtum non faciunt, duobus ſolùm aut tribus libris inſtruit; quorum unus facta, geſta, vitamque religioſorum hominum contineat, alius carmine lepido demulceat animum, tertius vitam civilem doceat Rectè *Seneca epiſt. 45.* Non refert quam multos libros, ſed quam bonos,,
habeas. Lectio certa prodeſt, varia delectat. Qui quò,,
deſtinavit pervenire vult, unam ſequatur viam, non per,,
multas vagetur, non ire iſtud, ſed errare eſt. *Et Epiſt. 2.*,,
Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere,,
non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere quantum,,
legas, &c. Videas multos ſcientia & ſtudio vacuos, multos,,
libros coëmere, iiſque nitidè ornatis ac diſpoſitis, nec un-,,
quam loco motis, vaſtæ eruditionis exiſtimationem apud,,
imperitos venari. Hos meritò in navem ſtultorum compegit Sebaſtianus Brant Illos etiam taxat *Auſonius Epigr. 43.*

Emptis quot libris tibi bibliotheca referta eſt;
Grammaticum & doctum te, Philomuſe, putas.
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Mercator hodie, cras citharædus eris.

Lucianus ſcripſit πρὸς ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὠνούμενον. Simili inſaniâ agitatos avaros ridet *Horat. ſat. 3. lib. 2.* qui auro incumbentes non utuntur. Si

Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli:
Si scalpra & formas non sutor: nautica vela
Aversus mercaturis: delirus & amens
Undique dicatur meritò, &c.

Seneca de tranquillitate animi cap. 9. Quò mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix totâ suâ vitâ indices perlegit? *& post:* Quadraginta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum alius laudaverit, sicuti Livius, qui elegantiæ Regum curæque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud, aut cura, sed studiosa luxuria: imo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparaverant: sicut plerisque ignaris etiam servilium literarum libri non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt. *Deindè.* Quid habes cur minus ignoscas nomen marmore, atque ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oscitanti? cui voluminum suorum frontes maximè placent titulique,

Gibbosis hi non dissimiles videntur, qui onus suum ubique circumferentes nusquam inspiciunt. *Vide Petrarch. de remed: utriusque fortunæ lib. 1. dial. 43.*

Egregios cumulare libros, præclara supellex;
Ast unum utilius volvere sæpe librum.

CAPUT II.

De conservatâ rerum memoriâ ante Mosis tempora.

SApientissimus universi architectus, hominem, quem cunctis sublunaribus creaturis imperare voluerat, imagine suâ, ut imperium illud rectius procederet, instruxerat. Con-

Consistebat imago illa cum in corporis tum præcipuè in animæ dotibus. In animâ autem non tantum elucebat excellens rerum omnium physicarum, politicarum, &c. cognitio, cujus illustre specimen edidit Adamus, cum omnibus animantibus nomina indidit, uniuscujusque naturæ convenientia, & sapientissimè de conjugio disseruit: sed etiam maximê ad hominis felicitatem faciebant virtutes spirituales & theologicæ; cognitio nempe Dei creatoris sui, cum perfectà justitiâ & sanctitate conjunctâ; quibus sufficienter instructus erat; ad æternam beatitudinem assequendum, si voluisset quod potuisset. Per lapsum omnes illæ dotes obliteratæ sunt, & animus humanus horrendis tenebris involutus est: virtutes quidem naturales, sine quibus homo animal rationale esse non posset, aliquatenus, sed valdè diminutæ manserunt. Spirituales autem planè amissæ sunt, & nisi immensæ Dei misericordiæ placuisset, hominem in peccatis mortuum, & coram facie Dei trepidantem erigere, & consolari promisso semine mulieris contrituro caput serpentis, æternùm ille periturus fuisset. Quæ igitur imaginis divinæ reliquiæ Adamo superfuerunt, ad posteros eas transmittere absque dubio ipsi curæ fuit, partim quia ipsi Adamo tanta rerum naturalium & theologicarum notitia contigit ex pristino illo felici statu, quanta aliorum hominum nulli; partim ne omnia illa artium semina interirent, quæ postea majori cum difficultate, & præsentissimo errandi periculo rursus quærerentur, quoniam ipsi jam necessariò, ex Dei denunciatione, mors obeunda fuit. Quis ergò dubitaverit; quin Adamus filios & nepotes suos tum naturas rerum, plantarum, animalium, siderum cursum, &c. tum maximè pietatem erga Deum, charitatem erga proximum, fidem in promissum mulieris semen, futuram carnis resurrectionem & vitam æternam cum opposito, pœnarum metu, diligentissimè docuerit? Propter patrum verò longævitatem & divi-

divinarum revelationum frequentiam hæc διατήρωσις, ſive traditio, quæ viva voce fiebat, procedebat feliciſſimè, tantò minori cum periculo, quantò paucioribus verbis, ideoque corruptelæ minus obnoxiis, fœdus gratiæ in ſemine promiſſo tum comprehenſum erat. Quantumvis autem literarum primam inventionen alii Abrahamo, alii Enocho, alii Moſi; item Saturno, Cadmo, Ægyptiis, Æthiopibus tribuant, *vide Plin. lib. 7. Cap. 54. Voſſ. de art. Gram. lib. 1. cap 9. & 10. Agrip. de vanit. ſcient cap. 2.* Nobis certum eſt eas ab Adamo originem ſuam ducere. Quis enim crediderit, hunc hominem ſapientiſſimum, tam neceſſariis organis, quibus ſapientiam ſuam ad poſteros propagaret, caruiſſe? Adde quod prima literarum mentio in Sethi tempora incidat, qui cum fuerit Adami filius, harum cognitionem quin à Patre acceperit, quis dubitet? Unde Adamus in bibliothecâ Vaticanâ ſic depictus eſt, ut ſupra ejus caput literæ hebraicæ antiquæ legantur cum hac ad ejuſdem pedes inſcriptione latina: *Adam divinitus edoctus primus ſcientiarum & literarum inventor. Vide Heideg. de Patriarch. exer. 16. §. 35. 36. 37.* Phœnices quoque antiquiſſimi ſunt, qui literis uſi fuerunt, quorum lingua, quæ Hebræa fuit, & in linguarum confuſione incorrupta manſit, ab Adamo originem traxit, ut patet ex nominibus, quæ Adam uxori ſuæ Evæ & filiis ſuis impoſuit. Sed de hac re vide *Hermanum Hugonem de origine ſcribendi & antiquitate rei literariæ. Cap. 3.* Μυστικὸν aliquid latet in illo Rabbinorum μυθικῷ. Ajunt codicem quendam, ſupernam ſapientiam complectentem, Adamo primo traditum eſſe a Deo: quem quidem paradiſo ſecum efferre conatus ſit; ſed ereptum vix dum egreſſo, atque in cœlum ſubductum eſſe: mox tum ad ejus ſupplicationem reſtitutum, eâ conditione ne oblivione periret à filiis hominum ejus ſapientia, ſed ut eam poſteris communicaret. *Jac. Alting. Rep. ſcholaſt. hebr. pag. 62, 63.* Sabæi Adamum libros de cultura

tura terræ ſcripſiſſe autumabant *Hoornb. de converſ. Ind. lib. 1. cap. 4.* Evæ matris omnium viventium prophetias a Raziele Adami primi parentis Angelo (ſcilicet) conſcriptas edidit Poſtellus. *Neandr. Erotem. ling. Hebr. pag. 524.* Sethus Adami filius primus fuiſſe legitur, qui voluerit

Manſuras rudibus voces ſignare figuris.

Cum enim ex patre audiviſſet, univerſalem inſtare rerum interitum, alterum ex aqua, alterum vero ex igni; ne artium principia perirent, ea duabus columnis, uni lapideæ, quæ ab aquis, lateritiæ alteri, quæ ab incendio tuta eſſet, incidere voluit. Neque vanam hanc eſſe traditionem facit Joſephi tum auctoritas, tum αὐτοψία, quippe unam harum columnarum, ſuo adhuc tempore, in Syria extitiſſe teſtatur *Antiq. lib. 1. cap. 3.* De his *vide Schotani biblioth. hiſt. ſacr. de I. mundi ætate pag. 57. 58.* Sethiani hæretici non tantum hujus patriarchæ nomine abutebantur, ſed etiam libellis quibuſdam ſub ejus nomine, ut & Abrahami & Moſis, promulgatis: *Epiphan. tom. 3. lib. hæreſ. 39.* Sabii hæretici a Sabio Sethi, præter Enochum, filio dicti, ſectæ ſuæ librum oſtentarunt, titulo *libri Seth.* q. a Setho ipſis tradita continentem, in quo multa de morum honeſtate, de virtutis ſtudio, & vitiorum fugâ. *Pocock. ad Abulf. p. 138.*

Conſtat quoque cum ex veterum patrum ſcriptis, tum ex ſacris literis, Enochum, qui fuit ſeptimus ab Adamo, & anno ætatis ſuæ 365. in cœlum translatus eſt, vaticinia edidiſſe. Eorum meminit Judas Apoſtolus *verſ. 14.* quorum quia tamdiu conſervata memoria eſt, vix dubitare licet, quin ſua vaticinia in libros congeſſerit. Præſertim cum etiam prædixiſſe feratur de patriarcharum nepotibus, de futuris Hebræorum ſceleribus & pœnis, de eorum everſione & captivitate, de mundi ſalvatore ab Hebræis occidendo, deque eorum perpetua inter gentes diſper-

ſperſione, & de Chriſto ad judicium cum angelis venturo. Addunt nonnulli patefactum ab eo fuiſſe in ſcriptis celebre vaticinium, de geminis totius terræ cladibus, altera per inundationem, altera per incendium futuris. Audaciores librum hunc Enochi ſatis grandem, atque adeo lineis 4082. ſcriptum eſſe volunt. Hos autem libros, ante diluvium conſcriptos, etiamnum extare nullo modo veriſimile eſt: quia tota terra per univerſale illud diluvium devaſtata eſt. Noachum vero libros illos ſecum in arcam ſumſiſſe, quomodo doceri poteſt? cum omnibus quæ in arca fuerunt accurate enumeratis, de illis libris altum ſit ſilentium. Nec vero nos movet Tertulliani authoritas, qui (*de habit. mul. cap. 3,*) ſuppoſititio Enochi libro tunc extanti, inter canonicos locum tribuit, cum rationes ejus ſolidæ non ſint. Licet enim pronepos ipſius Enochi Noë ſuperſtes cataclyſmo fuerit, qui domeſtico nomine & hæreditaria traditione audierit, & meminerit de proavi ſui penes Deum gratia, & de omnibus prædicatis ejus, & licet Enoch Filio ſuo Methuſalæ mandaverit, ut notitiam eorum poſteris traderet: Hinc tamen non ſequitur, eam traditionem per libros Enochicos, eorumque conſervationem factam fuiſſe, cum id alia via & modo potuerit viva voce Noachi δικαιοσύνης κήρυκος, eo magis quo genus humanum ad pauciores redactum fuerat, ad quorum aures viva Noachi prædicatio facile pertingere poterat, cum omnes ejus familiares & domeſtici eſſent. Falſum eſt, Hieroſolymis Babylonica expugnatione deletis, omne inſtrumentum Judaicæ literaturæ per Eſdram inſtauratum, ut cap. ſequenti probabitur.

Quod vero addit, nihil omnino a nobis rejiciendum eſſe, quod ad nos pertineat, cum Enoch eadem ſcriptura de Domino prædicarit; æque valere poſſet ad Sibyllarum vaticinia canoni inſerenda, cum & illa ad nos pertineant, & de Domino prædicant. Locus Pauli *2. Tim. 3. 16.* de

Scri-

ſcripturis canonicis loquitur, adeoque huc nihil facit, nam etſi ſcriptura Enochi θεόπνευστος fuerit, canonica tamen non fuit. Nec putandum eſt Enochi librum propterea a Judæis in armarium ſuum non admiſſum, ſed rejectum, ideo quod Chriſtum ſonet, ſunt enim in vet. teſt. alia clariſſima, & minime dubiæ authoritatis & fidei vaticinia de Chriſto, quæ a Judæis non rejiciuntur, quamvis illis alienum ſenſum affingere conentur. Enoch quidem apud Judam Apoſtolum teſtimonium poſſidet: ſed eo ipſo in canonicorum numerum non aſſumitur, cum etiam *2. Sam.* citetur epiſtola Davidis ad Joabum, de interficiendo Uria. Paulus allegat Aratum *Act. 17.* Menandrum. *1. Cor. 15.* Epimenidem ſive Callimachum *Tit. 1.* Ethnicos omnes, qui tamen propterea canonici non ſunt. Teſtimonium veritatis vel ab hoſte ſumi poteſt. Quid? quod Apoſtolo Judæ alia ratione de veritate illius prophetiæ conſtari potuit, ſicut Paulo conſtitit de nominibus magorum Ægyptiorum *Jannæ Jambræ 2. Tim. 3. 8.* quæ in Vet. Teſt. ἔγγραφα non ſunt, ut propterea neceſſe non ſit totam epiſtolam Judæ extra ordinem canonicorum librorum relegare, ut olim quoſdam feciſſe teſtatur *Hieronymus in vita B Judæ. Bellarm. de verb. Dei lib. 1. cap. 18.* Sed *Tertulliani* autoritati autoritatem *Auguſtini* opponimus, *de civit. Dei lib. 15. cap. 23. & Hieronymi, qui in vita Judæ, & in commentario in Epiſt. ad Titum*, Enochi librum Apocryphum vocet. Guilielmus Poſtellus librum conſcripſit de originibus, ſed de varia & potiſſimum orbi latino incognita, aut inconſiderata hiſtoria, in quo totius orientis myſteria ſe detegere profitetur, idque ex libris Noachi & Hanochi, totiuſque avitæ traditionis, a Moſis alumnis, ad noſtra tempora ſervatæ, & Chaldaicis literis conſcriptæ. Verum tot abſurdis liber ille ſcatet, ut vel cœco appareat, eum genuinis ſcriptis Noachi vel Enochi uſum non fuiſſe, ſed & ipſe fatetur *Cap. 2.*

ejusdem libri, se libros anonymos commentationum suarum testes habere, nec dissimulat se multa ex Alcorano & Talmude hausisse. Is narrat se Romæ audivisse librorum Enoch argumentum, & contextum sibi expositum a sacerdote Æthiope, ut in ecclesia Reginæ Sabbæ habetur pro canonico libro instar Moseos. Quis autem nobis spondeat, aut illum librum non fuisse suppostitium, aut Postellum ab Æthiope non fuisse deceptum? quod facile fieri potuit, cum tantæ eruditionis, quantam præ se tulit, sane non fuerit. Vt hoc pateat, adscribam duorum, toto orbe celeberrimorum virorum, de illo judicia. Primum est *Theod. Bezæ in epistola ad Duditium*, Postellus omnium hæreseon, ipsis „etiam Romanis inquisitoribus judicibus, cloaca. *Et in* „*Epist. 4.* inter pessimos libros cum Ochini blasphemiis, „etiam Postelli portenta recenset. A Pontificiis tolera„batur, quia una cum ipsis reformatorum adversarius „fuit. Alterum est *Jos. Scaligeri*; *epist. 362.* De eo hoc certo „prædicare possum, eum Arabicæ linguæ non adeo, quan„tum videri volebat, peritum fuisse. Nam præter quæ„dam, quæ parum cavisse videtur in Historia Orientali, „ex familiari ejus colloquio id plane deprehendere potui. „Eodem enim cubiculo usi sumus. Quin & meo lecto illi „cessi, quod sperarem me ex congressu ejus quotidiano „aliquem fructum percepturum. Sed nondum integram „hebdomadam mecum habitaverat, cum in carcerem con„jectus fuit; homo quem insania ab omnis malitiæ suspici„one vindicare poterat. Et qui aliter de eo judicant, longe „decipiuntur. Imperitiam Arabismi animadvertere potes „ex interpretatione primi capitis Alcorani, quam matrem „vocant Musulmanni, quam omnem, præter tria aut qua„tuor verba infeliciter reddidit. *Hæc Scaliger.* Sed de Postello (*de quo & Thuanus histor. lib. 74.*) ut & Enochi libro plus satis, qui plura desiderat, adeat *Coquæum in Augustini*

gustini locum citatum, & *Hotting. thes. Philol. pag. 85.* & *enn. differt. Heidelb. disp. 1. th. 11.* & *auctores ibi citatos.* Præter hunc sacrum librum etiam alterum mathematica continentem Enochus scripsisse dicitur, unde *Edris*, hoc est, literatus, συζητὴς; item *Metator* & *scriba magnus* vocatur, & quod Deus illi triginta volumina demiserit, traditur, vide *Hotting. loc. cit. Heideg. de patriarch. exerc. 9. §. 1.* & *exerc. 10. p. tot. tom. 1.* A Judæis Abrahamo falso tribuitur liber, qui Hebraice ספר יצירה inscribitur, liber creationis, fundamenta Cabalæ obscura brevitate tradens. In eo dicunt doceri modum componendi nominis divini, quo mediante Deus omnia condiderit. Rabbi Chanina, & R. Vschaja recitatis ex eo libro versiculis, vitulum pridie Sabbathi condiderunt & comederunt. *Gemar. sanhed. cap. 7.* Alii auctorem ejus R. Aquibam esse volunt. Excusus Mantuæ in quarto, cum variorum Rabbinorum commentariis. Anno 322. Christi 1562. *Buxtorf. Biblioth. Rabb.* Ex Hebræo in Latinum translatus a G. Postello, excusus est Parisiis: anno 1552. adde *Hotting. enn. differt. Heidelb. disp. 1. th. 12.* De Abrahamo R. *Moses Maimonides de Idololatria cap. 1. §. 9.* ושתל בלבם העיקר הגדול הזה וחבר בו ספרים והודיעו ליצחק בנו וישב יצחק מלמד ומזהיר ויצחק הודיעו ליעקב ומינהו ללמד וישב מלמד ומחזיק כל הנלוים אליו. ויעקב אבינו למד בניו כלם והבדיל לוי ומינהו ראש והושיבו בישיבה ללמד דרך השם ולשמור מצות אברהם. Hoc est. *Infixit animis eorum magnum hoc fundamentum; composuitque librum de eo,* & *filio suo Isaac indicium ejus fecit. Isaac porro significavit illud Jacobo,* & *eum his docendis præfecit. Seditque Iacob illud docens* & *confirmans, quotquot se ei adjungerent. At pater noster Iacob erudivit quidem in eo omnes filios suos: Levi tamen disparatum a cæteris caput posuit, ac collocavit eum in gymnasio ad docendum viam Dei,* & *custodienda præcepta Abrahami.* Videtur Maimonides hæc collegisse ex *Gen. 18. 19.* ubi Deus ait: *Nam agnovi Abrahamum,* ut

ut cum præceperit filiis suis & familiæ suæ post se, etiam observent viam Domini exercendo justitiam & jus. Sane quod de animabus ab Abrahamo in Charran paratis dicitur *Gen. 12. 5.* de illarum institutione non inepte quidam interpretantur: ut mares Abrahamus fœminas Sara erudierit, juxta Rabbinos, ideo הניכיו sive κατηχέμενοι vocantur. *Gen. 14. 14. Alting. Rep. Heb. scholast. pag. 18.*

Iudæi commenti sunt & aliam fabulam de fœdere Abrahami cum Iebusæis, nempe cum Abraham emeret speluncam illam duplicem in sepulturam hæreditariam, stipulati sunt Iebusæi, ne posteri Abrahami Iebusæam civitatem unquam possiderent, quod Abraham spospondit: Iebusæi autem fecerunt æreas imagines & statuerunt eas in platea civitatis, illisque formulam fœderis & juramenti Abrahami inscripserunt. Israëlitæ terram ingressi, istius fœderis religione moti, urbem non ingressi sunt. Nec David eam occupare potuit, nisi ablatis istis imaginibus, id est, pacto juramenti rupto, unde proverbium, *cæcus & claudus non intrabunt domum.* De eo vide *Erasmi Chiliades. Drus. proverb. Clas 1. lib. proverb. 7. Schindl. lex. col. 1300. Pagnin. Thesaur. rad.* עור.

Extitit olim aliud scriptum apocryphum, quod scilicet ante Mosis tempora jam exaratum fuerit, nempe Testamentum duodecim patriarcharum, in quo multa ex Enochi libro repetebantur. *Sixt. Senens. bibliothecæ sanctæ tom. 1. lib. 2. Drus. quæs. per Epist. 102. pag. 195. 196. bibliothec. Patrum tom. 1.* Testamentum ipsius Iacobi, alii legunt Iobi, apocryphum censetur a Gelasio. *distinct. 15. C. Sancta Romana.* Iacobi Patriarchæ scala, volumen fuit Ebioneis hæreticis familiare. In quo Iacob introducebatur, veluti exponens insomnium scalarum, a se per quietem visarum, adversus Iudæos, & templum, & eorum sacrificia. *Sixt. Senens. biblioth. sanct. pag. 79.*

Moses

Moses Num. 21. 14. mentionem facit libri bellorum Domini ספר מלחמות יהוה. De illo varia sunt variorum judicia. R. Menachem dicit fuisse narrationem Dei, quæ relevata erat Mosi, cui manifestaverat se eadem facturum in torrentibus quæ fecerat ad mare rubrum. Alii putant esse librum Iudicum, quia in eo multa bella adversus Amoreos confecta leguntur. Sunt etiam inter Iudæos, qui putant hunc esse ipsum librum numerorum, quia ספר, quod interpres transtulit librum, etiam numerationem significat, quia in eo numerantur bella a Domino per manus Hebræorum gesta. Augustinus & alii negari nolunt hunc fuisse librum, qui ante Mosis tempora conscriptus sit: Ita ut ספר מלחמות sit ut ספר תולדות γενεαλογία. LXX. βιβλ☉ γενέσε☉ Cic. *libellus nominum.* Item ספר חיים catalogus viventium. LXX. βιβλίον ζωῆς. Alii censent librum non fuisse volumen aliquod in quo bella conscripta sint, sed narrationem quandam, quæ tum apud Hebræos communi omnium voce narrabatur, quia ספר non tam librum quam narrationem, enumerationem, recensionem (ut vertunt Iunius & Trrmellius) significat: ספר Et verbum illud *dicitur* quod apud nos ponitur in præsenti, apud Hebræos ponitur in futuro יאמר *dicetur.* Quo indicatur Mosen non loqui de re jam conscripta, sed de re in posterum narranda, ut sensus sit, cum bella Dei recensebuntur, hoc quoque narrabitur. *Sixt. Senens. biblioth. Sanct. tom. 1. lib. 2. hotting. thesaur. Philol. pag. 531.* Alii non improbabiliter conjiciunt fuisse libellum ᾠδῶν ἐπινικίων, σύνταγμα carminum heroicorum. Poësis enim sacra illo tempore frequentissima, nec ullum heroicum factum vate caruit. Ex his poëmatis duo referri censent; 1. De Arnon. 2. de Hesbon. Medio etiam loco canticum de puteo באר recenseri, sed principia magis odarum quam integras recitari. Liber ergo non in quo narrantur sed canuntur bella a משלים paroemiastis v. 27.

Quod

Quod etiam confirmatur ex versu 17. ubi est ישיר cantabunt & השירה canticum. Eodem loco iidem ponunt ספר ישר librum recti Iosuæ 10.13. Quem non existimant historiam, vel prosam, sed metrum fuisse. Ejusdem nominis librum scripsit R. Levi Bengarson. *Buxtorf. Biblioth. Rabb.*

Exodi 24. ℣. 7. Moses legisse dicitur coram populo ספר הברית librum fœderis vel testamenti, hoc est capita vel articulos fœderis. Hunc alii definiunt librum, continentem decursum a Genesi, ad legis usque lationem in monte Sinai, præcepta etiam quæ data sunt in Mara. Alii existimant in eo fuisse tantum judicialia & ceremonialia mandata, quæ a 20. usque ad 23. (excepto Decalogo) Exodi caput recitantur. Alii censent ante omnia hoc libro comprehendi 10. moralia mandata, ac deinde cæteras judiciorum & ceremoniarum leges ante promulgationem legis in tabulis a Mose promulgatas. Alii non peculiarem & a pentateucho diversum librum intelligunt, sed eam partem qua ecclesiastica & politica populo Israëlitico præscripta summatim perstringuntur. *vid. aut. sup. cit.*

Historia de Sepphora uxore Mosis Æthiopissa habetur apud Iosephum, & in libro qui inscribitur דברי הימים למשה *verba dierum Mosis.* Meminerunt hujus libri commentator super Aboth, Hiscuni, & Aben Ezra in Exodum, qui eum non admodum laudat. Hotting. *thes. philol. pag. 533.*

Liber Iannes & Iambres principum magorum Pharaonis. *Ibid. pag. 538.*

Ad tempora Ante - Mosaica a quibusdam refertur Iobus, de quo latius videri potest, Hotting. *lib. cit. pag. 530. & seqq.*

Quæri hic posset a curiosis, unde Moses ea, quæ de ortu rerum, deque iis quæ jam dudum ante se gesta primo libro est complexus, didicerit, cum nec gesta viderit, nec descripta ab aliis legere potuerit? R. vicissim ex iis quæ-

ramus

ramus unde Mosis scire potuerit ea quæ de Christo & ejus regno, de gentium vocatione, de successibus duodecim tribuum, & de aliis multo post complendis prædixit, quorum veritas certissimo eventu tandem fuit comprobata? Dicent haud dubie scivisse, quia fatidico spiritu divinitus fuit instructus. Imo quæramus unde omnia ea acceperit, quæ de lege, de cultu, de politiæ & ecclesiæ Israëliticæ forma, quatuor posterioribus libris descripsit? Et hæc dicent didicisse eum a Deo, qui ei ore ad os locutus est, & ei tanquam fideli servo exemplar omnium ostendit in monte. Qui igitur res cœlestes immediata patefactione accepit a Deo, & futuras ab omni humano sensu absconditas afflatu Spiritus Dei discere potuit, quidni ejus Spiritus magisterio quid ante se gestum esset cognoscere potuerit? Augustinus hoc quærentibus sic respondet *de C. D. lib. XI. cap. 4.* Numquidnam ibi fuit iste propheta, quando fecit Deus,, cœlum & terram? Non, sed ibi fuit sapientia Dei, per,, quam facta sunt omnia, quæ in animas etiam sanctas se,, transfert, amicos Dei & prophetas constituit, eisque,, opera sua sine strepitu intus enarrat. Loquuntur eis,, quoque angeli sancti Dei, qui semper vident faciem Dei,, voluntatemque ejus, quibus oportet, annunciant. Ex his,, unus erat iste propheta, qui dixit & scripsit: In principio,, fecit Deus cœlum & terram. Qui tam idoneus testis est,, per quem Deo credendum sit, ut eodem Spiritu Deo quo,, hæc sibi relevata cognovit, etiam ipsam fidem nostram,, futuram tanto ante prædixerit. *Idem confess. lib. X. cap. 3.*,, Qui illi servo tuo dedisti hæc dicere, da & mihi hæc intel-,, ligere. Nec necesse est ad divinas revelationes decurrere, traditione enim Moses ea discere potuit, nec enim tam bruti aut muti fuerunt sancti patres, quin quæ ad mundi historiam, & ad salutis doctrinam pertinerent, libris suis exponerent, & posteris fideliter transmittenda commenda-

 rent.

rent. Cum autem per traditiones doctrinæ puritas non conservaretur, sed quandoque adulteraretur, Deus, per novas subinde revelationes, puritatem verbi sui, instaurare, propagare, conservare voluit; donec non amplius illa ratione uti Deo visum fuit, atque ideo aliam docendi rationem tempore Mosis instituit, ut scilicet scriptis divina auctoritate & testimonio confirmatis puritas doctrinæ cœlestis propagaretur & conservaretur, ne quæstionibus aut controversiis, de veteri genuina & pura patriarcharum doctrina exortis, novæ & peculiares revelationes semper quærendæ & expectandæ essent.

CAPUT III.

De bibliothecis Hebræorum.

Sectio I.

VT Hebræorum gens, sic etiam sapientia longe antiquissima, ab ipso Deo tradita; proinde & antiquissimi eorum libri, qui duorum generum erant. Alii enim res sacras quæ ad Numinis cultum & religionem ac fidem pertinebant, alii vero res civiles, & remp. spectantes, aut naturales continebant. Primi generis vel in publicis vel in privatis locis servabantur: Publica loca erant tum templum Hierosolymitanum, tum in unaquaque urbe Synagogæ. In templo asservabatur lex Decalogi sive tabulæ illæ lapideæ, quas ipse Deus sua manu exaraverat, & Mosi, ut eas arcæ fœderis, apud Horebum montem, includeret, mandaverat. Tabulas hasce Sapphirinas, aut marmoreas, aut smaragdinas fuisse, scripturam vero legis bis mille annis ante creationem mundi extitisse, literis ignis nigri super dorso ignis candidi, vel sexto die cum aliis rebus creatam esse, nobis non liquet, ad categoriam fabularum Judaicarum hæc relegamus. Tabulas primas Moses confregit cum

cum populum luxui & idololatriæ deditum deprehendisset. Rabbinorum alii fabulantur tabularum scripturam evanuisse; & hinc tanquam inutiles à Mose abjectas fuisse, & quia ex sapphiro erant, eum fragmina sublegisse, & divendidisse, unde & ingentes opes accreverint. Alii volunt cum integris etiam fractas tabulas a Mose in arca repositas esse; quod tamen ex scriptura *Exod.* 32. non liquet. Imo vero quis non ex Mose concludat, eum ne quidem ad illa tabularum fragmenta respexisse, nedum ut inutiles reliquias collegerit & sacratissimo loco asservarit? Fractarum tabularum memoriam jejuno celebrarunt Iudæi, die 17. mensis quarti, qui *Thammuz* dictus est, quo die, propter occupatam Hierosolymam, jejunant, ut propter fractam urbem, & fractas tabulas, religiosior esset superstitio. Illæ autem tabulæ, in quibus a Deo secundum decem verba inscripta sunt, cum arca in tabernaculo servatæ sunt. Arcam bello captam, Philistæi multis cladibus affecti, reddere coacti sunt: cum vero aliqui in eam inspexissent, ut viderent, num Philistæi tabulas legis ex ea sustulissent, vel aliud quid imposuissent, magna eorum strages edita est. *1. Sam.* 4. 5. 6. *cap.* Deinde hæc sanctissima κειμήλια a Salomone in templum a se Hierosolymis exstructum translata sunt, nec loco mota antequam urbs a Nebucadnesare Babyloniorum Rege capta est. Quid autem illius excidii tempore de arca & his tabulis factum sit, ex S. scriptura nihil certi haberi potest. Inter spolia templi, quæ Babylonem deportarunt Chaldæi 2. *Reg.* 25. *Ierem.* 52. & Hierosolymas reportavit Esras, *cap.* 1. arca & tabulæ non recensentur. Hac de re itaque sententiæ variant. Iason Cyrenæus auctor libri secundi *Maccab. cap.* 2. narrat, Ieremiam Prophetam, arcam, tabernaculum & altare thimiamatis in spelunca illius montis in quo Moses mortuus est occultasse, & locum illis, qui eum secuti erant, indicare noluisse; cui consentit

C 2 Gori-

Gorionides. *Druſ. obſerv. lib.15. cap.16. Et Epiphanius in vita Ieremiæ*, addens, neminem ſacerdotum aut prophetarum arcam reſeraturum, præter Moſem; tabulas vero quæ in illa ſunt, neminem expanſurum, præter Aaronem: In reſurrectione, arcam primam omnium reſurrecturam, & ex illo ſaxo prorupturam, ac in monte Sinai collocandam, quo omnes ſancti confluxuri ſint. Narrat præterea qui propheta, digito ſuo Dei nomen imprimens, lapidem obſignaverit, eaque figura, perinde ſi cælata ferro eſſet, inhæſerit: quod hic locus ad finem mundi occultus ſit. Dicit illud ſaxum in ea ſolitudine ſitum eſſe inter illos montes, in quibus Moſes & Aaron jacent. Noctu vero nubem illi loco inſtar ignis incumbere. *Vide etiam Sixt. Senenſ. biblioth. ſanct. lib. 8. hæreſ. 12. Bellarm. de verbo. Dei lib.1. cap.15.* Talmudici volunt Ioſiam Regem, hanc arcam uti fœderis teſtem, & Aaronis baculum, tum lapides Vrim & Thummim, cum reſiduo Mannæ, recondidiſſe ſub humum, in loco abdito ſecretoque, quem diu ante ſumma cura Rex Salomo paraverat; cum ex vatum reſponſis didiciſſet futurum olim uti templum ab Aſſyriis ſolo æquaretur; ſed eorum omnium nihil quicquam Iudæis reſtitutum eſſe, cum reverſi Babylone in patrias ſedes, templum ſecundum exſtruerent. Ideo ſecundo templo quinque defuiſſe dicunt. 1. Arcam cum ἱλαστηρίῳ, & Cherubim. 2. Ignem οὐρανοπετῆ qui in priore templo erat ſicut leo, in poſteriore cubabat ſicut canis, non recipimus fabulam de igne a ſacerdotibus occulto, a Nehemia autem, poſt captivitatem Babylonicam, retecto, quam obtrudit auctor libri ſecundi *Macchab. cap.1.* 3. שכינה, ſive gratioſam Dei præſentiam evidenti & glorioſo ſigno, certo in loco, manifeſtatam 4. Spiritum Sanctum. 5. Vrim & Thummim, eique rei indicio eſſe, quod *Hagg. 1. 8.* ה vocis אכבד in ſcriptione omittitur, tradunt Iudæi. (ה enim quinque notat) quibus alii addunt, oleum

oleum unctionis, & laminam frontalem, vide *Druſ. lib. 15. obſerv. cap. 16.* Sed ſi Ieremiæ prophetæ hiſtoriam penitus inſpiciamus, manifeſtiſſimum erit, hæc ab illo fieri non potuiſſe, quæ ipſi 2. *Maccab. 2.* affinguntur. Aut enim arcam recondidiſſet ante urbem captam, aut poſt. Non antea. Nam priuſquam Nabuchodonoſor prima obſidione urbem cinxit, Ieremias in maximo fuit odio prophetarum atque ſacerdotum, uſque adeo, ut crimen in eum capitale intentarent læſæ majeſtatis, quod diceret urbem vaſtatum iri & domum Dei futuram Silunti ſimilem, niſi ipſos ſcelerum ſuorum pœniteret. In eodem odio fuit ſacerdotibus & prophetis, & principi anno 4. Ioachimi, uſque adeo ut tum in cuſtodia fuerit certe detentus, ne ingrederetur templum. *cap. 36. 3.* quare miſit Barucum, qui verba ab ipſius ore excepta legeret in domo Dei, coram populo, atque ea verba tantopere inflammarunt odium principis, ut niſi principum conſilio ſe abſcondiſſet, atque adeo abſcondiſſet eum Iehova, periculum capitis aditurus fuiſſe videatur. Zedekiæ tempore, cum cingeretur urbs obſidione, atque Chaldæi abduxiſſent copias; ut occurrerent Ægyptiis Zedekiæ opem laturis, exire voluit Hieroſolymis, & ire in terram Benjamin: verum in ipſa porta oppreſſus a quodam præfecto, atque ea calumnia vexatus, quod ad Chaldæos deſciſceret, inde in cuſtodiam conjectus, & in ea detentus fuit toto tempore obſidionis, uſque ad eum diem quo urbs capta eſt. *cap. 36. & 37.* Non in ipſa urbis direptione aut poſtea, quia tum in vinculis etiam detentus eſt, cum reliqua multitudine, donec Rama remiſſus ad Gedaliam, reverteretur Mizpam. Deinde non permiſſuri fuiſſent hoc ſacerdotes, ut Ieremias ex templo quædam exportaret, cum tanto in eum odio flagraverit. Certe ſacerdotes, cum rex Ozias, non puer qui tribus tantum annis regnarit, ſed qui regnavit amplius 50 magnæ maturitatis atque ju-

dicii Princeps, in regno suo confirmatus, ingredi vellet in templum Iehovæ, ut adoleret super altare suffitus, ei occurrentes non modo interdixerunt ei, ne adoleret; verum etiam eum inde deturbarunt. Adeo alienum est ab omni veritatis similitudine, ut putemus passuros fuisse sacerdotes, & reliquos Levitas, ut Iechonias, aut ejus jussu, Ieremias, non tantum ingrederetur templum, verum ipsum sanctum sanctorum, ad arcam inde auferendam. Nabuchodonosor Rex maximi quidem Ieremiam fecit, sed ita ut commendaret satellitum præfecto ejus salutem curandam, isque non tanti eum fecerit quin passus sit una cum aliis vinctum perduci usque Ramam, atque inde dato viatico dimiserit, non arcam & altare suffitus ei tradiderit, neque ut deportaret ista in montem Nebo trans Iordanem, sed ut iret ad Gedaliam, aut quocunque vellet, ipsi permiserit; qui postquam ad Gedaliam Mizpam reversus est, inde postea, occiso Gedalia, abductus est in Ægyptum. Neque credendum Deum res illas sanctissimas & fœderis sui cum populo Israëlitico testes, & quas solus pontifex non semper, sed semel tantum in anno, idque non sine sanguine videre poterat, spurcæ gentis libidini exponere noluisse. Deus enim hoc genti peccatrici, & sacra Dei suis sceleribus profananti comminatus fuerat. *2. Chro. 8. v. 9. 10. 11. 12. Ierem. 2. 5. 6. Ezech. 24. 21. Sic ait Dominus Iehova, ecce ego profanaturus sum sanctuarium meum.* Nam quia Chaldæi omnia aurea & argentea instrumenta templi diripuerunt, & Babylonem deportarunt, Arca autem tota erat auro operta, exterius & interius, operculum propitiatorii ex puro auro, duo Cherubini aurei toti. *Exod. 25.* Verisimile admodum, eam abductam fuisse Babylonem, quamvis in catalogo *Ierem. 50.* non recenseatur. Nam nec alia recensentur, ut mensa aurea, aureo limbo ornata, cum reliquis instrumentis aureis, in qua proponebantur panes propositionis quo-

quotidie coram Iehova. *Exod. 25. 23. & seqq.* factum pectorale juris, non ex auro modo, sed etiam ex gemmis pretiosissimis confectum. *Exod. 21.* amiculum ex auro confectum & pallium amiculi ornatum aureis tintinabulis, &c. quæ tamen a Ieremia occultata non sunt, adversariis fatentibus. Non inhærebimus reliquis Epiphanii (si modo hoc scriptum est Epiphanii Cypri illius Episcopi) & Iudæorum nugis refutandis. *Augustinus Torniellus ex 2. Maccab. 1.* colligit Nehemiam arcam rursus invenisse & Hierosolymas deportasse; Antiochum Epiphanem in direptione templi eam rursus non abduxisse, sed Titum Vespasianum. Salianus *annal. V. T. ann. 3447. num. 39.* arcam translatam putat ab angelis, ut ædes Lauretana, quæ ex Palestina in Italiam transvecta est: Sed pleraque probatione indigent, in historiis de Nehemia & Antiocho, ne γρῦ quidem de arca. Credibile est Iudæos aliam arcam ad prioris similitudinem compegisse, & in adyto templi secundi reposuisse, quales hodie in synagogis habent; quæ etiam post ultimum urbis excidium, a Tito imp. populo Rom. ostensa sit, inter alia gestantium fercula. *Sixt. Senens. biblioth. S. tom. 1. lib. 2. Ioseph. lib. 7. de bello Iudaico cap. 24. Torniel. ætat. mundi 6. anno 3885. num. 6--10.* Currum Titi triumphalem, arcui incisum, arcæ fœderis non dissimilem, errori occasionem dedisse censet Hornius *hist. eccl. pag. 50.* Illam autem non futuram sub templo secundo prædixerat Ieremias, *cap. 3. ℣. 16.* Ex Iudæis etiam aliqui testatur arcam a Chaldæis esse direptam. Vide de his latius differentem *Rainold. cens. libr. Apocryph. prælect. 136. & seqq.*

In templo præter tabulas legis lapideas, libri Mosis & prophetarum quoque servabantur, idque in intimo sanctuario, quo mortalium nulli, nisi Pont. Maximo semel quotannis accessus patebat; unde tales libri ab omni adulterationis suspicione tuti erant. Hoc illud est, quod Moses man-

mandavit Levitis, *Deut. 31.* ut librum a se scriptum deponerent ad latus arcæ fœderis, ut sit in testimonium contra eos. Ad libros Mosis tanquam ad lapidem Lydium reliquorum prophetarum verba examinanda erant *Ies. 8. 20.* Asserunt quidam, Mosen duodecim legis exemplaria descripsisse, quæ inter duodecim tribus dispersa sunt, præter unum quod in arca fœderis servatum est. *Walton. dissert. de ling. Orient. §. 20.* Sic Maimonides *in porta Mosis pag. 9. per interpr. Pocockium:* Cum prope esset ut moreretur
„ Moses, manum describendis libris admovens, 13. exara-
„ vit legis exemplaria, in pergameno omnia, a litera ב vocis
„ בראשית usque ad ל vocis ישראל (qua terminatur lex) quo-
„ rum singula singulis tribubus, quibus uterentur distri-
„ buit, decimum tertium autem Levitis, dicens illis, ac-
„ cipite librum legis, &c. Vtrum autem in ipsa arca fœderis cum tabulis lapideis an in peculiari capsa libri Mosis conclusi fuerint disputant interpretes, ex collatione locorum *1. Reg. 8. 9. cum Hebr. 9. 4. Vide interpp. & Rainold. Angl. cens. lib. Aprocr. prælect. 139.* Libris Mosis suum addidit Iosua ut apparet ex *cap. 24. 25.* Reliqui etiam prophetæ, quas conciones ad populum habuissent, earum summam, Dei jussu, scribebant *Ier. 30. 2. Hab. 2. 2. Ies. 8. 1. & aliis locis.* Hæ deinceps in templo servabantur, ut etiam posteri inde ædificarentur; unde de falsis prophetis dicitur Ezech. 13. ℣. 9. *in scriptura domus Israëlis non scribentur.* Hæc volumina in posterum exiguis pellibus arctata, refertissimam nobis bibliothecam instruunt, si non tam ex mole, quam ex sententiarum pondere æstimentur. Cum vero populus in idololatriam delapsus, alienos deos sequeretur, sicut ipsis vera religio cordi non erat; sic nec libri sacri qui communi fato obnoxii erant, sic tempore regis Manassæ contigit, ut liber legis pene ex hominum memoria exciderit, quem tempore Iosiæ invenit Hiskias Pont. Max. *2. Reg. cap. 22.*

Hujus

Hujus neglectus causam dicunt Judaei fuisse impium Achazum, qui libros legis combusserit, ne ex iis idololatriae argueretur: quare sacerdotes clam in muro templi legem absconderint. Sunt qui putant fuisse exemplar antiquissimum, & aevo Mosis scriptum; Alii tamen non sine ratione ex 2. *Paralip. 34. 14.* ipsum Mosis αὐτόγραφον esse volunt. Quid de hac bibliotheca factum sit, cum Iudaei in captivitatem Babylonicam abducerentur quaeri potest? Non esset hic dubitandi locus, nisi aliqui veterum in eam venissent opinionem, instauratorem Pentateuchi, totiusque scripturae veteris Esdram fuisse. Scribunt enim Hierosolyma a Babyloniis expugnata, cum templo omnes simul libros sacros conflagrasse: per Esdram vero sacerdotem divinitus afflatum ex memoria denuo conscriptos ac restitutos fuisse: quam opinionem inter christianos auctores primus habet *Irenaeus lib. 3. cap. 25.* Ab hoc alii postea videntur mutuati. Origo erroris videtur esse liber 4. *Esdrae* ubi *c. 4. 23.* sic quaeritur Esdras: *Lex patrum nostrorum in interitum deducta est, & dispositiones scriptae nusquam sunt.* Et c. 14. ℣. 21. *Lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quae a te facta sunt, vel quae incipient opera. Si inveni in te gratiam, immitte in me gratiam, immitte in me Spiritum S. & scribam, &c.* Sed totum hoc fabulosum esse hinc patet: I. quia quartus liber Esdrae omnium consensu est apocryphus, ex somniis fabulisque Iudaicis conflatus. Sacra vero historia de hoc interitu, vel ἀνακαινισμῷ legis nihil habet. Atqui tantam jacturam non erat tacitura, cum alia, quae manu hostium aut incendio perierunt, recenseat. Nec Esdras tam mirandum opus instaurandae legis siluisset, qui res alias a se gestas tam prolixe praedicat. II. Verisimile non est potuisse omnes codices simul deleri, ut maxime Babylonii id fuissent moliti, de quo tamen non legitur: cum sine dubio lex in plura subinde descripta exemplaria diversis locis servaretur. Certe

Antiochi Epiphanis tyrannica edicta efficere non potuerunt, quin post plurimos codices conquisitos, extortos, concerptos, & crematos, maneret nihilominus liber legis, custodiâ piorum incolumis. *1. Maccab. 1. 60, 61. & cap 4. 48. &c.* Non est consentaneum Danielem & Ezechielem Prophetas, annos 70. captivitatis, libro legis caruisse: ac multò minùs Jeremiam Prophetam, Gedaliam Principem, aliosque pios, acceptâ libertate manendi, pluribusque immunitatibus impetratis, adeo nullam habuisse legis curam, quin vel unum codicem servarent, cum pii Levitæ cithararum suarum tenaces fuerint, Psal. 137. haudquaquam solliciti fuerint de hymnis sacris & Lege Dei? Quis credat Zorobabelem Principem & Josuam Pontificem, cum tanta piorum turba ad instaurandam religionem & cultum, absque libro legis domum profectos esse, aut Haggæum, Zacchariam, & Malachiam Prophetas de lege reparandâ nihil laboraturos fuisse, siquidem liber legis, ut habet fabula, tunc nusquam fuisset? Si enim Alexander tantam curam habuerit Iliados Homericæ, ut in preciocissima Darii arcula eam recondi voluerit. *Plut. in Alex.* & Cæsar mordicus paludamentum tenuerit, lævâ manu erectâ libellos, ne madefierent, curans, ut major & ut certè par illi & libellorum & purpuræ cura fuerit *Sueton. Cæs. cap. 64.* quis dubitet, quin etiam Jeremias aliique sancti tunc viventes similem, si non majorem, librorum sacrorum curam gesserint? V. Fabulæ apocryphæ sibi non constant. Quomodo enim credi potest, librum legis incendio periisse: si verum est arcam, juxta quam liber ille depositus servabatur, cum tabernaculo & altari in caveâ montis Nebo à Jeremia absconditam esse? de quo paulò ante diximus. VI. Daniel post templum deletum in captivitate ex libris didicit numerum annorum captivitatis completum: Habuit ergò librum Jeremiæ. Ibidem dicit Propheta: *Stillavit super nos maledictionem & jusjurandum, quod scriptum est in lege Mosis servi Dei.*

Non

Non dicit quod ſcriptum *erat* : ſed quod ſcriptum *eſt* : Ergo extabat Lex Moſis. Dan. 9. 1, 11, 13. VII. Iſraëlitas reduces librum legis habuiſſe, & ex ejus præſcripto cultum & ordinem eccleſiaſticum inſtauraſſe, etiam ante Eſdræ reditum in Judæam, ipſe Eſdras *cap. 6. verſ. 18.* teſtatur. Non ergo Eſdras Pentateuchi auctor vel inſtaurator haberi debet; ac ne poteſt quidem, quin & antiquitati & authoritati legis plurimum derogetur. Eſdras enim Moſe multò eſt poſterior, & magis rerum geſtarum ſcriptor habitus, quam Propheta. *Auguſtinus de Civ. Dei lib. 18. cap. 36.* Bellarminus igitur opinionem illam tanquam improbabilem rectè etiam rejecit *lib. 2. de verbo Dei. Cap. 1.* Eſdras autem cum Viris Synagogæ magnæ in libris ſacris colligendis & in unum corpus ordinandis occupatus fuiſſe videtur. *Hotting. theſ. Philol. lib. 1. cap. 2. quæſt. 1.* An verò ipſum Eſdræ αὐτόγραφον hodieque extet Bononiæ, *vide infra de Bibliothecis Italiæ.* Poſt Judæorum in patriam reductionem, Nehemias diſperſos libros Regum, Prophetarum, Davidis collegiſſe dicitur, & Bibliothecam inſtituiſſe. *2. Maccab. 2. 13.* abſque dubio uſus operâ Eſdræ. Antiochus quidem multa volumina flammis ultricibus devovit, Judas autem Maccabæus, cum aliis rebus perditis recollegit. *1. Maccab. 1. & 2. Maccab. 2.* Sic ergò hæc Bibliotheca ſtetit uſque ad excidium templi ſecundi, ubi deinceps fuerit incertum. Credibile eſt, eam cum urbe penitus intercidiſſe, quamvis in ripa Euphratis, R. Benjamin adhuc ſepulchrum oſtendat Ezechielis, & Bibliothecam librorum templi primi & ſecundi, & ipſius Ezechielis αὐτόγραφον, & libros, ἀτίκνων liberalitate, uſui publico legatos. Verùm hoc exiguam fidem meretur, cum etiam Weſſelus Groningenſis, qui ſuo tempore *lux mundi* dictus eſt, in Ægyptum profectus eſſe dicatur, perſuaſus omnes libros Salomonis & totam illam Bibliothecam Judæorum ibi adhuc ſervari, ſed reverſus ſolebat dicere: *Fruſtra profectionem abſolvi: Judæi*

enim totam Bibliothecam ſuam perdere maluerunt, quam legere quod confiteri noluerunt.

Præter hanc quæ in templo ſervabatur, alia quoque Bibliotheca fuit in Synagogis, ut colligitur ex *Act. 15. 21. & Luc. 4. 16. 17. 19.* De libris Moſis & Prophetarum, & in prophetarum collegiis, ut & ex Epiſtola Eliæ ad Jorâmum miſſa, cum jam Elias in cœlum eſſet ſublatus, nec enim è paradiſo terreſtri miſſa eſt. *2. Chron. 21. 12.* verum inter Prophetarum filios cuſtodita, opportuno tempore, cum Joramus in idololatriam prolapſus, fratres ſuos occidiſſet, prolata fuit.

In Academia Hieroſolymitana collegia ſeu ſynagogæ erant 480. In harum qualibet habebatur בית ספר bibliotheca, & בית תלמוד domus doctrinæ, in illa ſcripturæ prælegebantur, in hac docebatur Miſchna, has univerſas ſuſtulit Veſpaſianus. *Selden. de ſucceſ. ad ll. Hebr. in prolegom.* De his ſcholis à quibuſdam accipitur locus ille Pſ. 84 8. כהיל אל היל ילכו, *Ibunt de virtute in virtutem*, hoc eſt, מבית מדרשא לבית מדרשא, *è ſchola in ſcholam* & Pſ. 87 *Diligit Jehova* שערי ציון *portas Tzionis*, hoc eſt ſcholarum. *Schindl. in rad.* דרש vide *Alting. Schil. l. 4. cap. 8.* hinc Hieroſolyma eleganter dicitur עיר הפקד *Jer. 6. 6.* civitas apud quam depoſitum eſt: de qua ibidem conqueritur, quod in ea regnet עשק fraus, qua alienum depoſitum opprimitur. *Confer Levit. 5. 23. & 2. Tim. 1. 13. 14.* Poſtquam autem Judæorum reſpublica declinare cœpit, etiam gloria ejus inde migravit. Stante priore templo, decem profectionibus (ſecundum Rabbinos) diſceſſit שכינה· 1. ab ἱλαςηρίῳ decedens inſedit Cherubinis. 2. inde ad limen. 3. inde in atrium. 4. hinc ſuper altare. 5. deinceps in tectum. 6. inde in murum. 7. hoc relicto in urbem. 8. deſerta urbe in montem. 9. à monte in deſertum. 10. Poſtremò à terra in cœlum migravit. Totidem ſtationibus Synedrium, ſub templo ſecundo ab Iſraële receſſit. Propria ſedes Synedrii magni erat

Liſcath

Lifcath baggafith. λιθόστρωτον, *Job. 19.13.* Inde abierunt *Lachanajoth* ad tabernas, 40. annis ante everfionem templi, locus erat circa fanctuarium. *Vide Selden. de fucceff. pag. 365.* Poftea *Lebar habbajith*, in montem fanctuarii, tum ceffarunt judicia capitalia, ob multitudinem latronum. Inde in urbem ipfam difceffum eft, Rabban Gamaliel fenior, Hillelis nepos, Pauli præceptor Ufcham profectus eft. R. Johannes filius Zacchæi, deftructo templo, & Rabban Gamaliel II. Jafne præfederunt. Rabban Simeon filius Gamalielis Ufcham reverfus eft. Rabbi Jehuda fanctus, quum interea in finitimam urbem Schepharam migraffet Synedrium, tranftulit illud ad Beth Scheharim. Quum in morbum incidiffet, Sephurem urbem, à vico Nazareth tribus leucis diffitam, transportatus eft. Denique ut perhibent, cum Antonino Pio Cæfare familiariter egit Tiberiade. *Cocc. Sanhedr. pag. 157. 158. 160.* Hæ fuerunt fedes Synagogæ, & fynedrii in terra Ifraëlis, quarum clariffima Tiberias, in honorem Tiberii Cæfaris ab Herode fic appellata. Hic ftudia literarum usque ad Hieronymi tempora viguerunt, circa annum Chrifti 420. qui hinc legis quendam Doctorem, qui apud Judæos admirationi habebatur, affumfit, & ejus operâ ufus eft in interpretatione libri Paralipomenon, ficut ipfe in præfatione in iftum librum ad Domnionem & Rogatianum fcribit. Teftatur etiam *Epiphanius hæreſi* 30. de Ebionæis, aliquos tradidiffe, Evangelium fecundum Johannem de Græca lingua in Hebræam translatum effe, & in Judæorum Gazophylaciis, quæ funt in Tiberiade, haberi, & inter Apocrypha repofitum effe. Quin & librum Actuum Apoftolorum fimiliter ex Græcâ linguâ in Hebræam converfum, illis in Gazophylaciis haberi. An autem Tiberias fedes fuerit Maforetharum ab Elia Levita decantatorum, qui jam poft quingentos annos à nato Chrifto, & poft abfolutum Thalmud, accentus & puncta vocalia textui biblico addiderint,

& Masoram, tanquam legis sepimentum, conscripserint, de eo vide *Buxtorphii Tiberiadem sive commentarium Masoreticum.*

Extra Judæam in Babylonia tres habuerunt Academias celeberrimas, in urbibus Nahardea, Sora, & Pumbeditha. *ibid. cap. 6.* Sorana vero fuit longe celeberrima. Unde proverbium apud Hebræos: *Fimum urbis Mahasiæ, non palatia Pompedithæ*, quo volunt illius sterquilinia hujus palatiis præferenda. *Schotanus de secunda mundi ætate pag. 54.* Hodie vero per totum terrarum orbem dispersi, in singulis Synagogis, librum legis magnâ, ut solent, cum superstitione servant, legunt, circumferunt &c. *Vide Buxt. synag. Judaic. cap. 14. editionis ultimæ 1661.*

Quæri posset cur divina providentia ipsa librorum αὐτόγραφα non conservaverit? R. Propterea ne putemus ea esse necessaria, atque ita ea nobis in idola vertantur. Et ne nobis adulterinum obtrudi posset pro primo, ad repudianda hæc quæ in omnium manibus sunt. Sufficit hic nobis pactum Dei, quo ipse cavit patribus, eos & semen eorum hæredes mundi futuros, atque adeo gentes hæredes fidei eorum futuras. Unde & fidei ipsorum commissa sunt eloquia Dei. *Rom 3. Confer. Alex. Mor. de s. script. pag. 60. 61. Hotting. Thes. philol. lib. 1. cap. 2. Quæst. 3.*

Sectio II.

Atque hæc de Bibliotheca sacra publica, tum in templo, tum in synagogis; sequitur sacra privata. Ea erat imprimis Regis, juxta ipsius Dei mandatum, *Deut. 17. 18. 19. Sed erit cum insidebit solio regni sui, ut describat sibi exemplum hujus legis in libro, ex eo qui erit in conspectum sacerdotum Leviticorum: Eritque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Jehovam Deum suum.* Ex traditione docetur, Regi duo exempla in usum suum scribenda esse: quo-

rum

rum alterum in archivis repoſitum maneat, alterum quod ſecum circumferat, tantâ literarum & membranæ ſubtilitate concinnum, ut, amuleti inſtar, vel brachio appendere commodè poſſet. *Cocc. excerpt. Gem. Sanhedr. p 185. 187.*

Deinde etiam cujuſque privati. Tenebantur enim Judæi pueros ſuos κατηχίζειν. *Deut. 6. 7. Exod. 13. 8.* eoſque cum quinque annorum ſunt, hodieque Pentateuchum, ſed ex ſola auditione & ſæpius iteratâ repetitione, docent. Ut latiùs videre eſt in *Synagoga Judaica Buxtorfii. cap. 7.* Imo omnibus Iſraëlitis ut manu ſuâ quantum fieri poteſt, deſcriberent legis exemplar, fuit injunctum. Quo autem quis legis & eruditionis fuit ſtudioſior, eo majorem librorum curam geſſit. Pentateuchi quidem exemplar recenter deſcriptum, non relectum, aut correctum ultra menſem Judæi domi non habent: applicant huc locum *Jobi 11. 14. ne habitet iniquitas in tentoriis veſtris.* Pentateuchum in papyro, recente invento, deſcribere religio eſt, ideo membranarum conficiendarum artem quandam ſtricte obſervant; columnas ad amuſſim accurate metiuntur, in ſingulis columnis quot ducendæ lineæ ſedulo calculum ſubducunt, quo vel decorum ſervetur; Spatia inter literas, dictiones, lineas ex majorum traditione ad certam regulam dimetiuntur, in perforatâ membranâ non ſcribunt, puta ne ח pro ה formetur, non clauſo hiatu; ſi forte inciderit in membranæ foramen ea ח literæ pars quæ ab ה differt, quod clauditur, obſtruiturque, & ſic de aliis literis; unam vel literulam, niſi inſpecto authentico exemplari non pingunt, & ſi totam legem fortaſſe memoriter teneant; ſi cui ſacer codex manibus excidat, publicum jejunium indicunt; Et illud conſtat ab iis credi, ſi forte ex ignorantia aut malitia, vel unicum vocabulum mutaretur, periculum fore, ne totus mundus, quem propter ſolam ſcripturam conditum tradunt, periret, atque in תהו ובהו verteretur. Unde & à Magiſtris eorum tradi-

tum

tum decretumque eſt, Librum legis vel propter unicam vocalem, ſeu additam, ſeu detractam, ſeu corruptam de facto fieri פסול id eſt, profanum, & mox vaſi fictili impoſitum, in ædibus ſtudioſi doctique cujuſdam viri ſepeliendum eſſe, ne quiſquam eo in poſterum utatur unquam, hoc ſolo caſu excepto, ſi Judæus quiſpiam ad extremam inopiam redactus illum petat. Atque hic alia reſtrictio rurſus addita, Liberos ſolummodo ex iſto libro inſtituendos eſſe, nec unquam in Synagogam afferendum, ullive mortalium copiam ejus faciendam. Nulli, nec Regi quidem, ſacros libros deſcribere licuit, niſi atramento, ſpeciali modo ad id apparato, ex fumo olei, vel picis, vel ſevi, &c. piſto in exuſto ligno, cum exiguo mellis bene depoſito, donec attenuetur, poſtea exſiccato & repoſito: quod poſtea tempore ſcriptionis in aquis gallarum, & ſimilium diſſolvunt: Dicunt autem Moſi injunctum eſſe in monte Sinai, ut libri ſacri perſcriberentur atramento, excluſis cæteris omnibus colorum ſpeciebus, velut rubro, viridi &c. quod ſi una literula iis ſcriberetur, totum profanaret. Ne nobiliſſimam quidem auri tincturam eos uſurpaſſe perhibent. Atque ideo de Pentateucho Alexandri M. pronunciatum eſt à ſapientibus, è medio tollendum eſſe, quia in eo omnis mentio DEI aureis literis perſcripta erat *ex Schickardo de jure Regio Ebr. Rivetus Iſag. ad ſ. Script. cap. 10.* Si quis Judæus alvum aut veſicam exoneraverit, libros ſacros nullo modo, niſi antea diligenter lotus, attinget. Librum aperiendum oſculatur, ut & clauſum ac reponendum. Scamno, cui Biblia impoſita ſunt, inſidere, religio eſt. Si multi libri coacervantur, Biblia ſupremo, ut honeſtiſſimo, loco reponenda eſſe volunt. *Anton. Margarita de fide Judaica,*

Totam S. Scripturam, & commentaria in eam aut cremare, aut manu perdere ſeveriſſime ſub pœna plagarum rebellionis, hoc eſt, fuſtigationis uſque ad mortem prohibitum

tum est. Cum autem R. Eliezar, & R. Josi, præ nimio alterationis fervore, librum legis in schola Tiberiadis dilaceraverint, dubitant magistri, factum hoc sitne idololatriæ nomine gravandum. Hoc autem non de quovis legis exemplari capiendum. Si enim hoc exaraverit Israëlita Epicureus, flammis ultricibus devovendum, quia non credidit sanctitatem nominis Dei, nec in nomine Dei illud descripsit, sed librum legis, aliis libris digniorem non judicavit. Si enim talia non cogitet scriba, scriptura profana est. Si autem gentilis S. literas descripserit, eas occultant, ut & librum legis vetustate corruptum: hoc est in vaso vitreo deponunt, atque sepeliunt apud discipulos sapientum, atque hæc est occultatio ejus, ex tegmine verò aut linteo librorum jam detritorum mortuo stolam aut pallium conficiunt. *Maimon. de fundam. legis cap. 6. §. 9, 10. cum notis Vorstii.* Idem scilicet adhuc eos tenet zelus, qui eorum Patres olim tenuit, qui non quieverunt antequam Præses Cumanus militem Romanum, qui libros legis dilaceraverat, securi pecussisset. *Joseph. antiqu. lib. 20. cap. 4.* Hac mirâ erga sacrum codicem religione factum est, ut illum à quibusvis temporum injuriis felicissime vindicarint. Hæc laus eorum propria est. Nulla alia gens in illius gloriæ societatem se offert. Hinc antiquissima illa bibliorum exemplaria per tot annos servata. Qualis est codex Hillelis; quem sua manu conscripserat olim Rabbi Hillel, summus Judæorum præsul, qui Babylone in Syriam venerat sexaginta annis antequam Christus nasceretur. Ad hunc venerandæ antiquitatis codicem omnia Biblica exemplaria emendata sunt. Invenerunt eum in regno Leon. R. Abraham Salmanticensis vidit partem ejus in Africa venalem, eratque illius ævo ante nongentos annos scriptus. Ait Kimchi in sua grammatica, in rad. שום Pentateuchum servari Toleti. Erat igitur illa tempestate penes Judæos arbitrium & vis ac norma

emendandi biblicum contextum. Profectò quam facile illis fuisset interpolare illa loca, quæ redarguere illorum deliria videbantur, quum vix tria verba hebraicè intelligerent Christiani? sed obstat pietas, vetebatque moveri, quæ sacra essent. Et tamen fuêre, qui existimarent, mala fide eos descripsisse multa. *Cun. de rep. Hebr. lib.* 1. *c.* 18. *Adde Joseph Coeperi Clavem Domus Mosaicæ, lib. 1. cap. 9.*

Elias Levita *præfat.* 3. *Maj. Hammas.* ex Maimonide meminit codicis in Ægypto noti, qui multis annis Hierosolymis fuerit ad castigandum ex ipso libros, quod exemplar omnes secuti sunt, eo quod castigandum esset à filio Aser. Orientales sequuntur lectionem Filii Naphtali, & concertatio quæ est inter eos de accentibus non est nisi de minoribus, ut meteg, makkaph, &c. Est & *Sinai* nomen Pentateuchi correcti. Celebrantur preterea propter antiquitatem & accuratam emendationem exemplaria hæc: *Jeruchuntinum, Hierosolymitanum, Samaritanum, Hispanica vero præ cæteris.* Marchio Badensis antiquissimum habet exemplar, ex Reuchlini Bibliotheca, quod Maccabæorum temporibus scriptum, asseverant. Arias Montanus & sua & Complutensia, Bononiensia, Mediolanensia exemplaria ob antiquitatem & elegantiam laudat. *vide Hotting. thesaur. philol. lib. 1. cap. 1 sect. 4. item Biblioth. quadripart. lib. 1. cap. 1.*

Ex hac bibliotheca sacra Judæi semper illos libros jure merito excluserunt, quos hodieque Απoκρύφυς dicimus, qui suo indicio se satis produnt, ita ut de his dici possit, „quod ait Augustinus *de C. D. libro* 15. *cap.* 23 de libro E„nochi: Sed non frustra non sunt in eo canone scripta, qui „servabatur Hebræi populi succedentium diligentiâ sacer„dotum. Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem su„spectæ fidei judicati sunt, nec utrum hæc essent, quæ il„le scripserat, poterant inveniri, non talibus proferentibus, „qui ea per seriem successionis reperirentur, rite servasse?

Et

Et Tertull. de habitu mulierum, cap. 3. In armarium Judai- „
cum non admittitur. Epiphanius autem de aliis διὸ οὐδὲ ἐν „
τῷ ἀαρὼν (ἀρῶν ארון quod arcam notat) ἀνετέθησαν, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἐν τῇ
τῆς διαθήκης κιβωτῷ. In arca enim libros canonicos repositos
fuisse sentire videtur.

Cum verò nonnulli veterum hos libros canonicos vocant, id non propriè & simpliciter, verum κατά τι est accipiendum. Atque hoc discrimen ex ipso veteris Ecclesiæ more fit planum. Apocryphi enim illi & ὁμωνύμως dicti canonici, in Ecclesiæ cœtu, de gradu Lectorum recitabantur populo. At quorum vere divina autoritas de ambone sive de gradu Episcoporum & Presbyterorum ab ipsis Episcopis & Presbyteris ecclesiæ prælegebantur.

Sectio III.

Hactenus actum de sacris Judæorum bibliothecis. Profanæ sive politicæ, itidem ut priores vel publicæ erant vel privatæ. Publicæ tum in templo, sive sanctuario: tum in synagogis. In templo servabantur constitutiones regni, quas Samuel, cum Saulem in regem unxisset, conscripserat, & coram facie Domini deposuerat. 1. *Sam. 10.* ℣. 25.

Ad hanc classem referendi sunt libri illi quorum quidem in scriptura mentio fit, hodie tamen desiderantur, qui quamvis θεοπνεύστως conscripti sint, tamen ad canonem fidei & morum non pertinebant. Itaque quamvis libros aliquos canonicos periisse acriter negemus, θεοπνεύστως tamen vel θεοπνεύστως conscriptos quosdam intercidisse, sed absque canonis detrimento, statuimus. *vide Rivet. Isagog. ad S. Script. cap. 6.* Tales sunt: Liber recti. *Josuæ* 10. de quo supra *cap. 2.* ubi eum inter sacra etiam carmina retulimus. Liber Chronicorum regum Mediæ & Persiæ. *Est.* 10. Verba Chozai. 2. *Chron.* 33. Alii, inter quos Belgæ Interpp. *videntes* interpretantur. Epicedia 2. *Chronic.* 35. 25. Liber regum & Chro-

 nico-

nicorum ab iis, quos habemus diversus & passim in illis citatus. Cantica Salomonis, ejus proverbia &c. 1. *Reg.* Scripsit enim Salomo libros de naturis & proprietatibus animalium, herbarum, & gemmarum, quos tradunt hebræi, Alexandrum, capta Hierosolyma, præceptori suo Aristoteli transscribendos concessisse. Fuit & Salomonis liber remediorum cujusvis morbi, vestibulo templi, si credere fas est, incisus, eum evellit Ezechias rex, quod populus neglecto Deo inde morborum curationem peteret. *Scindl. Lexic. Rad.* ספר *Hotting. thes. philol. lib. 2. cap. 2. Sect. 2.* Quod verò nonnulli ut Josephus, *antiquit. lib. 8. cap.* 2. tradunt eum libros de artibus magicis, de geniis evocandis, &c. scripsisse, in eo sane Salomoni maximam faciunt injuriam, cum hoc ab hujus regis & sapientia, & in Deum pietate alienissimum sit. *Camer. Hor. subc. cent. 3. cap. 9.*

In singulis etiam synagogis codex publicus asservabatur, in quo nomina, tribus & parentes infantium circumcisorum, una cum anno, mense & die circumcisionis annotabantur, ad certitudinem & fidem originis, & ætatis cujusque tetinendam. Qui mos etiam a christianis servatur, ut nomina & tempora baptizatorum, a ministris, in volumine parœciæ authentico, scribantur. Hac in parte Deus in populo suo peculiarem curam geri voluit. Sed in genealogiarum enumeratione, quæ omnibus Israëlis posteris communis fuit tribus Judæ singulare quoddam privilegium habuit.

Omnes Israëlis nepotes in tribus suas a patriarchis denominatas, tributi sunt. Quæ tribus (שבטים) suas continebant משפחות familias, quæ ipsæ in suas domos (בתים) & hæ in (גברים) viros, seu patresfamilias tributæ sunt. *Jos.* 7. ℣. 14. Ideo virgo ἐπίκληρος jubetur nubere alicui e familia tribus suæ paternæ, ne averteretur possessio e tribu una in in tribum alteram. *Num.* 36. Hæc tribuum illarum duodecim

eim diſtinctio obtinuit in Ægypto. *Exod* 6. *v.* 13. *ſeq.* in deſerto. *Num.* 1. 26. *Deut.* 33. In terris Amoræorum & Cananæorum, ac earum diſtributione per Moſen & Joſuam. *Num.* 32. *Ioſ.* 15. *& ſeqq cap.* Manſit eadem diſtinctio temporibus Judicum & Regum. At poſt illa tempora, non eodem temporis momento, ſed per intervalla, quod commune hactenus beneficium fuerat, diſtinctio tribui Iudæ facta eſt privilegium, quando aliæ tribus eam amiſerunt. Primum enim Reges Aſſyriorum Phul regnante Menahemo. 2. *Reg.* 15. *v.* 19. Tiglath Pileſer regnante Pekah. *v.* 29. In Aſſyriam & Mediam captivas duxerunt tribus Rubenis, Gadi & mediam Manaſſis. 1. *Chron.* 5. 6, 26. hic etiam totam tribum Naphtali 2. *Reg.* 15. 29. Deinde Salmanaſſer ultimo Rege tribuum Iſraëlis devicto, & occupata Samaria, reliquas ſex & mediam eodem deportavit. 2. *Reg.* 17. 6, 13 *&* 18. 11. Deſiêre tunc decem illarum tribuum familiæ ab invicem diſtingui, quòd genealogiæ in iſta calamitate univerſali periiſſent. Has decem tribus habuiſſe libros ſuos genealogicos teſtatur liber 1. Chron. 9 1. וכל ישראל הת יהשו והנם כתובים על ספר מלכי ישראל *Et omnes Iſraëlitæ juxta genealogias recenſiti fuerunt, atque ecce eos ſcriptos in libro Regum Iſraël*: non dicit inſcripta ſtemata על ספר רכרי חימים למלכי ישראל. *Libro Chronicorum Regum Iſraëlis*, ut partem fecerint hiſtoriæ regum; ſed libro regum Iſraëlis, ut ſignificaretur peculiarem librum fuiſſe regicus, in quo quorumcunque ſubditorum ſuorum genus & ſucceſſionem perſcribi curaverunt. Multi quidem iſti cladi ſuperfuerunt, qui genus ſuum ex aliqua deportatarum tribuum deduxerunt, ut videre eſt, 1. *Chron.* 9. 2. 3. 2. *Chron.* 30. 11. 18. *&* 31. 1. *&* 34. 6. 9. 17. 18. 33. 2. *Reg* 18. 4. 9. 10. 11. *Nehem.* 9. 1. 2. 3. Anna Prophetiſſa filia Phanuelis ex tribu Aſer. *Luc.* 2. 36. ex qua etiam nonnulli recitantur 1. *Chron.* 37. 30. *& ſeqq.* Non negamus aliquos, eos maxime, qui, reliquis tribubus ultra Euphratem migrantibus, in Judæam conceſ-

concesserunt, accuratiorem generis sui genealogiam conconservasse: sed multis partibus plures, ex authenticis & fide dignis instrumentis, continuam & non interruptam generis sui seriem demonstrare non potuerunt. Sic *Ez.* 2. 59. *Nehem.* 7. 61. in catalogo eorum qui duce Zorobabele redierunt in terram Israël, sic legitur: *Hi sunt qui ascenderunt ex Telmelach Telcharscha Cherubb Addan Immer; neque potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen eorum, essetne ex Israële. Filii Delajæ, filii Tobiæ, filii Necodæ, sexcenti quinquaginta duo.* Constabat hisce de parentibus non admodum remotis, de Delaja, Tobia, Necoda: sed non sufficiebat istud: ostendendum porro erat, qua familia certæ alicujus tribus quisque contineretur, & quod semen, qui posteri fuissent illius familiæ agnosceret. Neutrum hisce liquebat, erantque aliis Israëlitis infeliciores, quia ne quidem memoriam conservarant nominis tribui suæ proprii. Reliquæ sunt tres tribus Israëlis, scilicet Judæ, Benjaminis, & Levi, quibus generis sui certa & continua successio mansit. Tribus Judæ ab aliis distincte censebatur, cum Saul Jabesitas liberaturus 1. *Sam.* 11. 8. & Amalekitas deleturus esset, 1. *Sam.* 15. 4. Hoc jus Judæis competebat ex vaticinio Jacobi patriarchæ moribundi, *Gen.* 42. 10. *Non recedet tribus* (שבט) *a Juda*: Ut nempe certo sciri posset, ex qua familia & tribu Messias originem suam duceret. Hæc distinctio majori cura observata est, cum hæc tribus regia evasit; regno a Saule ad Davidem ejusque posteros translato. Conservata proinde genealogiarum notitia, usque ad captivitatem Babylonicam. Ipsi prophetæ huic curæ vacasse leguntur. 2. *Chron* 13. 22. memoratur מדרש הנביא ערו *commentarius prophetæ Iddonis gestis regum describendis destinatus*: De eodem vero libro refertur *Cap.* 12. 15. quod continuerit דברי ערו החוזה להתיחש *verba Iddonis videntis ad genealogias recensendas*, quia regum aliorumque, ad regnum Judæ pertinentium, stemmata eo volu-

volumine descripsit, ceu populi historicus. *Confer. Chron.* 26.22. Quin etiam reges hanc curam sollicitos habuisse docent exempla memorata 1. *Chron.* 15.17. Eadem tribus distinctio in captivitate conservata est. Josephus enim autor est *Lib. 11. antiq. cap. 4.* cum reditus Hierosolymam indulgeretur, duce Zarobabele, delectos qui una irent ex sua quemque tribu, & selectum ex singulis φρατρίαις, ceu cognationibus numerum, reliquâ multitudine Babyloniam deserere recusante. Conservata etiam post captivitatem. Argumento sunt indices genealogici apud Ezram, Nehemiam, & in primi libri chronicorum primis capitibus recitati, queis continuata familiarum in tribu Juda distinctio confirmatur. *Huc facit quod Cl. Jac. Altingius in Schilo libro quarto, cap. 2. refert ex R. Salomone Jarchi in 1. Chron. 8.29. Ezram* nempe tres libros invenisse; ספר מענין librum pauperum seu afflictorum, ספר זאטוסי librum magnatum, ספר האחים librum fratrum. Quorum illo plebejorum, isto illustrium & patriciorum nomina & memoriam conservatam, hoc omnes promiscuè familias & cognationes consignatas fuisse verisimile est. Nec dispar hac in parte fuit felicitas seculis sequentibus, postquam ex Babylone in terram suam rediissent. Licet enim in libris prophetarum ejus rei, utpote ad politiam potissimum pertinentis, nulla mentio, dubitare tamen nos non sinit universalis illa ἀπογραφὴ, quæ juxta Cæsaris Augusti edictum instituta est: tunc enim singuli sese in primitivæ gentis suæ sede sistebant, ut describerentur. *Luc. 2.* quæ tabulæ censoriæ Romam delatæ sunt. *Vide infra cap. 6. de Biblioth. Rom.* Tales tabulas genealogiam Christi, evangelicis recitationibus similem, continentes inventas esse, testatur *Euseb. hist. Eccles. lib. 1. cap. 6.* Benjaminem quod attinet, quicquid hujus habuit, id omne tribui Judæ acceptum ferre debet, cum qua in unum quasi coaluit, tanquam quædam accessio. Mardochæus vir Jemini, hoc est, Benjaminita vocatur

איש.

איש יהודי vir Judæus. *Esth.* 2. v. 5. similis ratio circa tribum Levi. Quæ portionem hæreditariam in terra Canaan non habuit, sed per omnes tribus dispersa in assignatis sibi civitatibus habitabat; scisso regno, & cultu vitulorum per Jeroboamum instituto in civitates Judæ concesserunt, & cum tribu Judæ genealogias suas conservarunt. Accedit recensio illa Davidis regis, qua in certas classes, ad ministeria obeunda, distributi sunt Levitæ, unde in archivis successiones eorum consignatæ & conservatæ sunt. Sic Zachariæ genus notum erat, & Josephus se sacerdotali genere ortum potuit comprobare, quia genealogiam suam reperit ἐν ταῖς δημοσίοις δέλτοις ἀναγεγραμμένην, *in descript. vitæ suæ.* Præterea ecclesiæ de probatis doctoribus constare debuit, ne aliqua inquinamenti suspicio illis fraudi foret, aut fama de familia profanis inquinata sive functioni, sive successioni adversaretur, qua de re apud *Esram.* 2. 62. & *Nehem.* 7. 64. *Filii Barsilai quæsierunt* כתבם המתיחשים & *non invenerunt & ejecti sunt de sacerdotio. Et dixit Athirsatha eis, ut non comederent de sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos cum Urim & Thummim.* Adeo ut a sacerdotio arcerentur in perpetuum, quia, utrum natales eorum satis essent puri, non satis constabat. Traditum est, hanc controversiam a Synedrio in לשכת הגזית judicari solitam esse, qui causa cecidissent vestibus induti nigris atque exautorati cum ignominia ex atrio excesserunt, sin vicissent, albati per hominum ora se extulerunt, atque e vestigio munus sacrum cum collegis administrarunt. *Cun. de repub. Hebr. lib.* 2 *cap.* 8. Vide etiam *Altingii Schilo lib.* 3. *cap.* 10. & *seqq.*

Huc referendum est, quod ex Suida narrari solet, nempe, Jesum Servatorem nostrum, propter singularem pietatem ac doctrinam, in sacerdotem fuisse electum, ejusque nomen, audito Mariæ ac obstetricum testimonio, his verbis in sacerdotum album relatum esse: JESUS FILIUS DEI VIVI

VIVI ET VIRGINIS MARIÆ. Librum ex Hierosolymitano excidio, Tiberiadem translatum, ibique absconditum latuisse. Multa huic narrationi fidem derogant: imprimis, quod Servator noster nunquam in sacerdotum Leviticorum collegium cooptatus sit, aut cooptari potuerit. Fuit enim ex Juda, cui tribui nihil de sacerdotio locutus est Moses. *Hebr. 7. 14.* Neque hic finis erat adventus Jesu Christi, ut per sanguinem taurorum atque hircorum in manufactum sacrarium ingrederetur; sed ut per proprium sanguinem, æterna suis libertate partâ, in cœlum introiret, *Hebr. 9. & 10.* Hos verò omnes libros genealogicos Herodes alienigena Judæis imperans, ne generis ignobilitas patesceret, flammis abolevit. *Euseb. hist. Eccl. lib. 1. cap. 6.* Locum Patricidæ Patriarchæ Alex. *vid. apud Hotting. thes. philol. pag. 176.* sed tamen planè eos extirpare non potuit, cum multi & præcipue illi, quos demissâ à proavis nobilitas commonebat, hujusmodi libros conservarent, in quibus & servatoris Jesu Christi genealogia his quæ in evangelio habentur similis, inventa est. *Euseb. loc. cit.* Hinc illæ inutiles de genealogiis controversiæ, de quibus Paulus: 1. Tim. 1. 4. Tit. 3. 9. *vid. Camer. hor. subc. cent. 3. cap. 8.* Atque huc quidam referunt pugillares Zachariæ, in quibus filii sui Johannis nomen scripsit. *Luc. 1. 36.* sed alii tabellam cerâ illitam volunt fuisse, in quâ stylo scribatur, Græcè πινακίδιον. *Sixt. Senens. biblioth. sanct. tom. 1. lib. 2.* Eleganter Tertullianus *de idololat. cap. 23. At Zacharias temporali vocis orbatione multatus, cum animo collocutus linguam irritam transit, manibus suis à corde dictat, & nomen filii sine ore pronunciat, loquitur in stylo, auditur in cerâ manus omni sono clarior, litera omni ore vocalior.* Mentio fit *Josuæ 15. 15.* urbis in extremis finibus tribus Jehudæ, ubi attingit Simeoniticæ tribus hæreditatem, ubi & bibliothecæ & scholæ fuisse videntur ex notatione nominis, dicta enim erat קרית ספר *urbs literaturæ, LXX.*

πόλις γραμμάτων urbs literarum ſeu Academiæ. Lingua Phænicia קרית סנה aliàs דביר *Joſ. 15. 15. 16. Jud. 1. 11. 12. coll. Joſ. 15. 49.* סנה ex Hebr. שנן acuere, exquiſitè docere. Chaldæus reddit קרית ארבי urbs Archivorum. Vox דביר etiam oraculi locum, & ſecretioris conſilii ſignificat, adytum templi *1. Reg. 6. 19.* Hæc ergo civitas Athenæ erant Phœnicum, adytumque ſapientiæ ipſorum.

Ante templi devaſtationem, Bibliothecarum curam habuiſſe Judæos docet Hottingerus, *compend. Theol. Jud. cap. 5. ſect. 3. in fine*, ex præfatione libri הישר, quem commentarium Hiſtorico-Chronologicum in Pentateuchum raro admodum reperiri, ſibique à Judæo commodatum dicit: in quo mentio fiat ſolii reperti à Duce quodam Romano, in quo ספרים רבים תורה נביאים: וכתובים וגם ספרים מלכי ישראל ולמלכי העמים וספרים אחרים רבים לישראל וכן ספרי וגו הנשמה *Libri multi, Lex, Prophetæ, & hagiographa & etiam libri Regum Iſraëlis, & Regum populorum, & libri alii multi Iſraëlis, quinetiam libri Miſchna! &c.*

Privatim autem unusquisque ſibi Bibliothecam habuit, quod præſertim neceſſe fuit, poſtquam Herodes publica genealogiarum monumenta vaſtaſſet, tunc enim intra privatos parietes quæri debuit, quod publicè non licebat, hac de cauſa celebratur R. Iſaac Cordubenſis, homo opulentus, tanquam ſtudioſus augendæ ſupellectilis librariæ. *Hotting. hiſt. Eccl. part. 3. pag. 261.* Nam poſtquam Judæi ex terra ſua expulſi & templum ſecundum vaſtatum eſſet, ſenſim etiam Academiæ tum in terra Iſraëlis, tum etiam in Babylonia defecerunt, tandemque ultimum ſuum refugium habuerunt in Hiſpania, ubi R. Moſes cum filio Chanoch, factus eſt Judex Synagogæ Cordubenſis; ſed hæc Academia unum ſeculum vix ſuperavit. Adeoque univerſale eſt & gentis & cholarum ejus excidium. *Hotting. loc. cit. Alting. Schilo lib. 4. cap. 5.* Hodiernæ enim Judæorum reliquiæ non poſſunt

sunt certò indicare, præsertim in hac ipsorum diuturna captivitate, è qua tribu quisque originem ducat. Multo minus utrum aliquis ex tribu Judæ superstes sit, nec ne. Licet se in hac re tam ignaros non esse glorientur, quin reliquias tribus Judæ demonstrare possint. R. Isaac Abarbanel se ex Davidis posteris esse jactat, & prosapiæ Davidicæ πλημμέλειαν facit excellentiam & gloriam supra reliquos Judæos, & præfecturam ac gubernationem aliqualem supra illos, quod argumentum quam infirmum sit per se patet, & demonstratur ab *Altingio Schilo lib. 4. cap. 2.*

Hodie verò Judæorum libri ex Thalmudicis fabulis & Cabbalisticis nugis fere consuti sunt. Catalogum exhibet *Buxtorf. in Biblioth. Rabbin. & in fine thes. grammat.* Amstelodami Bibliotheca Judæorum satis locuples, testis oculatus Hottingerus *comp. Theol. Jud. cap. 5. sect. 3. fin.* Sunt & aliæ Judæorum sectæ, à communibus Thalmudistis discrepantes, Samaritani, de quorum origine agitur 2. *Reg. 17.* Hi solum Pentateuchum Mosis pro infallibili Dei verbo recipiunt, jactantque se unum habere ex autographo descriptum in diebus Phineas, filii Eleasar, quod adhuc in Sichem ad montem Charisim servatur. Reliquos libros historicos & Propheticos, ut & traditiones ἀγράφους non agnoscunt. Causa hæc videtur, cum schisma inter 12. tribus fieret, Canon Veteris Testamenti nondum erat constitutus; nec enim omnes libri historici, & ex Propheticis vix ulli exstabant, cum Prophetæ sub Regibus Judææ ut plurimum prophetarent, eorumque Prophetiæ in templo tantum servatæ essent. Reliquæ tribus quæ sub alio erant regimine, istiusmodi libros parum curabant, cum propter dissidium quod indies augebatur, tum quod Prophetæ multa contra decem tribus & Reges Israël ob cultum Dei corruptum vaticinabantur. Imò cum non ante Ezræ tempora, à viris Synagogæ magnæ, canon in hodiernam formam redactus sit,

 imò,

imò, ut quibusdam placet, post Antiochi demum tempora, non mirum est Samaritanos, qui tum præsertim capitales inimicitias cum Judæis exercebant, omnes libros præter Pentateuchum, quem antiquitus semper habebant, rejecisse. Adde quod libri Prophetici & historici, licet in templo asservarentur, atque à sacerdotibus & doctis legerentur, omnibus tamen non ita noti erant ut quidem Pentateuchus. *Leusd. philol. mixt. disp.* 8. *Cunæus de rep. Hebr. lib.* 2. *cap.* 16. *Walton. diss. de linguis oriental.* §. 20.

Deinde Carræi, (à קרא) Judæorum factio quædam, cordatior, qui etiam spretis hominum commentis, Thalmudica præcepta pro nugamentis habent, & nihil admittunt, nisi sacri codicis contextum; sed id hominum genus cæteris Judæis invisissimum est. Itaque cum sint oppido pauci, sed ad unum omnes ditissimi, filias suas, cum dote summa, vix dare nuptum queunt. Et si accideret ut Christianus & Carræus demergerentur unà, pari utriusque salvandi potestate, pontem se effecturos corpore Carræi, ad salvandum Christianum, Judæi profitentur. Tales multi in Polonia, Russia, & Turcia adhuc hodie inveniuntur. A Sadducæis orti legem moralem adeo horrent, ut etiam puncta vocalia libris suis asscribi non patiantur, quia illa pro parte hujus legis habent. Nec usuras exercent ut reliqui Judæi, qui Carræum ad se venientem non recipiunt, nisi prius ad Turcas vel Christianos deflexerit, & hinc ad eos redeat, defæcato scilicet probè Carraismo. Imò quem librum legis hi pergameno vel corio inscribunt, ideo quòd à Carræo scriptus est, profanum æstimant. *Hornb. contra Judæos pag.* 16. 73. 531. *Cunæus de Rep. Hebr. lib.* 3. *cap.* 8. *Drus. quæst. Hebr.* 44. *lib.* 1. *Hotting. hist. Eccl. nov. test. parte* 3. *pag.* 933. *Buxt. Synag. Judaic. edit. post. cap.* 1. Horum libri admodum pauci sunt. Seldenus in hisce literis versatissimus, duos tantum vidit, unum typis impressum Constantinopoli, anno Mundi 5342.

juxta eorum calculum, seu Christi 1582. dictum שער יהודה *porta Jehuda*, qui agit de incestu & concubitu illicito; Authore R. Jehuda Poki מערת בני מקרא ex cœtu seu secta Judæorum scripturariorum: Alterum M.S. Eliæ seu Mose, qui & subinde se vocat בכר משה מנגרויא filium honorati Rabbini Mosis Candiensis, forte pro Cretensis. Scripsit tractatum ex receptissimis sectæ suæ sententiis desumptum, ac in סדרים *Sedarim*, seu ordines distributum. *Seld. dissert. de anno civili Judæorum cap. 2.* Cudworth, in tractatu Anglico de cœna Domini, antiquum commentarium in Pentateuchum, à Karraitis scriptum, se vidisse testatur. Hottingerus, *comp. Theol. Jud. cap. 1. §. 3.* ex familiari epistola Rittangelii, in Karræorum manibus scripta quædam ἀνέκδοτα esse refert, tam elenchtica, quam historica, de Servatore Jesu, ejus discipulis, occultis, manifestis, passione, quam omni nisu impedire voluerint. In Sinarum regno multi latitant, qui licet Judæorum nomen ignorant, ex Israëlitis tamen, hoc est ex decem dispersarum tribuum reliquiis esse videntur. Nam & Synagogas habent, & Mosis Pentateuchum voluminibus involutum, magna veneratione, annos jam quingentos aut sexcentos servant, & sermonis imperiti non sunt. Unus eorum qui Sinensia studia majore cura amplexus, Hebræa fere neglexerat, Regia tamen Biblia Plantinianis typis excusa cum vidisset, quamvi legendi ignarus, characteres tamen Hebræos agnovit. Sanè Pentateuchus in eorum Synagoga servatus, eosdem characteres, sed sine punctis habuit, & cum nostro collatus, idem repertus est. *Nic. Trigaut. de Christ. exped. apud Sinas lib. 1. cap. XI.*

Extiterunt etiam inter gentiles & christianos Antiochi quidam, qui & populum hunc, & libros ac Bibliothecas ejus exitio dareut. Inter afflictiones ab iis numeratur, quod ab hostibus suis decretum sit, ne Judæi legem lectitarent. *Cun. de Rep. Hebr. lib. 1. cap. 18.* Anno Christi 1553.

 duo-

duodecies mille volumina Hebraica Cremonæ exusta sint, pariterque per universam Italiam sævitum. *Windet. de vita functorum statu pag. 21.* Thuanus *lib. 2. comm. de vita sua* narrat, se in urbis Carcassonnæ complures Hebraicis literis manu scriptos codices vidisse, quos illuc congestos esse judicat, cum Judæi toto Galliæ regno, atque illis locis exterminati sint.

De lectione autem & possessione librorum Thalmudicorum Christianis interdictâ agit *Seldenus de Success. ad leges Hebræorum in fine prolegom..* Hæc quidem interdictio à Christianis gravibus de causis sancita, cum Judæos recentiores blasphemias nimis frequentes emovere observarent, magnum etiam incommodum secum traxit, cum ea etiam simul sublata sint, & è Judæorum libris expurgata, quæ scire Christianorum intererat, & sensus planè mutilus multis in locis relictus. Tum etiam a Judæis multi libri, ne in manus Christianorum pervenirent, clam habiti, quod facilè factu fuit, eo præsertim tempore, cum libri alicujus nondum typorum beneficio propagati, pauca admodum & singularia forsan exemplaria reperirentur. Cui malo occurri non potest, nisi in manus nostras inciderint vetusta & incorrupta ejusmodi librorum exemplaria, sicut commentarius Kimchi in Prophetas (quos vocant) posteriores, incidit in manus Pocokii. Vide ejus *notas miscel. cap. 8. pag. 319. & seqq.* Utrum libri Thalmudici omnes sint abolendi ac comburendi; an verò conservandi multis disputatur apud Majolum, *dier. canic. tom. 3. colloq. 1.* quomodo autem Theologo Christiano usui esse possint, lege apud Hottingerum, *thes. Philol. lib. 1. cap. 2. pag. 245.*

CA-

CAPUT IV.

De Bibliothecis Chaldæorum, Arabum, Phœnicum, Ægyptiorum, &c.

ANtiquitatem solis Hebræorum voluminibus debitam etiam aliæ gentes affectarunt. *Plinius lib. 30. cap. 1.* vult Zoroastrum multis annorum millibus ante Mosen vixisse. Hermippus qui de totâ arte Magicâ diligentissimè scripsit, vicies centum millia versuum à Zoroastro condita, indicibus quoque voluminum ejus positis, explanavit. Ad hanc artem discendam Pythagoras, Democritus, Plato exilia verius quam peregrinationes suscepere. Democritus Apollonicem Captidenem & Dardanum è Phœnice illustravit, voluminibus Dardani in sepulchrum ejus petitis, suis verò ex disciplina eorum editis, quæ tamen esse ejus quidam inficiantur: Eodem errore fascinati fuerunt Ægyptii, de quibus Augustinus *de C. Dei lib. 18. cap. 40.* „Frustra itaque vanissimâ præsumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem si-„derum comprehendit Ægyptus, amplius quam centum„annorum millia numerari. In quibus enim libris istum„numerum collegerunt, qui non multum ante anno-„rum duo millia literas Magistra Iside didicerunt? Nonenim pravus author est in historiâ Varro, qui hoc prodidit,„quod etiam â literarum divinarum veritate non dissonat.„Cum enim ab ipso primo homine, qui est appellatus A-„dam, nondum sex millia annorum compleantur, quomo-„do non illi ridendi potius quàm refellendi sunt, qui de spa-„tio temporum tam diversa, & huic exploratæ veritati con-„traria, persuadere conantur? Cui enim narranti melius„prætenta credimus, quam qui etiam futura prædixerit,„quæ præsentia jam videmus, nam & ipsa historicorum in-„ter se dissonantia copiam nobis præbet, ut eis potius cre-„dere debeamus, qui divinæ, quam tenemus, non repu-„gnant

gannt historiæ, &c. „Eandem sapientiæ antiquitatem jactarunt Chaldæi. *Diod. Sicul. lib. 2. cap. 29. 30. 31. Amm. Marcell. lib. 23. & alii.*

Erroris hujus causam indicat *Lactantius lib. 7. cap. 14.* „Plato & multi alii Philosophorum cum ignorarent originem „rerum, supremumque illud tempus, quo mundus esset „effectus, multa millia seculorum fluxisse dixerunt, ex quo „hic pulcherrimus mundi exstiterit ornatus, sicuti fortasse „Chaldæi, qui (*ut Cic. tradidit in lib. 1. de divinatione*) qua„draginta & septuaginta millia annorum monimentis com„prehensa se habere delirant. In quo quia se posse argui „non putabant, liberum sibi crediderunt esse mentiri. Verius est gentes illas à Patriarchis peregrinantibus varias artes, quin etiam aliquam veri Dei cognitionem multasque externi cultus ceremonias didicisse: De circumcisione manifestum est, quam Abrahamo à Deo injunctam in signum fœderis *Gen. 17.* multi Orientis populi, ut Diabolus solet esse simia Dei, imitati sunt; ut Saraceni, Colchi, Æthiopes, Ægyptii, Troglodytæ, Syri, Phœnices, Arabes, &c. Semi & Eberi posteri inter Chaldæos versabantur, ideoque hi ab illis ad idololatricos cultus abducti, ut de Abrahamo & patre ejus Thara testatur liber Josuæ *cap. 24. 6.* Dei jussu Abrahamus migravit ex Ur Chaldæorum Gen. 11. 12. & seqq. quo nomine locum nativitatis & habitationis ejus indicari credimus, non admittentes fabulas Judæorum, quod scilicèt Abrahamus simulacra, quæ pater vendebat, securi perfregerit, propterea ad regem Nimrodum delatus, in ignem conjectus, & ab angelo Gabriele liberatus sit. Quamvis certum sit ignem ab illis gentibus cultum, quod etiam Persæ didicerunt, imò ad omnes fere totius terræ gentes transiit. In Africa Jarbas *vigilem sacraverat ignem Excubias Divum æternas* Æneid. 4.

Trojani, & eorum nepotes Romani, ignem Vestalem colu-

coluerunt sacrum gentilibus antiquissimum; Nam Armenii Noachi uxorem Thyteam dixerunt Aretiam, id est terram ab ארץ: & eandem Estam, id est ignem, ab אש, post mortem cognominarunt, quia ipsa regina sacrorum fuerat, & puellas docuerat sempiternum ignem sacrorum servare. *Gesner Mithid. fol. 11.* Esta & Vesta, ut voce, sic significatione conveniunt, Vesta enim & ignem & terram denotat. *Ovid. 6. Fastorum,*

Nec tu aliud Vestam quam vivam intellige flammam, Item,
Stat vi terra suâ, vi stando Vesta vocatur.

Apud Germanos olim Tanfanæ templum fuit, quod quidam ἐτυμολογίζων, *'t aenfanck*, quod nostra linguâ principium rerum. At Britanni prisci suâ linguâ *Tan* ignem vocant. Alii verò, per Tanfanam sive Taufanam, Dianam intelligi volunt, alii ipsum aërem sive cœlum, vide *Boxhorn. dissert. de linguis Gr. Rom. & Germ. in fine. Loccen. antiq. Sueogoth. cap. 3. lib.* Apud Samogitas in vertice montis ad fluvium Nauvassam olim perpetuus ignis à sacerdote conservabatur in honorem Pargni, qui tonitruum & tempestatum potens â superstitiosa gente creditur, ut notat *Johannes Meletius epistola ad Georgium Sabinum de religione & sacrificiis Borussorum.* De idolo Perun, ejusque cultu. *Voss. de idol. lib. 3. cap. 8.*

Cœlestes ignes Sol & Luna è gentilibus sub variis Deorum & Dearum nominibus colebantur. Sol idem qui Apollo, Liber, Jupiter, qui etiam Lucetius, Diespiter, qui lucis & diei pater dicebatur, & Cretenses τὸν ἡμέραν Δία vocabant; Luna autem Juno, Diana, Ceres, &c. *Vide Servium ad 1. Georg. versu 5. Festum in voce Lucetius. Macrob. lib. 1. cap. 15. & 17. A. Gell. noct. attic. lib. 5. cap. 12.* Nec Romani in sacris tantum ex Numæ Pompilii instituto ignem coluerunt, sed etiam Imperatores, ritu Persico, honoris causâ eum sibi præferri voluerunt; testis Herodianus non uno loco & Ho-

ratius *lib. 1. Satyr. 5.* ridet Aufidium Luscum, qui in Fundis, exiguo municipio, Romanorum Magistratuum insignia gerebat;

Prætextam & latum clavum, prunæque batillum. vide Lipsium *de Vesta & Vestalibus.* Et de variarum gentium πυρολατρεία, Spicelium de Israëlitis Americanis. pag. 88. & seqq.

Sed diutius quam par est circa Ur Chaldæorum hæsimus, præsertim cum meliora edocti simus, scilicet Ur Chaldæorum nihil aliud esse quam civitatem Chaldæorum (q. אור idem sit quod עיר) *Euseb. de præparat. Evangelica lib. 9. cap. 4.* ex Eupolemo refert: Abrahamum extitisse ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας, ἥν τινας λέγειν Οὐρίην, εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην Χαλδαίων πόλιν Ur Chaldæorum itaque est Chaldæopolis vel Camarina, consule *Heidegg. hist. Patriarch. tom. 2. exerc. 3. §. 5.* Chaldæi verò iidem qui Camarini, illi nempe qui כמרים vocantur, *2. Reg. 23. 5. Hoseæ 10. 5. Zephan. 1. 4.* hoc est astrorum & fastorum consulti Pontifices, Mathematici, Genethli, &c. quos Jobus *c. 3. 4.* vocat במרירי יום & deinde אררי יום, item עתידים לויתן ערר Præfectos scilicet Fastis, ad damnandos dies infaustos & mali ominis, qui monstra (לויתן monstrum marinum) ab orco excitare soliti, magicis suis artibus humanæ vitæ dies interpungunt. Hi à priscis latinis *Camilli* vocabantur (voce à Chamar per diminutionem deductâ, ut à puer puellus) & omnium rerum sacrarum erant administri: Pueri & puellæ nobiles ἀμφιθαλεῖς Et Mercurius, à ministerio, apud Græcos Camillus est appellatus, teste *Plutarcho* in Numa. Vide *Drus. animadv. lib. 1. cap. 19. Voss. de idolol. lib. 2. cap. 57. & 64.* Migremus tandem cum Abrahamo in Mesopotamiam. Is in sua peregrinatione fuit potentissimus, adeò ut 318. vernas armare & in prælium educere potuerit. *Gen. 14.* Nec absque ratione ab incolis terræ נשיא אלהים dictus sit. *Gen. 23.* Ideoque nominis sui famam per finitimos latissime circumtulit.

tulit. Hic eſt à quo Phœnices literas didiciſſe videntur, earum antiquiſſimi cultores habiti, *Lucan. 3.*

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, in ſaxis tantum volucreſque feræque
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.

Plinius Hiſt. natur. lib. 30. cap. 1. & ex eo Crinitus de honeſt. diſcipl. lib. 9. cap. 1. teſtatur è ſepulchro Dardani Phœnicis magi volumina quædam è Democrito Adberite eruta eſſe.

In iisdem regionibus habitabat Bileamus vates, cujus origo, juxta quoſdam, ducitur à Nachore fratre Abrahami *Gen. 11. Num. 22. & 23.* Patria ejus פתור dicitur, à פתר interpretari, quia forte juxta flumen, id eſt Euphraten, ſcholas quaſdam inſtituerit. Credibile eſt Bileamum ſua vaticinia ſcripto conſignaſſe, eaque inter Syros aliosque Orientis populos aſſervata eſſe. Si enim Moſes ea in ſuo volumine annotare dignatus, quantò magis eorum memoriam inter ejus conterraneos cuſtoditam eſſe credendum eſt, apud quos magnum habitum eſſe Bileamum ex magnifica Balaaci Moabitarum Regis ad ipſum legatione videre eſt *Num. 22.* Imprimis inſigne eſt illud vaticinium de ſtellâ ex Jacobo oritura, *Num. 24.* quo motos eſſe magnos illos orientales credibile eſt, ut propter exortam novam ſtellam tempore nativitatis Salvatoris noſtri, in Judæam proficiſcerentur, adoratum Regem Judæorum. *Baron. ad ann. 1. num. 22.*

Phœnices libros collegiſſe docet etiam Euſebius *de præparat. Evang. lib. 1. cap. 6.* ubi Sachoniato Phœnicum hiſtoriam, partim à ſingularum urbium annalibus, partim à libris qui dedicari ſolebant, collegit. Idem cum in Apocrypha Ammoneorum ſcripta, quæ in adytis reperta, nec omnibus nota erant, incidiſſet, omnium intellectum aſſecutus eſt, fabulas & allegorias veterum abjecit. Sacerdotes verò ſuc-

cedentes, hæc mysteria rursus celare, & in tabulas redigere conati sunt, quæ ad Græcos nondum pervenerunt. Omnis enim eruditio ad Græcos per Cadmum è Phœnicia oriundum pervenit. Isaacus & Jacobus iisdem in regionibus sunt peregrinati. Josephus autem à fratribus, per invidiam in Ægyptum venditus est, ubi jam tum erant arioli & ὀνειροκρίται. *Gen. 41.* Sed quin eorum sapientia, institutione Josephi plurimum aucta sit, dubitare non licet. Nam Pharao eum constituit, ut Seniores doceret sapientiam *Psal. 105. 22.* Imo ipsius Pharaonis pater dicitur, *Gen. 45. 8.* quo nonnulli referunt vocem a præconibus ante eum proclamari solitam אברך de quâ *vide Drus. quæst. Hebr. lib. 2. quæst. 71. Buxtorf. thes. gram. lib. 1. cap. 17.* Putant sanè multi Josephum sub nomine Serapidis ac Osiridis ab Ægyptiis cultum fuisse: Idque patet tum ex nomine Serapis, quod bovem notat; tum ex nomine Arsaph, quo Osiris vocabatur, levi commutatione ex Joseph factâ: tum in Hieroglyphicis, quibus Osiriden designabant, puta figurâ bovis seu vituli notis Lunæ & solis insigniti; Item juvenis imberbis cum modio & calatho in capite, quæ in Josephum, ejusque boves & spicas, & ætatem, atque astrologiæ peritiam ad amussim quadrant. Adi Vossium *de idolol. lib. 1. cap. 29.* Moses quoque Ἐπαιδεύθη τὴν πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων *Actor. 7. 21.* Fallit Philo, *lib. 1. de vita Mosis*, cum è Græcia magnis præmiis invitatos scribit viros doctissimos ad erudiendum Mosem: nullum enim tunc temporis Græcorum nomen erat, nulla apud eos exstabat sapientia, hanc enim à Barbaris doctoribus sed longe posterioribus acceperunt. Cadmus ex Phœnicia primus literas in Græciam intulit, qui diu post Mosem fuit.

De Ægyptiis *A. Gell. lib. XI. cap. 18.* quod genus hominum constat & in artibus reperiendis solers extitisse, & in cognitione rerum indaganda sagax. De eorum libris ridens ait Lucianus, agens de abigendo spectro, *in Philopseu-*

de.

de. Εἰσὶ δὲ μοὶ Αἰγύπτιαι μάλα πολλαὶ βίβλοι περὶ τούτων. Et de Memphitico scriba ibidem: θαυμάσιος τὴν σοφίαν καὶ τὴν παιδείαν πᾶσαν εἰδὼς τὴν αἰγύπτιον. *Vid. Amm. Marcell. lib. 17. cum not. Lindenbrogii. Apul. 6. Florid.* Judæos quidem superstitiosos, Ægyptios verò eruditos vocat: quorum tamen superstitionem ridet Juvenalis, *Sat. 15.* Ægyptiorum duplex sapientia apud *Justin. M. quæst. 25. ad orthodox.* & Heliodorum, *lib. 3. Æthiop.* quædam vulgata, humi serpens, simulachrorum ministra, circa mortuorum corpora volvitur, herbis intabescens, & incantationibus dedita, inutilis & fallax. Altera verò Sacerdotibus cognita, res cœlestes contemplatur, deorum convictrix, naturæ præstantioris particeps, astrorum motus inquirens, & futurorum præscientiam in lucro ponens, omnia ad honestatem & utilitatem hominum instituens. Adde Clem. Alex. *Strom. lib. 5.* ubi Ægyptiorum religionem, sapientiam, librosque varii generis ita recenset: πρῶτος μὲν γὰρ προέρχεται ὁ ᾠδὸς, ἕν τι τῶν τῆς μουσικῆς ἐπιφερόμενος συμβόλων. Τοῦτόν φασι δύο βίβλους ἀνειληφέναι δεῖν ἐκ τῶν Ἑρμοῦ. ὧν θάτερον μὲν ὕμνους περιέχει θεῶν. ἐκλογισμὸν δὲ βασιλικοῦ βίου τὸ δεύτερον. Μετὰ δὲ τὸν ᾠδὸν ὁ ὡροσκόπος ὡρολόγιόν τε μετὰ χεῖρα, καὶ φοίνικα ἀστρολογίας ἔχων σύμβολα πρόεισιν. Τοῦτον τὰ ἀστρολογούμενα τῶν ἑρμοῦ βιβλίων, τέσσαρα ὄντα τὸν ἀριθμὸν, ἀεὶ διὰ στόματος ἔχειν χρὴ, ὧν τὸ μέν ἐστι περὶ τοῦ διακόσμου τῶν ἀπλανῶν φαινομένων ἄστρων. τὸ δὲ περὶ τῶν συνόδων καὶ φωτισμῶν ἡλίου σελήνης. τὸ δὲ λοιπὸν, περὶ τῶν ἀνατολῶν. Ἑξῆς δὲ ὁ ἱερογραμματεὺς προέρχεται, ἔχων πτερὰ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, βιβλίον τε ἐν χερσὶ καὶ κανόνα, ἐν ᾧ τό τε γραφικὸν μέλαν, καὶ σχοῖνος ᾗ γράφουσι. Τοῦτον τά τε ἱερογλυφικὰ καλούμενα, περί τε τῆς κοσμογραφίας, καὶ γεωγραφίας, τῆς τάξεως τοῦ ἡλίου, καὶ τῆς σελήνης, καὶ περὶ τῶν ἐπιπλανομένων. χωρογραφίαν τε τῆς Αἰγύπτου, καὶ τῆς τοῦ Νείλου διαγραφῆς. περί τε τῆς καταγραφῆς σκευῆς τῶν ἱερῶν, καὶ τῶν ἀφιερωμένων αὐτοῖς χωρίων. περί τε μέτρων, καὶ τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς χρησίμων, εἰδέναι χρή. Ἔπειτα ὁ στολιστὴς τοῖς προειρημένοις ἕπεται, ἔχων τόν τε τῆς δικαιοσύνης πῆχυν, καὶ τὸ σπονδεῖον, οὗτος τὰ παιδευτικὰ πάντα, καὶ μο-

χρυσοφαγιστικὰ καλύμματα. δέκα δὲ ἐστὶ τὰ εἰς τὴν τιμὴν ἀνήκοντα τῶν παρ᾽ αὐτοῖς θεῶν, καὶ τὴν Αἰγυπτίαν εὐσέβειαν περιέχοντα οἷον περὶ θυμάτων ἀπαρχῶν ὕμνων, εὐχῶν, πομπῶν, ἑορτῶν καὶ τούτοις ὁμοίων. ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ προφήτης ἔξεισι, προφανὲς τὸ ὑδρεῖον ἐγκεκολπισμένος. ᾧ ἕπονται οἱ τὴν ἔκπεμψιν τῶν ἄρτων βαστάζοντες. οὗτος ὡς ἂν προστάτης τοῦ ἱεροῦ, τὰ ἱερατικὰ καλούμενα ι' βίβλια ἐκμανθάνει. περιέχει δὲ περί τε νόμων, καὶ θεῶν τῆς ὅλης παιδείας τῶν ἱερέων. ὁ γάρ τοι προφήτης παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοις, καὶ τῆς διανομῆς τῶν προσόδων ἐπιστάτης ἐστίν. δύο μὲν οὖν καὶ τεσσαράκοντα αἱ πάνυ ἀναγκαῖαι τῷ Ἑρμῇ γεγόνασι βίβλοι. ὧν τὰς μὲν λϛ' τὴν πᾶσαν Αἰγυπτίων περιεχούσας φιλοσοφίαν, οἱ προειρημένοι ἐκμανθάνουσι, τὰς δὲ λοιπὰς ἓξ οἱ παστοφόροι, ἰατρικὰς οὔσας, περί τε τοῦ σώματος κατασκευῆς, καὶ περὶ νόσων, καὶ περὶ ὀργάνων καὶ φαρμάκων, καὶ περὶ ὀφθαλμῶν, καὶ τὸ τελευταῖον περὶ τῶν γυναικείων. Καὶ τὰ μὲν Αἰγυπτίων ὡς ἐν βραχεῖ φάναι, τοσαῦτα. Hoc eſt. Primus enim procedit cantor, unum aliquod afferens ex ſymbolis Muſicæ. Eum dicunt oportere accipere duos libros, ex libris Mercurii: ex quibus unus quidem continet hymnos Deorum, alter verò rationes vitæ regiæ. Poſt cantorem verò procedit horoſcopus, qui in manu habet horologium & palmam, ſymbola Aſtrologiæ & ſigna. Eum libros Mercurii, qui tractant de Aſtrologia, qui quidem ſunt quatuor numero, oportet ſemper habere in ore. Ex quibus unus quidem eſt de ordine inerrantium, quæ videntur, aſtrorum, alius verò de coitu, & illuminatione Solis & Lunæ, reliqui de eorum ortu. Deinceps autem Scriba ſacrorum, pennas habens in capite & librum in manibus ac regulam, in qua eſt & atramentum ad ſcribendum, & juncus quo ſcribunt, progreditur. Hunc oportet ſcire & ea quæ vocantur hieroglyphica, & mundi deſcriptionem ac geographiam, & ordinrm Solis & Lunæ, & quinque errantium, Ægyptique chorographiam & Nili deſcriptionem, & deſcriptionem inſtrumentorum ornamentorumque ſacrorum, & locorum eis conſecratorum, menſuraſque, & ea quæ ſunt in ſacris utilia. Deinde

inde post eos, qui prius dicti sunt, sequitur στολιστής, id est ornator, qui justitiæ cubitum, & ad libandum habet calicem. Is scit omnia ad disciplinam & institutionem pertinentia, & quæ ad ritum mactandorum spectant vitulorum. Sunt autem decem quæ pertinent ad honorem eorum, qui sunt apud eos, Deorum, & Ægyptiam continent religionem, nempe sacrificia, primitiæ hymni, preces, pompæ, diesfesti, & his similia. Post omnes exit Propheta, qui apertè in sinus gestat hydriam, quem sequuntur qui emissos panes portant. Is, ut qui sit sacrorum præfectus, ediscit libros decem, qui vocantur Sacerdotales, continent autem de legibus, & Diis, & universa sacerdotum disciplina. Propheta enim apud Ægyptios præest etiam distributioni vectigalium. Sunt ergò quadraginta duo libri Mercurii, valde necessarii, ex quibus triginta quidem & sex, qui continent omnem Ægyptiorum philosophiam, ediscunt ii qui ante dicti sunt. Reliquos autem sex παστοφόροι, idem, qui gestant pallium, ut qui pertineant ad medicinam, nempe de constructione corporis, & de morbis, & de instrumentis & medicamentis, & de oculis, & postremò de mulieribus. Et res quidem Ægyptiorum, ut paucis dicam, sunt ejusmodi. Ægyptiorum sapientia olim tam celebris fuit, ut etiam ad Salomonis sapientiam comparari meruerit. *1. Reg. 4. 30. Jes. 19. 11.* consiliarii Pharaonis dicebant: *Filius sum sapientum, filius Regum antiquissimorum.* Osmanduas Ægypti rex sacram bibliothecam habuit, cum hac inscriptione: ἰατρεῖον ψυχῆς. *Diod. Sic. lib. 1. cap. 49.*

Fuit etiam bibliotheca in templo Vulcani Memphitico; Naucrates enim Homerum accusavit, quod cum eo loco reperisset libros Phantasiæ fœminæ, quæ Iliadem & Odysseam scripserit, & in eo templo posuerit, Homerus pro suo ediderit. *Eusth. procemio ad Odyss.* quod etsi maximè de Homero falsum esset, evidenter tamen inde colligitur,

in

in illis locis bibliothecas fuisse. Darius Persarum Rex cum sacerdotibus Ægyptiis familiaritatem iniit & Theologiæ ipsorum, rerumque in sacris voluminibus annotatarum particeps factus, inde multa edoctus est. *Diod. Sic. lib. 1. cap. 95.*

Sacerdotes illi duo literarum genera habebant, tum quas sacras sive hieroglyphicas vocabant, tum quas pueros docebant. *Heliod. Æthiop. lib. 2.* de Nili fontibus agens, meminit librorum sacrorum, quos μόνοις τοῖς προφητικοῖς καὶ ἀναγινώσκειν ἔξεστι. Sacerdos Isidis, quæ Ægyptiorum Dea, de opertis adyti profert quosdam libros, apud Apulejum *lib. XI.* literis ignorabilibus pernotatos: partim figuris cujuscemodi animalium concepti sermonis compendiosa verba suggerentes; partim nodosis, & in modum rotæ tortuosis capreolatimque extensis apicibus à curiosa profanorum lectione munita. Apud Judices Ægyptios universæ leges octo codicibus descriptæ servabantur, ad quas omnes controversiæ, scriptis libellis ultrò citròque agitatæ exanimabantur & dijudicabantur. *Diod. Sic. lib. 4. cap. 75, 76.* Huc pertinet illud hieroglyphicum, quod in Simandii monumentis fuisse tradunt: Ex collo Judicis veritas (Bulla humani cordis effigie) suspensa pendebat: ipse oculis erat in sinum dejectis: octo libris legum circumstantibus. *Pier Valer. hierogl. lib. 41. cap. 4. Simandius* verò rex est *Osmanduas*, cujus paulo ante mentionem feci, illam enim bibliothecæ inscriptionem huic tribuit idem Valerianus *lib. 38. cap. 2.* Tanta est Ægyptiæ historiæ præ Græcâ antiquitas, ut Ægyptius quidam integræ ætatis sacerdos græcos pueros vocaverit, *Plato in Timæo.* quia apud eos nulla esset à priscis accepta opinio, nulla cana scientia. *Justin. in Paræn. ad gentes. Euseb. &c.* Apud Æthiopes duplex literarum genus. *Heliod. lib. 4. Æthiopic.* ταινίαν γράμμασιν αἰθιοπικοῖς, οὐ δημοτικοῖς, ἀλλὰ βασιλικοῖς ἐστιγμένην ἃ δὴ τοῖς αἰγυπτίων ἱερατικοῖς καλουμένοις ὡμοίωνται: fasciam literis Æthi-

Æthiopicis non vulgaribus, sed regiis notatam, quæ Ægyptiis sacris, cognominatis, sunt similes.

Ex Ægypto cum Israëlitis in Arabiam migramus, ubi occurrit nobis admirabile illud patientiæ exemplum Jobus, à quibusdam *Theologus Arabs* dictus, qui *cap.* 19. ℣. 23, 24. optat, ut verba sua scriberentur & plumbo rupi inciderentur in perpetuum. Si Origeni credendum *in cap. 1. Jobi*, Moses Ægypto exul, apud Jethronem socerum suum, in terrâ Midian, hunc librum reperit, in Hebræum sermonem vertit, & secum in Ægyptum tulit ad filios Israëlis, ut exemplo Jobi, oppressiones & injurias Pharaonis patientius ferrent. Aliis tamen magis verisimile videtur, Jobum Ægyptiacam liberationem Israëlis non ignorasse, quin etiam ea posteriorem esse: Nam *Jobi 26. 12.* sic dicitur; *potentia sua fidit mare, & prudentia sua percussit* (רהב) *Ægyptum.* Vox enim hæc רהב Ægyptum significat, *Psalm. 87. 4. Esaiæ 30. 7.* Item *Psalm. 89. 10, 11.* ubi eodem modo compescere mare & conterere Rahab seu Ægyptum dicitur. Sic *Esaiæ 59. 9, 10. Brachium Domini cædens Rahab, occidens Draconem, exsiccans mare.* Unde illa explicatio *Job 26. 12.* amplius confirmatur: Nam mare finditur, Æpyptus cæditur; imò cœlum in tectorium elegans fecit, & occidit manus ejus Serpentem oblongum, hoc est, Pharaonem, *Esaiæ 27. 1.* Confer historiam exitus Israëlitarum *Exod. 13 & 14.* Quæ autem circa ipsum Jobum, circa libri hujus scriptorem, stylum, auctoritatem notanda sunt, considerat *Hotting. thes. philol. lib. 2. cap. 1. Sect. 3. Voss. de idolol lib. 2. cap. 3.*

Apud Persas fuit Bibliotheca Susiana, in qua Persarum annales fuerunt, quam Methastenes, sive Megasthenes consuluit, cum de judicio temporum & annalium Persarum scriberet. Si totus non sit ὑποβολιμαῖος, ac præterea fabulosus, prius ab Annio viterbicensi editus est *Voss. de Histor. Gr. lib. 1. cap. XI.* Quia Daniel propheta magnæ

H fuit

fuit existimationis, ejus consilio bibliothecam hanc extructam fuisse quidam credunt. *Ezræ c. v. 1.* fit mentio chartophylacii Regis Persarum, quod vocat בית ספריא LXX. *Interpp.* τῇ βιβλιοθήκαις *Munsterus* Bibliothecam vertit. *Belgæ Interpp.* die Cantzelerie. Sic Esth 2. 23. factum Mardochæi, conjurationem Eunuchorum indicantis ἐπέταξεν ὁ βασιλεὺς, καταχωρίσαι εἰς μνημόσυνον ἐν τῇ βασιλικῇ βιβλιοθήκῃ, ut habet versio LXX. At *cap.* 1. vocantur χρήματα μνημόσυνα. Hanc Regiam Bibliothecam studiose consuluit Ctesias Cnidius, qui in expeditione Cyri, adversus fratrem Artaxerxem captus, propter medicinæ scientiam in magno honore fuit, atque hac occasione res externas ad Græcos transtulit. *Diod. Sic lib 2. cap. 32.*

Xerxes Persarum Rex Athenarum potitus, omnem librorum copiam inde abstulit, asportavitque in Persas. *A Gell. lib. 6. cap. 1. Vide cap. seq.* Apud Tyros servantur multæ epistolæ, quas Salomon & Hiramus alter alteri scripsisse dicuntur. *Sixt. Senens. biblioth. Sanctæ pag. 79.*

Hanno Carthaginensis Imp. ultra columnas Herculis navigavit, quam navigationem diligentissimè descriptam in templo Saturni deponi curavit. Arrianus in Indicis suis, sive lib. VIII. Ἀναβάσεως Ἀλεξάνδρου, Hannonis quidem, atque navigationis ejus meminit, non autem de libris ejus in templo Saturni depositis: totam autem Hannonis narrationem fabulosam esse, multi censent. *Voss. de hist. Græc. lib. 4. pag. 513. 514.*

Indi veteres, vitam, mores ac parentes Philosophorum in tabulas redigebant & publicè custodiebant, quod Apollonio Tyanæo narrat Indorum Rex apud Philostratum, *lib. 2. de vit. Apoll.*

Scythæ res gestas Orestis ac Pyladis, columnæ æreæ inscriptas, in templo Orestis reposuerunt atque ut hæc columna prima esset institutio disciplinaque liberis suis lege statuerunt. *Lucian. Toxar.*

CAP.

CAPUT V.

De Bibliothecis Græcorum.

GRæcorum antiquissima historia fabulosa est, rectè *Plutarchus in vita Thesei: Ultra Theseum nihil videas in historia, præter inexhaustas arenas, & inaccessa brevia. & regiones aut rigentes glacie aut æstu torridas, quales in extremis chartis Geographi depingunt*, id est, nihil nisi vanissimas fabulas, aut densissimas ignorantiæ tenebras. Ultra bellum Thebanum & funera Trojæ vix aliquid memorabile memoriæ proditum invenias;

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacbrymabiles
Urgentur, ignotique longâ
Nocte, carent quia vate sacro.

Horat. lib. 4. car. od. 9.

Poëtæ quidem scriptorum antiquissimi; Orpheus everso Atheniensium imperio notus fuit, Philosophus excellentissimus, multorum mysteriorum, magiæ verò imprimis peritus. *Rainal. cens. lib. apocr. prælect. 200.* Astrologiam docuit Atlas. Linus Herculis præceptor fuit, Chiron Achillis, &c.

Homeri carmina lacera & dispersa memoriæ & traditionis thesauro primitus servabantur. Hesiodi carmen plumbeis tabulis in templo Musarum montis Heliconis, ubi sacerdos fuerat, insculptum legebatur. Testis αὐτόπτης Pausanias, *Bœoticis.* Pherecydes Syrus, primus prosa oratione usus, scripsit opus quod θεολογίαν vocavit, unde Theologus dictus. Pythagoræ præceptor animarum μετεμψύχωσιν ex libris Phœnicum haustam tradidit. Pythagoras suis silentium imperavit, scriptionem vetuit; sed impedire non potuit quin sub ejus nomine χρυσᾶ ἔπη prodirent. Secuti Pythagoræi, solâ traditione & memoriæ subsidio philoso-

phiam suam propagarunt, mysteria literis mortuis concredere nefas judicantes, neque ulla suæ disciplinæ præcepta literis mandarunt. *A. Gell. lib. 1. cap. 9.* hoc iis tantum fuisse vetitum, qui ἀκουστικοὶ dicebantur, tradit, μαθηματικοὺς autem & verba facere & quærere, quæque audissent scribere, & quæ ipsi opinarenrur expromere potestatem habuisse. Atque ut Pythagoras nimiæ scriptioni metas poneret, decretum fecit, ut cubicis rationibus praecepta in voluminibus scriberentur, constitueruntque cubum 216. versuum, eosque non plures quam tres in una conscriptione oportere esse putaverunt. Verum non diuturna fuit hæc lex; nam paulò post etiam Pythagoræi nimiæ scriptioni indulserunt. Ita Plato emit Philolai Pythagorici libros. *A. Gell. lib. 3. cap. 17.* Et extat hodieque Ocelli Pythagorici liber περὶ παντός, *Lisp. manud. ad Phil. Stoic. lib. 1. diss. 6. Horn. hist. phil. lib. 7. cap. 2. vid. Voss. de Phil. lib. 2. cap. 6. §. 10, 11, 12.* Æsculapius libellum scripsisse dicitur cui *navicula* nomen est.

Sequuntur Legislatores. Cererem leges hominibus primò dedisse gentiles crediderunt. Virg. 4. Æn.

—— Mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri. ——

Ovid. 5. *Metam.*

Prima dedit Leges: Cereris sunt omnia munus.

unde θεσμοφόρος dicta est, & festa in ejus honorem celebrata θεσμοφόρια: in quorum pompa, etiam libri sacri ferebantut, quod ad Idyll. 4. Theocriti Scholiastes notavit. Νόμος γὰρ ἦν Ἀθηναίοις καθ' ἔτος τελεῖν τὰ ταῦτα, παρθένοι γυναῖκες, καὶ τὸν βίον σεμναί. Καὶ κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τελέτης τὰς νομίμους βίβλους καὶ ἱερὰς ὑπὲρ τῶν κορυφῶν αὐτῶν ἀνετίθεσαν, καὶ ὡσανεὶ λιτανεύουσαι ἀπήρχοντο εἰς Ἐλευσῖνα. Hoc est, *Lex fuit Atheniensibus, ut hæc Thesmophoria quotanis celebrarent virgines mulieres & vitæ honestæ: quæ per solennitatis diem legales sacrosque libros super verticem gestan-*

gestantes, tanquam supplicantes Eleusinem contenderent. Ante inventas literas leges cantu ab oblivione vindicabantur. *Arist. probl. sect. 19. 28* ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα, ᾖδον τοὺς νόμους, ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται. Quod Agathyrsus, sua etiam ætate, fecisse, ibidem ait Philosophus.

Lacedemonii scriptis legibus non utebantur, facile memoriæ mandari poterant, paucæ enim erant Nam cur multas leges quærerent, qui verbis non multis uterentur? dicebat Charilaus Lycurgi fratris filius de legum paucitate interrogatus. *Plutarch. in Lycurgo.*

Solonis leges relatæ in axes vel tabulas quadratas ligneas, quas Axonas dicebant, thecis inclusas aliquantò longioribus quam largioribus, in quibus vertebantur, quarum in Prytaneo diu exstiterunt vestigia. Appellabantur Cyrbes. *Plutarch. in Solone.* Qui accuratius loquuntur, inter Axonas & Cyrbes distinguunt, has enim triangulares, illos tetragonos fuisse volunt: *Scholiast. ad Apollon Argon. lib. 4. v. 280.* deinde in his οὐσίας, census civium, in illis leges exaratas: præterea Cyrbes leges de rebus sacris, Axonas, de privatis continere; Atque in eis leges βουστροφηδὸν scriptas fuisse, quod fit cum superiori versu à sinistra ad dextram exarato, inferior à dextra regreditur ad sinistram. Habuerunt & Athenienses δέλτους χαλκᾶς tabulas æneas, quibus insculpti & ritus patrii, & leges sacrorum, δέλτους verò vocabant, quod olim & ipsæ tabulæ figuræ triangularis, & libri ad imaginem literæ Δ compacti essent. *ad Longin.* περὶ ὕψους, *cap. 3.* Apud eosdem Athenienses erat fanum matris Deum, quod μητρῷον dicebatur, in eo erat nomophylacium ut latè probat *Meursius in ceram: gemino cap. 5.*

Iidem Athenienses legem de Rege sacrificulo ejusque uxore, pilæ lapideæ insculptam, in Bacchi templo erexerunt. Demost. Orat. in Nearam: καὶ τοῦτον τὸν νόμον γράψαντες ἐν στήλῃ λιθίνῃ ἔστησαν ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διονύσου παρὰ τὸν βωμὸν ἐν Λίμναις.

Καὶ αὕτη ἡ στήλη ἔτι καὶ νῦν ἕστηκεν, ἀμυδροῖς γράμμασιν Ἀττικοῖς δηλοῦσα τὰ γεγραμμένα. ἣν μαρτυρίαν ποιούμενος ὁ δῆμος ὑπὲρ τῆς αὑτοῦ εὐσεβείας πρὸς τὸν θεόν. Καὶ παρακαταθήκην καταλείπων τοῖς ἐπιγιγνομένοις -- καὶ διὰ ταῦτα ἐν τῷ ἀρχαιοτάτῳ ἱερῷ τοῦ Διονύσου ἐν Λίμναις ἔστησαν, ἵνα μὴ πολλοὶ εἰδῶσι τὰ γεγραμμένα ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου ἀνοίγεται, τῇ δωδεκάτῃ τοῦ Ἀνθεστηριῶνος μηνός. Hoc eſt interprete Wolfio; *Hanc legem pilæ lapideæ erexerunt in Bacchi templo, juxta aram in paludibus: eaque pila etiam nunc exſtat obſcuris literis Atticis inſcripta. Quod populus teſtimonium eſſe voluit ſuæ erga Deum illum religionis, & tanquam depoſitum relinquere poſteritati — Propterea in antiquiſſimo templo Bacchi in paludibus collocarunt, ut ne multi, quæ inſcripta ſunt, cognoſcerent, quotannis enim ſemel aperitur, pridie idus Novembris.*

Poſtquam autem Græci animum ad ſcribendum appellere cœperunt, protinus ingens librorum vis nata eſt, propter eorum multitudinem qui ſcripſerunt, eadem enim dicuntur à multis, ex quo libris omnia referſerunt, ut ait *Cic. 2. Tuſcul.* Quin etiam Græcorum lingua & eruditio totum mundum pervagata eſt; adeo jam à primis temporibus verum fuit illud *Plinii, lib. 7. cap. 57. Gentium conſenſus tacitus primus omnium conſpiravit, ut Ionum literis uterentur.* ubi tamen vocem IONUM tollendam eſſe judicat Hottomannus *Francog. cap. 2. Auguſt. de civ. Dei lib. 7. cap. 2. Græca lingua inter cæteras gentium clarior habetur.* Notum eſt illud *Ciceronis pro Archia: Græca leguntur in omnibus fere gentibus: Latina ſuis finibus, exiguis ſane, continentur.* Græcè ſonabat tota pròpe Aſia, Græcos victores pridem experta, & in ea ipſa Judæi, quaſi pertæſi ſui Hebraiſmi, volumina Græco ſtylo, ut Joſephus & Philo, componebant. In Africa, quo quiſque græcè peritior, eò excellentiorem fuiſſe habitum, & ſchola & bibliotheca Alexandrina, teſtantur. In Europa præterquam quod Græcorum natio ſedem habet, tum

tum ipsa Italia, ipsa Roma, quasi ambitiosa, & patriæ linguæ apparatu non contenta, Græcos plurimos fovit, & qui Græcos scriberent commentarios genuit. Adeo ut hæc res vitio tandem verti cœperit. *Horat. lib. 1. Sat. 10. Juven. sat. 6.* Cato Posthumium Albinum, qui historias scripserat græcè, veniam petentem irrisit: dandam dicens, si illud opus, Amphyctionum decreto subactus, assumsisset. *Plutarch. in Cat. majore. Justinianus Imp. institut. lib. 3. tit. 8. §. 3.* constitutionem dicit se edidisse pro omni natione idque græca lingua. In Syria, & magna parte Orientis, imò apud ipsos Parthos valuit & increbuit lingua græca, testis *Plutarchus in Crasso.* Arsacidæ φιλέλληνες cognominati vid. *Ez. Spanh. de numism. pag. 436.* Herodes Græcæ linguæ non rudis: Astuasdes etiam tragœdias scripsit, orationes quoque & historias commentatus est. Convivia multis acroamatibus græcis interpolabant. In Gallia *Druides græcis literis utebantur. Cæs. de bello Gallico lib. 6.* Massilia græcorum Phocensium colonia, ubi olim Academia celebris fuit. Massilienses in eo honore & dignitate apud Romanos fuerunt, ac si medium umbilicum Græciæ incolerent. Non enim sonum modo linguæ, vestitumque & habitum, sed ante omnia mores & ingenium sincerum integrumque à contagione accolarum servarunt. *Liv. dec. 4. lib. 7.* unde *Tacitus in vita Agric. Sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerat, locum græcâ comitate, & provinciali parcimoniâ mistum, ac bene compositum. vide Cic. pro Flacco.* Rhetores Lugdunenses etiam celebres *Juven. sat. 1. Suet. Calig. cap. 20.* Non ubique tamen, nec apud omnes hic græcæ linguæ usus viguit, quod vel ex eo patet, quod Cæsar lib. 5. cap. 12. commemorat, cum Q. Cicero à Gallis obsessus suis in castris teneretur, epistolam ei se grecis literis scriptam misisse, ne, si interciperetur, sua consilia à Gallis cognoscerentur. *Item lib. 1. cap. 4.* ubi scribit se cum Divitiaco,

Dum-

Dumnorigis fratre, per C. Valerium Troacillum, principem Galliæ Provinciæ, familiarem suum, remotis quotidianis interpretibus, locutum esse. Nam Troacillus civis Rom. factus & latinæ & gallicæ linguæ usum habebat. Quod si Divitiacus græcæ linguæ notitiam habuisset, quid Cæsari ad colloquium cum eo instituendum interprete opus fuisset? quæ causa est cur aliqui vocem *Græcis* ex loco supra ex *Cæs. lib.* 6. adducto expungant. Confer ea quæ disseruntur à Boxhornio *de Orig. Gall. cap 8. & 9.*

Libros Athenis disciplinarum liberalium, publicè ad legendum præbendos primus posuisse dicitur Pisistratus Tyrannus, qui licet civibus suis utilis non fuerit, ita tamen eloquentiâ floruit, ut literis doctrinaque præstaret; imo dicendo tantum valuisse traditur, ut ei Athenienses regium imperium oratione capti permitterent, cum præsertim ex contrariâ parte amantissimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius salubriores erant conciones, alterius disertiores, quo evenit, ut alioqui prudentissima civitas libertatem servituti præferret. *Val Max. lib. 8. cap. 9.* Hic primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. *Cic. 3. de Orat.* Hinc illud in ejus iconem, *lib. 4.* Ἀνθολογίας, *tit.* εἰς εἰκόνας Βασιλέων

Τρὶς με τυραννήσαντα, τοσαυτάκις ἐξεδίωξε
Δῆμος Ἐρεχθείδων, καὶ τρὶς ἐπηγάγετο,
Τὸν μέγαν ἐν βουλῇ Πεισίστρατον, ὃς τὸν Ὅμηρον
Ἤθροισα. σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον.
Ἡμέτερος γὰρ ἐκεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης,
Εἴπερ Ἀθηναῖοι σμύρναν ἀπῳκίσαμεν.

Consule omnino, quæ de Pisistrati & grammaticorum labore ex Stephano ad *Longinum* cap. 5. notavit Anonymus. Alii tamen tribuunt (*Ælian. var. Hist. lib. 13. cap. 14.*) Hip-

Hipparcho Pisistrati filio: Alii Soloni: Alii Lycurgo: Alii Zenodoto Ephesio. Aristarchus autem Homeri versus quos supposititios putavit, ὠβέλισε.

Libros deinde studiosius accuratiusque ipsi Athenienses auxerunt: Sed omnem illam postea librorum copiam Xerxes Athenarum potitus; in Persas asportavit. Hos universos multis post tempestatibus Seleucus Rex, qui Nicanor appellatus est, referendos Athenas curavit. *A. Gell. lib. 6. cap. 17.*

In Cnido insula, una ex Cycladibus, bibliotheca fuit, quam Hippocrates ex invidia, quod Cnidii suæ sectam medicinæ contrariam profiterentur, concremavit. *Zwingerus.* In Creta Homeri Carmina servata sunt. Plutarchus in Lycurgo: ἐκεῖ (hoc est in Creta) καὶ τοῖς Ὁμήρου ποιήμασιν ἐντυχὼν πρῶτον, ὡς ἔοικε, παρὰ τοῖς Κλεοφύλου, (alii ex Heraclide Κρεοφύλου, legere dum docent) διατηρουμένοις, καὶ κατιδὼν ἐν αὐτοῖς πρὸς ἡδονὴν, καὶ ἀκρασίαν διατριβῆς ἄξιον σπουδῆς ἀναμεμιγμένον ἐγράψατο προθύμως, καὶ συνήγαγεν ὡς δεῦρο κομιῶν. *Illic cum primum, ut videtur, in Homeri poëmata incidisset, quia apud Cleophyli posteros asservabantur, & animadvertisset in illis quædam studio honesto digna permixta illis quæ ad delectationem & intemperantiam faciunt, sedulò descripsit, & collegit, demum delaturus.* Bibliothecas quoque collegerunt Philosophi, de Socrate apud Xenophontem *lib. 1. de dictis & factis Socratis*, ubi ipse sic loquens introducitur: Καὶ τοὺς θησαυροὺς τῶν πάλαι σοφῶν ἀνδρῶν, οὓς ἐκεῖνοι κατέλιπον ἐν βιβλίοις γράψαντες ἀνελίττων, κοινῇ σὺν τοῖς φίλοις διέρχομαι, καὶ ἄν τι ὁρῶμεν ἀγαθὸν, ἐκλεγόμεθα, καὶ μέγα νομίζομεν κέρδος, ἐὰν ἀλλήλοις φίλοι γινώμεθα. hoc est. *Thesaurosque sapientum priscorum, quos illi literis mandantes nobis reliquerunt, una cum necessariis meis revolvens, si quid reperiamus boni elicimus, magnumque lucrum arbitramur, si amicitia conjungamur.* In bibliothecâ inter libros philosophatur.

Memoriæ mandatum eſt, Platonem Philoſophum tenui admodum pecuniâ familiari fuiſſe: atque eum tamen tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denarium mercatum. Id eſt centum minis; mina attica conſtituit 30. Caroleos, ut quæ conſtat 100. Drachmis, drachma autem ſex ſtuferis, unde conficitur ſumma 300. Caroleorum. *Voſſ. de. Philoſ. lib. 2. pag. 66.* Id ei pretium donaſſe quidam ſcripſerunt Dionem Syracuſanum. Propter hanc emtionem inſectatus eum eſt amarulentus τίμων, libro maledicentiſſimo, qui σίλλος inſcribitur, quod homo tenui pecuniâ familiari, impenſo pretio, libros Pythagoricæ diſciplinæ emiſſet, atque inde Timæum nobilem illum dialogum continuaſſet. *A. Gell. lib. 3. cap. 17.* Invidiâ Plato uſque adeo laboraſſe dicitur, ut Democriti commentaria cremari voluerit, niſi ab Amydâ & Cliniâ, viris Pythagoricis, prohibitus eſſet, aſſerentibus eos Democriti libros non poſſe extingui, cum apud multos paſſim exempla eorum ſervarentur. *Petr. Crinit. de boneſt. diſcipl. lib. 3. cap. 1.* Similia de Ariſtotele circa libros vetrum Philoſophorum narrantur.

Clearchus Heracleæ Ponticæ tyrannus, unus ex diſcipulis Platonis fuit, qui & Iſocrati oratori per quadriennium operam dedit, licet crudelem ſe, ſi quiſquam alius, civibus ſuis exhibuerit, & cruentum, & ad ſummum usque inſolentiæ proceſſerit: Bibliothecam tamen ſibi comparando, tantam conſequutus eſt laudem, ut eâ antegreſſus fuerit alios quos tyrannis famoſos reddidit. Alexander M. à Philippo Patre liberaliter eruditus, opera non tantum Leonidæ & Lyſimachi, quorum ille pædagogi nomen faſtidiebat, hic aſſumſit ſola adulatione gratus, quod ſe Phœnicem, Alexandrum Achillem, Philippum Pelea nominaret: Sed imprimis Ariſtotelis, cujus interiorem didicit ſapientiam, à quo Homerum accepit tantopere adamatum, ut eum ſemper, cum pugione, ſub pulvino habuerit. Hinc erga libros

libros amor, quorum cum illi in superioribus provinciis non daretur copia, Harpalus, ejus jussu, misit libros Philisti, Euripidis, Sophoclis, & Æschyli tragœdiarum magnam vim, Telestis quoque ac Philoxeni dithyrambos. *Plut. in Alex.*

Strabo *lib. 13.* Scribit Aristotelem primum omnium librorum collectorem fuisse, & Ægypti Reges bibliothecæ σύνταξιν docuisse. Sed eum primum non fuisse patet ex ante dictis: Ægyptios verò Reges Bibliothecæ instituendæ ordinem ab eo didicisse, aliquibus nulla ratione probabile videtur. Quomodo namque Aristoteles Ptolomæum, secundum ab Alexandro magno Ægypti Regem, qui primus bibliothecam Alexandrinam instituit, ejus bibliothecæ syntaxin docere potuit, si antequam Ptolomæus regnum susciperet, Aristoteles jam prope ante 40. annos in humanis esse desierat? Neque fuit ea res tanti momenti, ut propterea Aristoteles à mortuis excitandus, atque sic consulendus fuerit. Quin autem Aristoteles bibliothecam sibi comparaverit, dubium esse nequit, siquidem Plato ipsum ἀναγνώστην & ejus domum οἶκον ἀναγνώστου vocare solitus fuerit. Traditum quoque, eum libros pauculos Speusippi Philosophi, post mortem ejus, emisse talentis Atticis tribus: ea summa fit nummi Romani HS. duo & LXX. millia, quæ summa prope tria aureorum millia conficere putatur. *A. Gell. lib. 3. cap. 17.* Aristoteles & scholam & bibliothecam Theophrasto reliquit, Theophrastus bibliothecam Neleo tradidit. Neleus eam Scepsim detulit ad homines imperitos, qui libros inclusos & negligenter habitos tenebant. Cumque Attalicorum Regum, sub quibus erant, studium sentirent, ad instruendam Pergami bibliothecam, eos in fossâ quadam sub terra occuluerunt: quos & tineis & humiditate labefactatos, tandem qui ex eo genere erant, Apelliconi Tejo tradiderunt, magno emtos argento, Aristo-

telicos scilicet atque Theophrasticos, Apelicon, ut qui magis librorum esset studiosus, quam sapientiæ, volens corrosiones emendare; eos transscribendos dedit, scriptura non recte suppleta, unde libros edidit erroribus plenos. Continuò post Apelliconis obitum Sylla, qui Athenas cepit, ablata illius bibliotheca, eam Romam transtulit. Ex ea ferunt plurima intervertisse Tyrannionem Grammatticum, qui cum esset Aristotelis amantissimus, propterea bibliothecæ præfectum sibi conciliavit. Item librarii quidam, scriptoribus utentes non bonis, nec scripta conferentes, opera minus emendata ediderunt. A Tyrannione Andronicus Rhodius exemplaria accepit, eaque in lucem edidit & vulgavit. *Strab. lib. 13. Plutarch. in Syllâ.* Quòd si Græca exemplaria corrupta fuerunt, quid de his putandum est, quæ in latinum conversa sunt? Illa præsertim priora, quæ, qui legunt, non tam quid dicatur, quam quid dici velit nosse laborant. Quippe si reviviscerct Aristoteles, multa sua esse negaret, quæ nos illi tribuimus, sed melius cum eo actum est, quam cum aliis, quorum opera funditus perierunt, & ipse causa extitit, cur multa perirent, qui aliorum gloriam ad se traxit.

De his libris quorum jam historiam recitavimus quæri potest quales illi fuerint? Nam cum apud Philosophos docendi modus duplex esset, eorum etiam libri, quibus absentes quoque docebant, non unius generis erant. Non omnes promiscuè auditores ad secretiora mysteria discenda admittebant, sed profectiores tantum, & qui in inferioribus subselliis eos jam progressus fecissent, ut ad hæc sacratiora tuto promoveri possent: reliquos tanquam profanos his ἀκροάμασι interesse nefas. Horis matutinis, ad meditandum aptissimis, hoc agebant: post meridiem autem, aperto auditorio, quosvis è plebe ad sermones exotericos admittebant, quos ad auditorum captum de rebus philoso-

phicis

phicis instituebant. Nec obstat scrupulus quam quis nobis injicere posset ex Valerio Max. *lib. 6. cap. 9.* ubi narrat Polemonem Atheniensem è convivio non post occasum solis, sed post ortum surrexisse, Xenocratis philosophi patentem januam vidisse, vino gravem unguentis delibutum &c. in media doctorum hominum turba concedisse, quod enim de janua post ortum solis patente dicitur, id ad eas orationis picturas referri debet, quas hic scriptor habet concinniores fortasse quam deceret exemplorum gravitatem, judicante Vive, *de tradend. discipl. lib. 3.* intemperantiam juvenis exprimere voluit, qui diem nocti pergræcando junxerit. Profectò si secretiora illa Philosophis sacra turbasset, Diogenes Laërtius, harum rerum diligentissimus collector, etiam hoc notaturus fuisset: ejus verba hæc sunt: *Aliquando ex composito cum sodalibus ebrius & coronatus Xenocratis irrupit scholam*, quod post meridiem fieri potuit, januâ, pro more, apertâ. *in vit. Polemonis.*

Ex hac diversa docendi ratione, libri quoque diversi nati, quorum, qui ad vulgi captum scripti, *exoterici, mathematici, hypomnematici, usuales*; reliqui, *esoterici, acroamatici, acusmatici, veri* dicebantur. Quomodo Pythagoras dogmata sua non cuivis tradiderit, supra diximus: quæ autem scripserat, illa filiæ suæ Damoni, antequam moreretur, credidit ea lege, ut nisi qui familiaris atque intimus fuisset ipsi, prorsus nemini daret legenda; cujus imperiis optima fide serviens Damo, occultarum rerum commentarios sibi relictos, cum posset impenso pretio vendere, mortui tamen parentis voluntatem, grandi pecunia egens femina cariorem æstimavit. Hoc ab Epicureis & Stoicis Platone etiam factitatum. Ad Aristotelem tandem deveniamus, propter quem hæc attigimus; Eum quoque & Esotericos & Exotericos libros scripsisse constat, ex Clemente Alexandrino, qui sic ait; λέγουσι δὲ οἱ Ἀριστοτέλους, τὰ

μὲν ἐσωτερικὰ εἶναι τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν. τὰ δὲ κοινά τε καὶ ἐξωτερικά. Audiamus & Ciceronem, qui Aristotelem & legit diligenter, & imprimis admiratus est: sic autem ille: *De fin. lib. 5. De summo autem bono, quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod* ἐξωτερικὸν *appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt.* Lucianus quoque in vitarum auctione, suo more ridens, Aristotelem hæc sentire significat, Peripateticum enim venalem producens sic ludit: Ἑρμ. μέτριος, ἐπιεικής, ἁρμόδιος τῷ βίῳ, τὸ δὲ μέγιστον, διπλοῦς. Ἀγορ. πῶς λέγεις; ἄλλος μὲν ἔκτοσθεν φαινόμενος, ἄλλος δὲ ὁ ἔνδοθεν εἶναι δοκεῖ; Ἑρμ. ὥστε ἢν πρίῃ αὐτόν, μέμνησο τὸν μὲν ἐσωτερικόν, τὸν δὲ ἐξωτερικὸν καλεῖν. Hoc est. *Merc. Moderatus, æquus, ad vitam aptus, quod autem multò maximum est, duplex. Emt. Quid ais? aliusne est qui foris apparet, alius qui intus videtur? Merc. Ergo, si emes, Esotericum alterum, alterum Exotericum appellare memineris.* Testeur & tandem discipulus de Præceptore: Alexander ægrè tulisse dicitur, quod Aristoteles disciplinas ἀκροαματικάς, quibus ipse ab eo eruditus erat, libris foras editis invulgasset: Rescripsit Aristoteles, eas sic editas esse, ut etiam non editæ sint, quoniam iis solis, qui ipsum audierant, cognobiles erant. Exempla utrarumque literarum ex Andronico Philosopho transscripsit Agellius *lib. 20. cap. 4.*

His præmissis, ad quæstionem, de libris Aristotelis quos hodie habemus, quorum & mentionem fecimus: respondemus, nobis videri eos non exotericos sed acroamaticos esse, quod ex his argumentis liquere puto: Diu enim incogniti fuerunt, Aristoteles neque pervulgavit ipse justis de causis, & maximam partem habuit in occulto dum vixit, tanta quidem cura, ut Theophrasto, ad quem librorum hæreditas pervenerat, mortuo, eorum nomina Peripateticis, plane ignota, in maximo silentio perdiu jacuerint, testis Strabo. *lib. 13.* Συνέβη δὲ τοῖς ἐκ τῶν περιπάτων τοῖς μὲν

πάλαι

πάλαι τοῖς μετὰ Θεόφραστον, ὅλως οὐκ ἔχουσι τὰ βιβλία, πλὴν ὀλίγων καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν, μηδὲν ἔχειν φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν. De hujus loci ſenſu legatur P. Victorius *var. lect. lib. 25. cap. 7.*

Præterea ipſe Ariſtoteles in primo Ethicorum ad Nicomachum *cap. 13.* in exotericis libris abunde ſe de anima dixiſſe refert; quicquid autem Ariſtoteles de animá ſcripſit, tribus tantummodo libris illis, qui inter phyſicos numerantur ſcripſiſſe, falſum eſt, quod vel ex uno Plutarcho manifeſtum eſt, qui in vita, Dionis ſcribit, *eum adjutum eſſe, à Cyprio Eudemo, in cujus honorem mortui dialogum de anima Ariſtoteles ſcripſit.* De anima ergo ſcripſit Ariſtoteles per dialogum, idem ἐξωτερικῶς, & ſcripſit ad Eudemum familiarem ſuum. Extat apud Ciceronem *lib. 1.* de divinatione locus, quem ex Eudemo Ariſtotelis converſum non ſine cauſa licet ſuſpicari, quem propter optimi viri caſum aſſcribemus. *Quid ſingulari vir ingenio Ariſtoteles, & pene divino, inquit, ipſe ne errat, an alios vult errare? Cum ſcribit Eudemum Cyprium familiarem ſuum, iter in Macedoniam facientem, Pheras veniſſe, quæ erat urbs in Theſſaliâ tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur, in eo igitur oppido ita graviter ægrum Eudemum fuiſſe, ut omnes Medici diffiderent, & viſum ingentem egregia facie juvenem dicere, fore ut brevi convaleſceret, paucíſque diebus interiturum Alexandrum Tyrannum, ipſum autem Eudemum quinquennio poſt domum rediturum. Atque ita prima quidem ſtatim ſcribit Ariſtoteles conſecuta, & convaluiſſe Eudemum, & ab uxoris fratribus interfectum tyrannum. Quinto autem anno exeunte, cum eſſet ſpes ex illo ſomno, in Cyprum illum ex Sicilia eſſe rediturum, præliantem eum ad Syracuſas occidiſſe. Ex quo ita illud ſomnium eſſe interpretatum, ut cum animus Eudemi e corpore exceſſerit, tum domum revertiſſe videatur*: atque hæc quidem auctore Ariſtotele ſcribit Cicero. Ex quibus

omnibus

omnibus ſatis conſtare arbitror, præter libros tres de anima qui nunc leguntur, confeciſſe quoque Ariſtotelem dialogum ad Eudemum, in quo de anima diſſeruit.

Conſideremus tandem dicendi genus, quod in exotericis magis populare eſt, procemiis ornatum, dialogis figuratum, quod Cicero non tantum legiſſe & agnoviſſe contentus, etiam ſcribendo imitari voluit: ita enim initio paradoxorum inquit; *Tentare volui; an alia quædam eſſet erudita, alia popularis oratio.* Sic *lib. 1. famil. ep. 9. Scripſi Ariſtoteleo more, quemadmodum volui, tres libros in diſputatione, ac dialogo de oratore.* Sic Attico ſcribit *lib. 4. ep. 15. In ſingulis libris ſe procemiis uti, ſicut Ariſtoteles in iis, quos* ἐξωτερικοὺς *vocat*, quod quidem de libris, qui extant hodie Ariſtotelis, intelligi nequit, propterea quod nuſquam locorum in iis leguntur ejusmodi procemia, ut ad eorum ſimilitudinem ſua finxiſſe M. Cicero verè poſſit exiſtimari. Sed imitandi Ariſtotelis ſtudium magis declarant, quæ de libris de finibus ſunt ad eundem Atticum *lib. 13. ep. 19. Quæ his temporibus ſcripſi,* Ἀριστοτέλειοι *morem habent, in quo ſermo ita inducitur cæterorum, ut penes ipſum ſit principatus.* Quare, ut aliquando concludam, non exoterici ſed acroamatici ſunt libri Ariſtotelis, quos hodie manibus verſamus: quod erat probandum contra pſeudonymum Andronicum τὰ ἐξοτερικὰ Ariſtotelis interpretantem *diſſertationes viva voce habitas*, & proinde alias ab illis, quæ in commentariis ſunt relictæ, diſſentit Salmaſius in notis & animadverſione in Epictetum & Simplicium. *Pag. 227. 241.*

Apamea urbs in oſtiis Marſyæ ſita inſigne emporium, ſecundas poſt Epheſum ferens laudes, commune Italicorum & Græcorum hoſpitium, ubi Bibliotheca fuit, quæ præ reliquis inter antiquiſſimas, celebres & præſtantiores habita fuit. *Camer. hor. ſubciſ. cent. 3. cap. 73.* in eâ viginti millia voluminum congeſta fuiſſe dicuntur, *Aug. Rocha Append. bibl. vatic. pag. 384.*

Maximè

Maximè verò omnium memorabilis fuit & illustris bibliotheca Alexandrina in Ægypto. De bibliothecis Ægyptiorum diximus capite superiori, hanc autem inter Græcas ponimus, quia sicut ipsa urbs Alexandria Græcis suam originem debet; ut pote condita ab Alex. Magno ab Hammonis oraculo redeunte, sic etiam bibliotheca; dicata enim est à Prolomæo Philadelpho filio Ptolomæi Lagi, qui Alexandri non tantum fuit commilito, sed & sanguine junctus, credebatur enim filius ipsius Philippi, certè ex pellice ejus ortus constabat; *Curtius. lib. 9.* itaque Græcæ originis. Tum etiam ex voluminibus Græcis constabat, quin etiam græcos homines præfectos habuit. Pax artium altrix studia literarum in Ægypto excitavit, cum enim antea doctrinarum possessio penes solos sacerdotes esset, & lingua ac literis Ægyptiis contineretur, consilio Philadelphi Ptolomeorum eruditissimi, & omnis literaturæ sagacissimi (ut eum vocat Tertullianus *Apol. cap. 18.*) doctrinæ in Græcam linguam translatæ sunt, & instituta sunt studia Alexandriæ, ubi deinceps communia fuerunt omnibus discere volentibus, & Rex undique viros doctos accersivit. Bibliothecam instruxit copiosissimam, inquisivit apud multas gentes vetera monumenta, congessitque ad millia ferme voluminum septingenta. *A. Gell. lib. 6. cap. 17.* Atheniensibus annonæ inopia pressis, non prius alimenta concessit, quam sibi tragœdiarum Sophoclis, Euripidis, Æschyli, autographarum potestatem fecissent, pro quibus, præter vectigalium immunitatem, quindecim talenta iisdem oppignoravit, & eâdem curâ exscriptis exemplaribus eis dono dedit. Libros Aristotelis à Neleo mercatus, una cum iis quos Athenis & Romæ coëmerat, in Alexandriam transferri curavit, ipsos vero Aristotelis libros, hoc est, ab ipso scriptos, Neleus retinuit, posterisque transmisit, ut peculiarem thesaurum; reliquam vim aliorum scriptorum vendidit Phila-

deipho, vide *Lipſ. Synt. de biblioth. cap.* 2. 3. Jeſus Syracides librum avi ſui in Ægypto in græcam linguam tranſtulit, & non pauca addidit, abſque dubio non ſine hujus Bibliothecæ adjumento. Maximum autem hujus Alexandrinæ bibliothecæ ornamentum fuerunt ſcripta θεόπνευστα, olim ſolis Judæis nota, ut dicitur *Pſal.* 147. *Rom.* 3. rogatu autem hujus Regis Philadelphi, inſtigante Demetrio Phaleræo, à Judæorum ſenioribus, ab Eleazaro ſummo ſacerdote miſſis, in Græcam linguam verſa. Jam diu ante hæc tempora imò verò ante Alexandrum & Perſarum imperium, quinque Moſis libri in Græcam linguam, quamvis non ſatis commode, traducti fuerunt. *Euſeb. præpar. Evang. lib.* 13. *cap.* 3. Cum autem inſtaret illud tempus, quod Deus jam olim conſilio ſuo prædeterminaverat, vocandi ſcilicet gentes ex poteſtate tenebrarum ad regnum Filii ſui, quò quisque in ſuâ linguâ audiret & celebraret magnalia Dei; Deus, quaſi præludium illius beneficii, gentibus hanc verſionem, (ut phoſphorum Soli) præclaræ luci Evangelii, per omnes mundi partes audiendi, præmittere voluit, ne plane eſſent ξενίζοντα, quæ Apoſtoli ipſis annunciaturi eſſent; ſicut illa myſteria erant Philoſophis Athenienſibus: *Act.* 17, 20. Judæi quidem hunc diem gravem exiſtimant Iſraëli, ſicut dies quo factus eſt vitulus, & triduanas tenebras, propter hanc legis profanationem, terris incubuiſſe, & jejunium indictum eſſe fabulantur, die 8. menſis Thebeth. Memoriæ quidam prodiderunt, Biblia translata in 72. volumina digeſta fuiſſe, quæ præter Hippocratis opera cedrinis forulis incluſa fuerint, ex quo Xerxes & Mnemon Hippocratis interpretes tertium epidemiorum librum mutuati ſunt, & commentariis illuſtrarunt. Hiſtoriam verſionis Bibliorum a 72. Interpretibus factæ vide apud *Joſeph. antiq. Judaic. lib.* 12. *cap.* 2. ejus mentionem faciunt plerique Patres. Quæ verò tum circa verſionem ipſam quæri poſſunt, docte & accurate,

ut

ut omnia, pertractat *Hottingerus thes. philol. lib.* 1. *cap.* 3. *sect.* 3. & post eum, *Joh. Leusden. Professor Ultrajectinus in Philologo mixto, disput.* 2. & 3. quibus adde *Waltoni dissertationem de linguis Orientalibus* §. 60-67. & *Joh. Wouwerj Syntagma, Rivet. Isagog. ad S. Script. cap. X. Morum de Can. & Integr. Script. quæst. 6. aliosque.* Quod fatum Romanam Remp. oppressit, & in tyrannidem conjecit, idem calamitatem huic Bibliothecæ exitialem attulit. Cum enim Pompejus Cæsarem fugiens in Ægypto sibi tutum fore hospitium confideret, propter beneficia in Ptolomæos collata; Rex Alexandriæ Ptolomæus summum civilis belli facinus ausus, fœdus amicitiæ cum Cæsare, medio Pompeji capite, sancire voluit, eunuchorum consilio impulsus: Cæsar belli reliquias ubique persequens in Æyptum venit, iidem interfectores Pompeji, ipsi insidias struunt, obsessus ergo in regia, quamvis exiguâ manu, ingentis exercitus molem, mirâ virtute, sustinuit, ut autem interfectorum hostium tela submoveret, ædificia proxima, atque navalia incendi jussit, atque ita dum milites rapiunt, feruntque incensam civitatem, non sponte neque operâ consulta, sed à militibus forte auxiliariis hæc Bibliotheca incensa conflagravit.

Sic tot congestos noctesque diesque labores
Una dies dedit exitio. —

Plutarch. in Cæsare. Seneca de tranquil. animi c. 9. *quadraginta millia librorum periisse dicit. Amm. Marc. lib.* 22. *de septingentis millib. scribit.* Factum hoc Olympiade 183. cum vix annos 224. fuisset, inchoata enim anno Philadelphi 17. Olympiade 127. Revixit postea in eodem loco, Serapeo scilicet. Autor reparandi Cleopatra, quæ impetravit ab Antonio fundamentum operis Bibliothecam Attalicam sive Pergamenam, in quâ ducenta millia voluminum fuerunt *Plutarch. in Antonio*, inde iterum aucta & Christianorum temporibus in vitâ & famâ fuit. *Tertull. apolog. cap.* 18.

Hodie apud Sarapæum Ptolomæi Bibliothecæ cum ipsis Hebraicis literis exhibentur. Hæc de Alexandrinâ. Tradunt quidam Alexandrum M. in eâdem urbe Bibliothecam condidisse. Bibliothecarum in Sebastio Alexandriæ, sive templo in honorem Augusti structo, meminit Philo judæus, de legatione ad Cajum.

Attalus & Eumenes Pergami Reges nobilem bibliothecam conquisitis undique, supra ducenta millia exemplaribus, in hædinis pellibus, quæ ab hoc loco pergamenæ dictæ sunt, descriptis, construxisse feruntur. *Plin. lib. 35. cap. 2.* Antonius, ut modò ostendimus, eam donavit Cleopatræ; cùm tamen Strabo dicat *lib. 13.* eam suo, hoc est, Tiberii tempore fuisse. Suspicatur Lipsius eam ab Augusto victore, qui pleraque Antonii irrita fecit, Pergamum revectam, aut certe exscriptam ac restauratam esse, *de Biblioth. cap. 4.*

Hac laude inter Græcos quoque celebrantur Polycrates Samius, Euclides. *Athen. dipnos. lib. 1. cap.* Fuit autem hic Euclides (notante ad hunc locum *Casaubono*) Archon Atheniensis, non multò post institutum id genus Magistratus; Nicocrates Cyprius, Euripides poëta. Hadrianus Imp. Athenis ædem Jovis Panellenii, & bibliothecam miri operis construxit. *Lips.* Fuit enim literatus, adeo ut cum doctis scribendo & disputando concertaverit, adeo ut à plerisque Græculus appellatus sit, Aurelio victore teste, *vide Ælium Spartianum.* Epaphroditus Charoneus Grammaticus selectissimorum autorum 10. millia collegisse dicitur, ex *Suida* Hotting. Biblioth. quadrip. proleg. cap. 2. Smyrna præter Homerum, sive templum Homero structum, etiam Bibliothecam habuit. *Strab. lib. 14.*

CA-

CAPUT VI.

De Bibliothecis Romanorum.

GRæcos Latini & meritò sequuntur; hi enim ab illis literas didicerunt. Ante urbem à Gallis captam Romæ perraræ literæ fuerunt, & si quæ in commentariis Pontificum, aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa urbe, pleræque interiere. Quæ vero acta deinceps pro vetustis venditata sunt, ea à nonnullis in gratiam certorum hominum, in nobilissimas familias & gentes, à quibus alienissimi erant, penetrantium, falsò conscripta fuerunt. *Liv. dec. 1. lib. 6. Plut. in Numa.* Propter hanc literarum raritatem clavus fixus fuit dextro lateri ædis Jovis, ea parte qua Minervæ templum est, cum clavum notam numeri annorum fuisse ferunt; eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit. Volsiniis quoque clavi, indices numeri annorum fixi, in templo Norciæ Hetruscæ Deæ comparuerunt. *Liv. lib. 7.* Ideo sæpius Dictator clavi pangendi causa dictus est. Apud veteres Latinos illud fere unicum historiæ genus erat, ut majores natu anteacta posteris indicarent. Latinus *Æneid. 7.* originem Trojanorum hoc argumento ex Italiâ deducit:

Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes.

Lucanus lib. 4. de Antæo.

Nominis antiqui cupientem noscere causas,
Cognita per multos docuit rudis incola patres.

Romanorum Bibliothecæ antiquiores partim erant politicæ, partim sacræ. Politicæ in publicas & privatas distingui posse videntur. Publicæ, quæ locis publicis, ad Remp. spectantes, duas præcipuè res continebant, Leges & Acta. Leges à Saturno originem habent, is enim Cretâ profugus, ut Græculus & politus, Jani hospitio exceptus, agrestes

illos homines multa docuit, literas imprimere, nummos signare, instrumenta conficere, *Minucius in Octavio. Virg. 8. Æneid.*

Is genus indocile & dispersum montibus altum
Composuit legesque dedit.

Tertull. Apol. cap. 10.

Ab ipso primum tabulæ & imagine signatus nummus & inde ærario præsidet. Huc pertinet quod observat Macrobius, Saturn. lib, 1. cap. 9. Tritonas cum buccinis fastigio Saturni ædis superpositos, quoniam ab ejus commemoratione, ad nostram usque ætatem, historia elata & quasi vocalis est; ante verò muta, & obscura, & incognita, quod testantur caudæ Tritonum humi mersæ & absconditæ. Deinceps quæ leges rogatæ, promulgatæ, perlatæ fuerunt, in æs incidebantur, & in ærarium ferebantur. In capitolio etiam æra legum servata sunt, quæ de cœlo tacta & liquefacta esse Cicero scribit *Catil. 3.* Tempore Tarquinii Regis fœdus inter Romanos & Gallos ictum, cujus leges in corio bubulo, priscis literis exaratæ in templo Jovis locatæ. *Vide Pet. Crinit. de honest. discipl. lib. 16. cap. 3.* Anno ab urbe condita 302. Decem viri legum scribendarum causa creati, cum imperio Consulari, & sine provocatione, ut ipsi ex patriis moribus, peregrinisque legibus, jus pop. Rom. selectum conscriberent, quæque ii scripsissent, si patres auctores fierent, & populus juberet, ea populum semper tenerent. Missi enim jam erant Legati Athenas Sp. Posthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpicius Camerinus, jussique inclytas leges Solonis describere, & aliarum Græciæ civitatum instituta, mores juraque noscere. Legati illi cum rediissent, decemviri creati sunt. Itaque centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatæ sunt: qui nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo. fons omnis publici privatique est juris. Duabus

deinde tabulis adjectis leges hæ decemvirales in æs incisæ in publico propositæ sunt. *Liv. lib. 3.* has superbo Elogio ornat *Cic. 1. de orat. Fremant*. inquit, *omnes licet: dicam quod sentio, bibliothecas mehercule omnium Philosophorum unus mihi videtur XII. tabularum libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.* & Phavorinus apud *A. Gellium. lib. 20. cap. 1.* dicit se non minus cupide tabulas illas duodecim legisse, quàm decem libros Platonis de legibus. Videatur latius disserens Rosinus *antiquit. Rom. lib. 8. Cap. 6.*

Venio ad acta. Ea duplicia erant, Senatus vel Populi; Acta Senatus alio nomine Commentarii Senatus Tacito, (ὑπομνήματα vertunt Græci) quibus breviter inscriptum, quicquid apud Patres diceretur, aut ageretur, tabularium Principis publicum vocat Am. Marcell. lib. 16. Origo ut videtur à Julio Cæsare, *Sueton. cap. 20.* qui primus omnium instituit, ut tam Senatus quam Populi diurna conficerentur, & publicarentur. Confectio mansit, publicatio abrogata ab Augusto, scilicet ne arcana Patrum sciret quis non è Patribus. Jam ante multos annos, post ejectos Decemviros, à L. Valerio, & M. Horatio Coss. institutum erat, ut Senatus consulta in ædem Cereris ad ædiles deferrentur: quæ ante arbitrio Consulum supprimebantur vitiabanturque *Liv. lib. 3.* In templo Jovis Capitolini ab Ædilibus diligentissimè custodiebantur fœdera inter Romanos & Carthaginenses icta, in tabulis æneis perscripta, *Polyb. lib. 3.* Hinc quoque positæ tabulæ fœderis inter Romanos & Antiochum facti. Appian. Syriac. Ταῦτα συγγραψάμενοί τε, καὶ ἐς τὸ Καπετώλιον ἐς δέλτους χαλκᾶς ἀναθέντες, ὃ καὶ τὰς ἄλλας ἀνατιθέασι. Vespasianus restitutionem Capitolii aggressus, ærarum tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur pene ab ex-

exordio urbis Senatus consulta, plebiscita de societate & foedere, ac privilegio cuicunque concessis: *Sueton. Vesp. cap. 8.* Hic omittendum non est *Secretarium Senatus*, cujus mentio est in vetusto marmore, apud Dempsterum, ad Rosin. lib.

SALVIS. D. D. N. N. HONORIO. ET. THEODOSIO. VICTORIOSISSIMIS. PRINCIPIBUS. SECRETARIUM. AMPLISSIMI. SENATUS. QUOD. VIR. ILLUSTRIS. FLAVIUS. ANNIUS. INSTITUERAT. ET. FATALIS. IGNIS. ABSUMSIT. FLAVIUS. ANNIUS. EUGARIUS. EPIPHANIUS. VE. PRÆF, URB. VICE. SACRA. JUD. REPARAVIT. ET. AD. PRISTINAM. FACIEM. REDUXIT.

Hunc locum Dempsterus cum Secretario populi confundit, cum nomen *Senatus* manifesto præferat, cujus acta a populi actis diversa. Acta populi etiam publica acta dicuntur, *Sueton. Tiber. cap. 5. &c.* Item diurna quia indies conficerentur. *Tacit. lib. 13. & 16.* Item urbana. Sæpius etiam ἁπλῶς acta κατ' ἐξοχὴν. Velut in S. Literis Acta Apostolorum. Iis continebantur res rationesque populi, judicia publica, supplicia, comitia, ædificia, mortes illustres, matrimonia, divortia, præsertim etiam nativitates. Mos enim erat, ut parentes natos sibi liberos apud acta profiterentur, idque à Servii Tullii temporibus observatum, hic enim in singula recens natorum capita Junonis Luciniæ templo inferri aliquid jussit, & in censu agendo non solum facultates, sed & liberorum nomina atque ætatem referri voluit. Quod deinceps etiam observatum est, ob eorum, qui liberos haberent, commoda, & orborum incommoda. *Juven. Satyr. 9.*

Tollis enim, & libris actorum aspergere gaudet
Argumenta viri. vid. Lips. ad Tacit. annal. 5. Excurs. A.

In templo Saturni reponebantur hæc acta, quæ susceptis liberis parentes faciebant, atque adeo omnium civium Romanorum in tribus distributorum nomina, libris elephantinis,

à

à magnitudine sic dictis, inscripta, locus tabularium dicebatur. *Virg. 2. Georg.*

— — — nec ferrea jura,
Insanumque forum, & populi tabularia vidit.

Apul. Apolog. *Pater ejus natam sibi filiam more cæterorum professus est, tabulæ ejus partim tabulario publico; partim domo adservantur.* Huc pertinere videtur *Secretarium populi Romani*, quod ab Onuphrio in quartâ urbis regione positum ab aliis urbis descriptoribus omissum est. Testamenta quoque, fideliori custodiæ causa, deponebantur in templis, ac sæpissime in Vestæ, quod religione primum; ut testamentum Cæsaris. *Suet. Cap. 38.* Augusti. *c. 101.* Antonii Triumviri. *Plut. in ejus vita.* Sic Ulpianus *lib. 43. de tabulis exhibendis, si custodiam testamenti æditus suscepit*, ostendit testamentum in æde sacrâ deponi solere. vide *Lips. ad Tacit. annal. 1. not. 53.* Fuit & tabularium in atrio libertatis, *Liv. dec. 5. lib 3. Censores ex templo in atrium libertatis ascenderunt, & ibi signatis tabellis publicis, clausoque tabulario*, &c.

Inter donaria Diis consecrata, etiam libri & pugillares, quod manifestum ex inscriptione, quæ est in Foro Rhegino, Calabriæ civitate, quam habet Saubertus de sacrificiis, cap. 24. Estque hæc:

TI. TRAFENIUS. TI. F. SABINUS. ÆD. POT. II. TESTAMENTO. LEGAU. X MUNICIP. RHEGINIS. JULI. IN. PRYTANEO. STATUAM. ÆREAM. MERCURI. TRULLAM. ARGENTEAM. ANGLYPTAM. P. II. ∽. LARES. ARGENTEOS. SEPTEM. P. II. ∽. PELBEM. ÆREAM. CORINTHEAM. ITEM. IN. TEMPLO. APOLLINIS. MAJORIS. PUGILLARES. MEMBRANACIOS. OPERCULIS. EBOREIS. PIXIDEM. EBOREAM. TABULAS. PICTAS. XVIII. HEREDES. EJUS. PONENDA. CURAVERUNT.

Præterea Romæ diu servatæ sunt tabulæ illæ Censoriæ, in quibus annotata erant omnium eorum nomina, qui Augusti tempore censi fuerunt, in illis etiam nomen Servatoris nostri, & ejus nativitatis tempus legebatur. *vid. B. Walæum ad. Luc. 2. 7. Tertull. adv. Marcion. lib. 4. cap. 7. De censu Augusti, quem testem fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana archiva custodiunt.* Censebantur etiam qui ex ephebis excedebant, qui virilem togam induebant, imò & mors cujusque civis in acta referebatur. Libitina suas rationes habebat, in quas veniebant omnia mortuorum nomina. Harum rationum librum conficiebant illi, qui Veneris Libitinæ thesauro præfecti erant. *Sueton. in Neron. cap. 39.* Eusebius & Hieronymus in Chronico ephemeridem vocant, de peste sub Vespasiano: *Lues ingens Romæ facta, ita ut per multos dies in ephemeridem decem millia ferme mortuorum hominum referrentur.*

Privatæ Bibliothecæ intra privatos parietes erant apud eruditos, tales Varronis. *Cic. fam. lib. 9. ep. 4.* ipsius Ciceronis, *fam. lib. 7. ep. 23. 28.* & *initio Topicorum.* Ejus fratris, *lib. 3. ad Q. Frat. epist. 4. De Bibliothecâ tuâ Græcâ supplenda, libris commutandis, Latinis comparandis,* &c. Attici libros sibi servari enixè optavit Cicero, quos assecutus Crassum divitiis superare sibi videbatur, atque omnium vicos & prata contemnebat. *lib. 1. ad Attic. epist. 3. & 9.* Ipsum verò Attici Gymnasium Cicero *Amaltheum* vocat *lib. 1. ad Att. ep. 13.* à librorum scilicet copia & suavitate, quibus animum pascebat, ut cibo potuque sapidissimo. Allusum ad decantatissimum, κέρας Ἀμαλθείας. Huc refer Tablina, loca atrio proxima, quæ codicibus implebantur, & monumentis rerum in magistratu gestarum. *Plin. lib. 35. cap. 2.* tabularia privata *L. 92. ff. de leg. 3. Varro de re rust. lib. 1. cap. 2. Cum spectatum veniunt villas ut videant pinacothecas.* Picturis ornabantur. *Petron. Arb. In pinacothecam perveni vario genere tabularum mirabilem,* &c. *vide Festum in voce Tablinum.* Avaritia Kalendaria, quibus

usura

usura & nomina per Kalendas inscribebantur, invenit. *Senec. epist. 87. de benef. lib. 7. cap. X.*

Ad sacras Bibliothecas progredimur, quæ idolorum tabularia vocantur à Tertulliano, *de idolol. cap. 10.* Religio Romana ab his quatuor petebatur, Pontificibus, Auguribus, Vatum libris, Etruscorum disciplinâ. Testis Cicero *Orat. de Arusp. resp. Majores statas solennesque ceremonias Pontificatu: rerum bene gerendarum auctoritates augurio: fatorum veteres prædictiones Apollinis, Vatum libris: portentorum explanationes Etruscorum disciplinâ contineri putarunt. Sic. Val. Max. lib. 1. cap. 1.*

Primum genus, quod à Pontificibus petebatur, circa tempora sacra, & circa solennes ceremonias versabatur.

Tempora sacra ex Annabilibus & Fastis eruebantur.

De annalib. scribit *Cicero 2. de Orat.* Erat historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ causâ ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mecium, Pontificem Maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ii qui etiam nunc annales maximi nominantur. Consentit Servius, *in 1. Æneid. versu 377.*

Et vacet annales nostrorum audire laborum.

In æde monetæ libri lintei, annales veteres continentes, repositi. *Liv. lib. 4.* De libris porro linteis plura invenies apud Dempsterum ad Rosin. lib. 3. cap. 24. Fasti præter temporum descriptionem, etiam festo dies indicabant, *vide Festum. Ovid. 1. Fast.*

Sacra recognosces annalibus eruta priscis,
Et quo sit merito quæque notata dies.

Fastos unà cum jure civili, in Pontificum penetralibus antea repositos, evulgavit Flavius Ædilis, eosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset, sciretur.

Liv. dec. 1. lib. 9. Cic. Orat. pro L. Murenâ. Magna enim penes Sacerdotes poteſtas erat hac in parte; pro libidine ſuâ, ad gratiam pubicanorum, modò ſubtrahebant, modò augebant, & plures interdum, quàm oportebat, interdum pauciores dies intercalabant. Quibus rebus fiebat, ut aliquando meſſes hyemales in autumni tempus referrentur, aliquando in æſtivum ſive vernum tempus inciderent, pro modo intercalandi imminutiore, aut cumulatiore. Hac Pontificum licentiâ turbatos faſtos Julius Cæſar correxit, annumque ad ſolis curſum accommodavit. *Sueton. Cæſ. cap. 40. Pflaumerius* in Mercurio ſuo Italico refert, illos à doctis multum nominatos laudatosque faſtos, qui Magiſtratuum & triumphorum Rom. ſeriem continebant, tempore Pauli III. Pont. Max. è foro effoſſos, & illius juſſu in Capitolium translatos eſſe.

Ceremoniæ ex ſecretioribus Pontificum libris diſcebantur, qui propterea ἱερατικὰ βιβλία, *libri Pontificales*, *indigitamenta* etiam vocabantur, quia continerent Deorum nomina & preces, ritusque quibus invocarentur. *Indigitare* enim eſt invocaere, imprecari, unde Dii *Indigetes*, de quibus Voſſ. de Idol. lib. 1. cap. 12. Græci Indigitamentorum duo genera fecerunt, nam κλητοὺς ὕμνους vocarunt auxiliarium & faventium Deorum; ἀποτροπαίους autem nocentium, quæ vocat Virgilius *Levænumina.* Horum primum ex vetere linguâ Latinâ *Calatorium carmen*; alterum *Averruncale* vocare poſſumus. *Scal. not. ad hymn. Orphei.* Pontifex Max. teſte *Livio lib. 1.* ex inſtituto Numæ Pompilii, habebat omnia ſacra exſcripta, exſignataque, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa ſacra fieri deberent; cum de religione & de ſacris diſſenſio erat, populus illum conſulebat. Ancus Marcius, ſacra publica, ex Numæ commentariis, Pontificem maximum in album relata ponere in publico juſſit. *Liv. lib. 1.* Deinceps autem libros inſpicere omnibus fas fuiſſe non videtur; atque ideo Tarquinius Rex Marcum Tullium Duumvirum, quod

li-

librum secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit. *Val. Max. lib. 1. cap. 1.* Huc pertinebant etiam Numæ libri septem Latini, de jure Pontificicio, totidemque Græci de disciplina sapientiæ, qui in agro L. Petilii scribæ, sub Janiculo, cultoribus altius versantibus, in duabus arcis lapideis inventi sunt. Latinos magna diligentia asservandos curarunt: Græcos quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, L. Petilius Prætor urbanus, ex autoritate Senatus, per victimarios, igne facto, in conspectu populi cremavit: cum paratum se esse jusjurandum dare dixisset, libros eos legi servarique non oportere. *Val. Max. ibid. Liv. lib. 40. Plutarch. in Numa.* Adde *Plinium lib. 13. cap. 13. Augustinum de C. D. lib. 7. cap. 34.* Nec pauci aversati sunt, ac fugerunt Ciceronis libros, de divinatione, ac natura Deorum: alii mussitabant, oportere statui per Senatum, aboleantur hæc scripta, quibus Christiana religio comprobetur, & vetustatis opprimatur auctoritas. *Arnob. lib. 3. adv. gentes.* Apud Samnites quoque Ovius Paccius, ex vetere libro linteo lecto, horrendum sacrum instituit. *Liv. lib. 10.* Hujus secretioris doctrinæ etiam est illud, quòd Romani Deum in cujus tutela esset urbs Roma, & reliquorum Deorum vera nomina (*vide Serv. 3. Æneid. v. 577.*) & ipsius etiam urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt, ne qui hostium illos carminibus evocent. *vide Plin. lib. 28. cap. 2. Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 9. Serv. 5. Æneid. vers. 737.*

Venio ad secundum ordinem, qui est Augurum quorum collegium suam etiam Bibliothecam habuit. Librorum enim auguralium meminit *Serv. 4. Æneid. v. 45. Cicero 1. de divin.* in *Orat. pro domo sua ad Pontif.* eos reconditos vocat, qui etiam augurales libros scripsit, teste *Servio 5. Æneid. v. 738.* & citantur à *Festo in voce Paludati*: in quibus tota augurandi

ſcientia ex avium cantu, volatu, paſtu, per præcepta & exempla ſine dubio explicabatur.

Sequuntur Vatum libri. Hîc primum locum ſibi vindicant Libri Sibyllinini, quos à muliere quadam, trecentis aureis Tarquinius emit, quorum cuſtodiam duumviris primum in hoc creatis, ex ordine Patriciorum, commiſit, eisque ſervos addidit publicos. *vid. Lact. lib. 1 cap. 6. A. Gell. lib. 1. cap. 19.* Cum autem hi incendio Capitolii periiſſent, miſſi fuerunt Legati à Senatu, qui Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam & Siciliam, & Italicas colonias Sibyllæ carmina conquirerent, datumque ſacerdotibus negotium, quantum humana ope poſſent, vera diſcernere. *Tacit. ann. 6* Cum verò gentium ſuperſtitio, cui hi libri multum inſervierant, evanuiſſet, juſſu Honorii Imp. Chriſtiani, per Stiliconem combuſti ſunt. *vide Mareſii diatrib. de Sibyllis & libris Sibyllinis. Wolfii Lect. memor. centen. 3. Bibliothecam Patrum tom. 8. Hoornb. de converſ. Iud. lib. 2. cap. 3.* Cum olim civitatem Rom. nova religio inceſſiſſet, ut aut homines aut Dii repente alii viderentur facti, M. Æmilio, Prætori urbis, negotium datum eſt a Senatu, ut his religionibus populum liberaret. Is & in concione SC. recitavit, & edixit, ut quicunque libros Vaticinos, precationesve, aut artem ſacrificandi conſcriptam haberet: eos omnes libros literasque ad ſe, ante Kal. Apriles, deferret. Hac occaſione cum inquiſitio talium librorum ex SC. fieret, in M. Æmilii, qui eam rem agebat, manus, Martii vatis illuſtris carmina venerunt. Martiorum enim carmina religiosè ſervabantur. *Liv. dec. 3. lib. 5.* Martiorum vatum divinationem, caducis corticibus inculcatam eſſe monet Symmachus *lib. 4. ep. 34.* Tempore Galbæ, ſacerdos Jovis Cluniæ ex penetrali, ſomnio monitus, carmina quædam eruit, quæ ante ducentos annos à puellâ fatidicâ pronuntiata fuerant, quorum ſententia erat: oriturum quandoque ex Hiſpaniâ Principem, Dominumque rerum. *Sueton. Galb. cap. 9.* Poſtquam mortuo

Le-

Lepido Augustus Pontificatum Maximum suscepit, quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis, vel parum idoneis auctoribus vulgò ferebantur, supra duo millia undique contracta cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito: condiditque duobus forulis auratis, sub Palatina Apollinis basi. *Sueton. Aug. cap.* 31. ut scilicet in arcano haberentur, ne vulgati, factiosis hominibus occasionem præberent, aliquid in patriis ceremoniis, aut in publica re novandi, quomodo Lentulum ex libris sybillinis conceptâ spe regnum agitasse Romæ, memorat Salustius.

Restat Etruscorum disciplina, quæ de cœlo tacta scientissimè animadvertit, eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Huc ptrtinent libri fulgurales, quorum præter Ciceronem meminit *Ammianus Marcellius lib. 2. 3.* Bigois Nympha apud Tuscos artem fulguritatum scripsit, cujus libri in templo Apollinis servabantur. *Serv ad 6. Æneid. vers. 72.* Deinde rituales, in quibus perscriptum quo ritu condantur urbes, aræ ædesque sacrentur, quâ sanctitate muri, quo jure portæ, quomodo tribus, curiæ, centuriæ distribuantur, exe c tus constituantur, ordinentur, cæteraque ejusmodi ad bellum & pacem pertinentia. *Censor. de die natali cap. 11. & 17. Festus in voce Rituales.* servabantur ab Etruscis. *Amm. Marcell. lib. 23.* Tandem haruspicini, continentes disciplinam, quæ ex extis divinare docebat, ortus ejus hic est. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, extitisse repente, & eum affatus qui arabat. Is autem Tages puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentiâ; ejus aspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum totamque brevi tempore Etruriam convenisse: tum illum plura locutum, multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, literisque mandaverint, omnem autem orationem fuisse eam, quâ ha-

haruspicinæ disciplina contineretur, eam postea crevisse, rebus novis cognoscendis, & ad eadem principia referendis quæ scripta deinceps conservata sunt. *Cic. 2. de divin. Lucan. lib. 1.*

Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages. —

Sic. *Amm. Marcell. lib. 21. Ovid. Metamorph. lib. 15.* Prænestinæ sortes in æde Fortunæ sublatæ in arcâ condebantur, quæ facta erat ex oleâ illâ, ex quâ mel effluxisse dicebatur. *vid. Cic. 2. de divin.* Quin etiam has sortes teniis vittisque involutas fuisse, & nonnisi puris manibus evolutas, cum in consulentium usum promerentur, suspicatur Lipsius Elect. lib. 2. cap. 12. His adde libros fatales, quibus hominis ætas ex Etruscorum disciplina describebatur. *Censorin. de die natal. cap. 14.* Eorum mentio fit apud Livium *dec. 1. lib. 5. & dec. 5. lib. 2. Serv. ad 2. Æneid. vers. 140. Arnob. adv. gentes lib. 7.* hos consulebant Romani malis oppressi, morbis vel peste impliciti; à Sibyllinis differre non videntur. Fuerunt etiam libri Acheruntici, de sacris & Ceremoniis Acheruntiis. *Arnob. adv. gentes lib. 2. quod Etruria libris in Acherunticis pollicetur. Serv. ad 8. Æneid. vers. 398.* Fatales & Acherunticos eosdem esse putat *Lindenbrogius ad Censor. loc. cit.*

Ex devictis gentibus Romani non tantùm Deos & mores, sed etiam libros Romam attulerunt. Captâ Carthagine Senatus Rom. Regulis bibliothecas donavit, sed Magonis Pœni (cujus meminit Varro *de re rust. lib. 1. cap. 1.*) duodetriginta volumina in Latinam linguam transferenda censuit, peritisque linguæ Punicæ dandum negotium. *Plin. lib. 18. cap. 3. Crinit. de honest. discipl. lib. 4. cap. 2.* Paulus Æmilius, Perseo Macedonum Rege devicto, librorum Regiorum copiam Romam advexit, quos filiis suis literarum studiosis, concessit. *Plutarch. in ejus vitâ.* Asinius ille Pollio, cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho, ut ait Horatius, hac in parte omnibus aliis palmam præripuit, ex devicti populi manu-

manubiis, Romæ in atrio libertatis, publicè bibliothecam dicavit, eamque multis doctorum virorum imaginibus, veris & fictis exornavit, inter quas M. Varronis, Romanorum doctissimi, adhuc viventis imaginem, pro cumulo magnæ gloriæ, posuisse fertur, eaque re Alexandriæ, & Pergami Reges superare visus est, & ingenia hominum Rempublicam fecisse. *Plin. lib. 7. cap. 30. lib. 35. cap. 2. lib. 36. cap. 2.*

Sed manum de tabulâ: ne ulterius progredientes Iliada post Homerum canere videamur: Romanorum enim Bibliothecas descripsit Justus Lipsius peculiari de bibliothecis Syntagmate, cujus scrinia compilare nefas ducimus. Legatur ipse.

CAPUT VII.

De Bibliothecis Christianorum ante invalescentem Barbariem.

Sectio I.

De Bibliothecis Christianorum acturi tria tempora distinctè considerabimus. Habuit enim Ecclesia Novi Testamenti suas periodos. Primò quidem recenter instituta splendorem doctrinæ & sanctitatis per totum terrarum orbem circumtulit: Deinde senescente, & defervescente pietatis Zelo, horrendæ superstitionis & idololatriæ tenebræ successerunt: Donec rursus, per viros quosdam à Spiritu Dei actos, pristino nitori restituta convaluit. Idem etiam circa literarum studia, eorumque adjumenta, libros sc. & bibliothecas factum est. Non enim Ecclesiæ decor obscuratus est, antequam literæ sub barbarie quasi sepultæ jacerent; Neque ejusdem reformatio rite & ordine processisset, nisi artium & linguarum studia, ut aurora solem, præcessissent.

De primâ periodo hoc capite agendum; ubi primò occurrit illa quæstio, quæ olim in primitivâ Ecclesiâ mota &

agitata fuit, teste Augustino *lib. I. de consensu Evangelist. cap. 7.* &c, Cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere? Hoc illi Pagani quærebant, qui Christum blasphemare non audentes, honorandum eum, ut virum sapientissimum putabant, colendum tanquam Deum negabant. Rectè vicissim ex illis quæritur, cur illi qui inter gentiles Philosophos sapientissimi habiti sunt, Pythagoras & Socrates, nihil unquam ipsi de se scripserint? Quid causæ est cur de istis hoc credant, quod de illis discipuli eorum literis commendarunt, de Christo nolunt credere quod ejus de illo discipuli conscripserunt. Gloriabantur quidem se illos libros legisse, quos ab illo scriptos esse existimabant, continentes eas artes, quibus eum miracula fecisse putabant, cum tamen non solum Christiana disciplina, sed etiam leges politicæ tales artes jure condemnent, tum etiam, qui illos libros se legisse affirmabant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirabantur? Dicebant eos libros ad Petrum & Paulum, tanquam epistolari titulo prænotatos: quod vel ab inimicis Christi nominis fictum est, vel ab iis, qui ejusmodi execrabilibus artibus, de tam glorioso nomine, pondus authoritatis se daturos putaverunt: quæ fallacissima audacia à pueris merito rideatur, quia Christo in terris agente, Paulus nondum ejus discipulus fuit, sed post Christi in cœlum ascensionem demum conversus est. Error inde originem traxisse videtur, quod pluribus locis eos simul cum illo pictos viderunt, quia Petri & Pauli passionis diem solennius olim Roma commendabat; sic omnino errare meruerunt, qui Christum & Apostolos ejus, non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Et ejusdem libri *cap. 35. Cum illi scripserunt quæ ille ostendit & dixit: nequaquam dicendum est quòd ipse non scripserit: quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt; quicquid enim ille de suis dictis & factis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam manibus suis,*

suis imperavit. Hoc unitatis consortium, & in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Sic & Hieronymus comment. in cap. 44. Ezech. *Unde & Salvator nullum volumen doctrinæ suæ proprium dereliquit. quod in plerisque apocryphorum deliramenta confingunt: Sed Patris & suo spiritu quotidie loquitur in corde credentium.*

In scriptis Apostolicis bibliothecarum mentio non fit, verùm cum Judæis concredita fuerint eloquia Dei. *Rom. 3.* & Moses per singula sabbatha in eorum Synagogis legeretur. *Act. 13.* quin libri Canonici Vet. Testamenti ab ipsis religiosè servati sint dubitari nequit, cum ad Christum conversi Vet. Test. in Novo revelatum, & novum, in veteri velatum satis intellexerint, & ex Propheticis scriptis Judæos Chrtstianorum capsarios convicerint, demonstrando Jesum esse Messiam illum, Patribus à Deo promissum. *Act. 18. 28.* Qui autem ex ethnicismo Christum professi sunt, præsertim literati, libros quidem περίεργα, inutilia & magica continentes flammis ultricibus devoverunt, *Act. 19. 19.* quicquid verò in Philosophorum, Poëtarum, Historicorum monumentis verum, & Christianæ fidei consentaneum ac commodum legerant, tanquam ab injustis possessoribus, in suum usum vindicarunt; omnis enim veritas à Deo, & ad Dei unius gloriam referenda est. Paulus in scriptis gentilium hospes non fuit, citans Aratum. *Act. 17. 28.* Epimenidem aut Callimachum. *Tit. 1. 12.* Menandrum. *1. Cor. 15. 33.* eruditus quippe erat ad pedes Gamalielis, Doctoris illo tempore celeberrimi, *Act. 22. 3.* Egregiè in hanc rem scribit Augustinus *lib. 2. de Doctr. Christ. c. 40.* „ Sicut enim Ægyptii non solum idola habebant, & „ onera gravia, quæ populus Israel detestaretur, & fugeret, „ sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & ve- „

„ ſtem quæ ille populus exiens de Ægypto, ſibi potius, tan„ quam ad uſum meliorem, clanculo vindicavit, non autoritate „ propriâ, ſed præcepto Dei, ipſis Ægyptiis neſcienter com„ modantibus ea, quibus non bene utebantur: ſic doctrinæ „ omnes gentiliū, non ſolum ſimulata & ſuperſtitioſa figmen„ ta, graveſque ſarcinas ſupervacanei laboris, quæ unusquis„ que noſtrum, de ſocietate gentilium exiens, debet abomi„ nari atque devitare; ſed etiam liberales diſciplinas, uſui ve„ ritatis aptiores, & quædam morum præcepta utiliſſima con„ tinent, deque ipſo uno Deo colendo nonnulla vera inve„ niuntur apud eos; quod eorum tanquam aurum & argen„ tum, qvod non ipſi inſtituerunt, ſed de quibusdam quaſi „ metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infuſa eſt, eru„ erunt, & quo perversè atque injuriosè ad obſequia Dæmo„ num abutuntur, cum ab eorum miſerâ ſocietate ſeſe animo „ ſeparat, debet ab eis auferre Chriſtianus, ad uſum juſtum „ prædicandi Evangelii. Veſtem quoque illorum; id eſt, „ hominum quidem inſtituta, ſed tamen accommodata hu„ manæ ſocietati, quâ in hac vitâ carere non poſſumus, acci„ pere atque habere licuerit, in uſum convertenda Chriſtia„ num: nam quid aliud fecerunt multi boni fideles noſtri? „ nonne aſpicimus quanto auro & argento & veſte ſuffarcina„ tus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor ſuaviſſimus & „ Martyr beatiſſimus? quanto Lactantius? quanto Victori„ nus, Optatus, Hilarius? Ut de vivis taceam, quanto in„ numerabiles Græci? *Hactenus Auguſtinus.* Librorum ſtudioſus fuit Paulus, injungens Timotheo, ut ſecum Romam apportaret libros, maximè verò membranas. *2. Tim. 4. 13.* Quid eo loco per φελόνην, vel ut alii legunt, φαιλόνην & φιλαίνην intelligendum ſit, de eo Interpp. diſſentiunt, quidam veſtem eſſe putant, quâ Veteres utebantur tempore pluviæ, ut Romanæ originis per Metatheſin pro φαινόλη vel ex φαίνομαι & ἄλος. Alii ſcriniolum volunt ut Syrus Interpres בית כתבא.

Alii

Alii volumen. *Vide Bezam ad hunc locum. item Baron. ad annum 58. num. 67. 68. 69.*

In Edessonorum Archivis inventa epistola Abgari ad Salvatorem nostrum, cum responsoriâ Salvatoris ad Abgarum, si vera est historia. *vide Casaub. ad Baron. ann. 32. num. 58. Euseb. hist. Eccl. lib. 1. cap. 15.* Inter Sanctorum reliquias solenniter circumgestatur Constantinopoli, tempore Michaëlis Paphlagonis: ut ex Cedreno recitat Cluverus *epit. hist. univ. pag. 497.* Ipsius enim Servatoris αὐτόγραφον Georgius Maniaces Constantinopolin ad Imperatorem transmiserat, cum Edessâ, maximâ cum Sarracenorum strage, potitus esset. *Wolf. lect. memor. cent.* XI. *an. 1060.* Narrat Procopius *Persic. lib. 2.* iisdem literis à Christo promissum esse; ὡς οὐδὲ ἡ πόλις ποτὲ βαρβάροις ἁλώσιμος ἔσται. Memorabile est quod addit, hanc epistolam, pro munimento in portis Edessæ servari: se autem cogitasse hoc responsum à Christo non esse scriptum, nec pati tamen ut urbs capiatur, quia persuaserunt sibi homines urbem esse in ejus tutelâ. Apocrypha pronunciatur à Gelasio *distinct. 15. C. sancta Romana.*

Ecclesiæ ad quas Apostoli suas epistolas scripserunt, earum exempla authentica servarunt. *Tertul. de præscrip adverʃ. hæreʃ. cap. 36.* „Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas adhuc ipsæ cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proximè est tibi Achaja, habes Corinthum; si non longe es à Macedoniâ habes Philippos, habes Thessalonicenses; si potes in Asiam tendere habes Ephesum; si autem Italiæ adjaces habes Romam.„ In Ecclesiâ Romanâ servabantur quoque Canones Conciliorum & Pontificum decreta, ut patet *distinct. 19. C. si Romanorum. & distinct. 20. C. de libellis.*

Ante complures annos in urbe Lemovicâ inventæ sunt duæ Epiſtolæ, in ſacrario baſilicæ D. Petri, ubi hactenus latuerant, defoſſæ ſub terrâ, in arcâ ſaxeâ. Earum una eſt ad Burdegalenſes, altera ad Toloſanos, futilis alicujus impoſtoris fraudibus conſutæ. Earum auctor fertur eſſe Cephas, ſive Martialis Lemovicenſis Epiſcopus & Galliarum Apoſtolus, qui putatur fuiſſe unus è 70. Diſcipulis, & ille de quo Paulus Gal. 2. 9. *Sixt. Senenſ. biblioth. ſ. tom. 1. lib. 2. Rivet. Crit. ſacr. lib. 1. cap. 7.*

Epiſcopis & Presbyteris commiſſa fuit cura colligendi & aſſervandi non tantum libros Canonicos Vet. & Novi Teſtam. ſed etiam clarorum Eccleſiæ Doctorum, Clementis, Juſtini, Egeſippi, Irenæi. &c. Ex hiſtoriâ Origenis apparet Epiſcopos Notarios & Librarios aluiſſe ad libros deſcribendos. Melito Sardenſis Epiſcopus in orientem profectus omnes Vet. Teſt. libros conquiſivit & ipſe quædam compoſuit, quæ recenſet Euſebius *lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 26.* Pantænus ſtoicam Philoſophiam Alexandriæ docens, ad Chriſtum converſus in Indiam profectus eſt, ibique reperit Bartholomæum Apoſtolum ſemina Chriſtianæ fidei ſparſiſſe, & Matthæi Evangelium Ebraicis literis ſcriptum reliquiſſe, quod Pantænus ſecum Alexandriam detulit. *Euſeb. lib. 5. cap. 10.* Quid de Evangelio Matthæi Hebraico ſtatuendum ſit, Gomarus peculiari diſſertatione explicavit. Eccleſias in oratoriis bibliothecas ſuas, & in iis libros ſacros ſervaſſe oſtendit. *Euſeb. lib. 8. cap. 2.* dicens tempore perſecutionis Diocletiani & oratoria deſtructa, & ſacras ſcripturas igne exuſtas eſſe, idem patet ex Epiſtolâ Athanaſii, & aliorum Ægypti Præſulum ad Marcum Papam; ubi de Arianis inter alia ſcribunt: *Libros noſtros uſque ad minimum incendentes, nec jota unum relinquentes, propter veritatis fidem. Nicænam Synodum, in contumeliam noſtram, & omnium Chriſtianorum incenderunt.*

Hiſtoriæ de Imperio Joviniani inſtructiſſimæ meminerunt

runt Bibliothecæ in templo Antiochiæ, quod Trajano olim dicatum erat, Jovinianus vero ex instigatione uxoris incendi jussit, faces subdentibus concubinis, quo incendio multi optimi libri cum templo simul concremati sunt.

Ex actionibus Synodi Romanæ, quæ fuit habita sub Sylvestro, apparet, Ecclesiam Romanam notarios aluisse, qui Martyrum diversorum res gestas conscripserunt. *Tom.* 1. *Concil. pag.* 357. Ac de Julio Papâ testantur auctores idonei, curasse eum, ut res omnes, ad Ecclesiam pertinentes literis, per notarios ad id conductos, mandarentur; item Damasum ipsum Pontificum Romanorum ante se vitas conscripsisse, & ad Hieronymum misisse *Magdeb. cent.* 4. *cap.* 7. *Platina in vitis Julii & Damasi.*

Erant olim in Ecclesiis βιβλία δίπτυχα, dicebantur à complicando, quasi Latinè volumina diceres. Δίπτυχος enim ut duplicatus. Latinis eodem sensu *duplices* dicebantur, quando pugillares bis complicati essent, aut bina tantum folia haberent. *Ovid. lib.* 1. *amor. eleg.* 12.

Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi,
Auspicii numerus non erat ipse boni.

Tabellæ scilicet nomine erant duplices, & re itidem talis, id est, fallaces. Sic *triplices* apud Martialem *lib.* 7. *ep.* 52. *&* 14. *ep.* 6. *Quintuplices*. id *lib.* 14. *ep.* 4. Pollux *Onomast. lib.* 10. *c.* 14. γραμματίδιον, δίθυρον ἢ τρίπτυχον, ἢ πλειόνων πτύχων. Vox Diptychos in Latium quoque transiit, vetus enim Juvenalis Scholiastes illa *sat.* 9.

— Blandæ assiduæ, densæque tabellæ
Sollicitent. —

Explicat, *blandis te Epistolis & Diptychis sollicitet.* Fiebant ex ligno, ebore, auro etiam quandoque ornabantur. *Symm. epist.* 81. *lib.* 2. *& lib.* 7. 75.

Vocantur Δέλτοι ἱεραὶ, Κατάλογος ἐπισκόπων, Δέλτοι μυστικαί, in epistolis Cyrilli & Attici apud *Nicephor. Hist. Eccl. lib.* 14.

cap.

cap. 26. 27. ἐκκλησιαστικὰ δίθυρα, *ibid. cap. 25.* Diptycha hæc Ecclesiastica vel mortuorum erant vel vivorum, ut videre est ex liturgia, quæ in Bibliothecâ Patrum Bignæi, S. Joh. Chrysostomi nomine, circumfertur: ὁ Διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων, καὶ ζώντων, ὡς βούλεται, ἢ μνημονεύει. Mortuorum quidem in quibus piè defunctorum Episcoporum nomina notabantur, quæ ab Episcopo servabantur, & solennis cultus tempore publicè recitabantur, ad indicandum justorum memoriam esse in benedictione, unde tanta de nomine Chrysostomi inscribendo vel eradendo controversia. Meminit Theodoretus *Hist. Eccl. lib. 5. c. 34. & 35.* vide *item l. 7. §. 5. Cod. de summa Trinitate. Conc. Chalced. act. 14. Baron. ad ann. 407. num. 21. & 24. Conc. Constantinop. 5. act. 1.* Vivorum verò δίπτυχα diversa. Aliis inscribebantur baptizandorum nomina, atque ex illis publicè recitabantur, quando ad baptismum ordine vocabantur. vide *Hoornb. de baptis. Veter. part. 5. th. 2.* tum etiam susceptorum. *Dion. Areop. Eccl. Hierap. cap. 2.* Aliis nomina Episcoporum Presbyterorum, Diaconorum.

A diptychis duo manarunt, tam in Orientis quam Occidentis Ecclesiis. 1. Litaniæ. 2. Martyrologia. Litaniæ olim duabus partibus, Sanctorum memoriâ, non autem invocatione; deinde precibus non ad Sanctos, sed ad Deum directis, constabant. vide *Chemn. exam. concil. Trit. part. 3. pag. 358.* &c.

Martyrologia certamina, constantiam, & victorias Martyrum cebrantia, primum collecta à Notariis ἱερoδιώκταις, Subdiaconis, Diaconis, ipsis etiam Episcopis. Inter præcipuos verò propter scriptum martyrologium, laudatur Eusebius. vid. Baron. de martyrol. Rom. cap. 1. & 5.

Christiani etiam libellos in Ecclesia exhibebant, de miraculis sibi & suis factis, qui in populis recitabantur, ne eorum memoria deperiret. *August. de Civ. Dei. lib. 22. Cap. 8.*

Hæc

Hæc res autem per insidias & artes Diaboli, Christianismo pessimè cessit, hinc enim & superstitiosa pro mortuis oratio, & idololatrica Sanctorum defunctorum invocatio, & infinitæ Pontificiorum de vitis & miraculis Sanctorum, etiam post eorum obitum, ad eorum sepulchra exhibitis, Legendæ & fabulæ originem suam sumsisse videntur.

Sub L. Antonino Commodo Capitolium fulmine ictum, & Bibliotheca magnâ curâ piorum congesta, exusta fuit. *Magdeb. cent. 2. cap. 7.*

Origenes, Adamantius & χαλκέντερος dictus, ob assiduum scriptionis studium, Bibliothecas Christianorum suis operibus valde auxit. Scripturas memoriter tenuit, & in explanatione earum diebus desudavit, & noctibus, mille & eo amplius tractatus in Ecclesia locutus est, edidit innumerabiles præterea Commentarios, quod ipse appellat τόμους, quis nostrum potest tanta legere, quanta ille conscripsit! *Hieron. ad Pammachium & Oceanum. tom. 3. fol. 86.* Septem notarii sibi invicem succedentes vix illi suffecerunt, librarios habuit totidem, & puellas apprimè eruditas, quos omnes ingenii copiam effundendo defatigabat. *Platin. in Pontiano:* I. Bibliothecam gentilium librorum vendidit, tradens eam cuidam ex amicis, pactus cum eo quatuor obulos per dies singulos præberi, quo nec cuiquam in sustentanda re familiari gravis esset, nec pecuniam domi reservare videretur. *Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 3.* Cum hebræam linguam studiose addidicisset, interpretationes contulit; & sic opus contexuit, quod nominavit ἑξαπλοῖ, distinctum in sex lectiones seu columnas, 1. erat hebræa, scripta hebræis literis. 2. Hebræa scripta Græcis literis. 3. Græca interpretatio LXX. Interpretum. 4. Aquilæ. 5. Symmachi. 6. Theodotionis *Epiphan. de ponderibus cap. 18. 19.* Hierichunte servati sunt, quorum similes adhuc Hieronymi tempore superfuisse apparet, quia illos Interpretes sæpe citat. Tale opus sine magnis sumtibus

& multorum collatis operis adornari non potuit. Nostrum seculum fruitur non tantum Bibliis Regiis Plantinianis, sed etiam magnifico βιβλίων πολυγλώττων opere: de similibus Bibliorum editionibus agit Hottingerus *Biblioth. quadrip. lib. I. c. 2.* Præter has quatuor jam dictas versiones Græcas, olim adhuc aliæ, nempe: Quinta incerti authoris, quæ inventa fuit, Imperante Antonio Caracallâ, dolio inclusa, in urbe Jericho, Anno Christi, 219. Sexta etiam incerti authoris, reperta est Nicopoli apud Actium, sub Alexandro Mammæo, circa annum 228. Septima prodiit à Luciano Eremita, & cum Hebraicâ veritate diligentissime collata, propriam editionem nihil mancum & nihil habentem superfluum Christianis dedit: quæ apud Nicomediam, manu ejus conscripta, reperta est in turri quadam apud Judæos calce illitâ, post ipsius Luciani certamen, post persecutionem Diocletiani, & Maximini, sub Imp. Constantino. vide *Drus. quæst. per epist. 42. & lib. 3. quæst. Ebr. 46.* Eâ editione omnes Ecclesiæ à Constantinopoli ad Antiochiam usque usæ sunt, ejusque exemplaria à quibusdam λουκιανεῖα dicta. *Sixt. Senens. in biblioth. sancta.*

Augustinus lib. de hæresibus. ad quod vult Deum Cap. 89. meminit Bibliothecæ in suâ Ecclesiâ Hipponensi, & se in eâ opusculum Hieronymi de hæresibus invenire potuisse negat. Meminit idem Alexandrinæ Ptolomæi (*quæst. Vet. & N. T. 114.* Si hoc opus ipsius Augustini sit. *vide Dall. de vero usu Patrum pag. 56. Rivet. Critic. sacr. lib. 4. cap. 13.*) quæ post interitum revixit, *ut cap. 5.* dictum.

Bibliotheca Victoriana, veterum desideratissimorumque exemplarium locuples, celebratur ab Hieronymo *in inscriptione orationis Manassæ Regis Judæ.*

Ipse Hieronymus comparatâ sibi ingenti Bibliothecâ, Heliodoro comite, in Syriam abiit, & in solitudine ac studiis vixit. Georgius Episcopus Alexandrinus Arrianus copiosam bibliothecam habuit, Historicorum & Philosophorum omni

genere

genere refertam, de Christianorum doctrinâ permulti & varii in eâ Commentarii extabant: quam integram sibi Antiochiam à Porphyrio mitti voluit Julianus Apostata. *Baron. ad annum 362. num. 170.*

Alexander Hierosolymorum Episcopus ordine 35. in instructissimam suam Bibliothecam virorum Ecclesiasticorum scripta congessit, Berylli, Hippolyti, Caji. &c. Martyr obiit sub Decio; his libris maximè se adjutum refert Eusebius in conscribendâ historiâ suâ Ecclesiasticâ *l. 6. c. 15.* unde colligitur eam Diocletiani incendio non conflagrasse. *Bar. ad a. 253. n. 125.* Cæsareæ bibliothecam aperuit Julius Africanus, eam postea ad triginta voluminum millia auxit Eusebius Cæsariensis Episcopus, & Pamphilus Laodicenus presbyter, qui suâ manu maximam partem librorum Origenis descripsit, quos se thesauri loco colere Eusebius asserit. Multos codices subinde præparabat, ut, cum necessitas posceret, volentibus largiretur. Euzoïus apud Thespesium Rhetorem, cum Gregorio Nazianzeno Episcopo, plurimo labore collapsam bibliothecam Origenis & Pamphili in membranis instaurare conatus est. Hic ad extremum, sub Theodosio Principe, Ecclesiâ pulsus, multos ipse tractatus conscripsit, hanc bibliothecam sæpe consuluit Hieronymus in emendatione librorum V. T. viditque in eâ Evangelium Matthæi Hebraicum. *Hieron. de viris Illustribus. In catal. scriptor. Eccles. in apologiâ contra Rufinum. contra Pelag. lib. 3. in caput. 3. Epist. ad Titum. Præfat. in Matthæum.*

Antequam ulterius progrediamur, hæc quæstio discutienda est, cur è tribus primis Christianismi seculis tam pauca nobis scripta supersint? Videntur plerique illorum temporum fideles satis habuisse, fidem suam, fulgore vitæ inculpatæ, & sanguine, quem pro Christo constantissimè effundebant, in hominum cordibus inscribere; de libris verò scribendis parum laborasse: seu ut placeret, Christianismum vitæ innocentiâ,

centiâ, morumque honeſtate potius quàm pigmentis oratoriis propagari & retineri debere; ſive per continuas quibus affli&tabantur calamitates, ipſis non liceret animum ad id appellere; Seu quapiam aliâ de cauſâ à ſcribendo deterrerentur vel avocarentur. Utcunque ſit, certum eſt, exceptis Apoſtolorum ſacris voluminibus, perpaucos, primis iſtis temporibus, libris conſcribendis operam dediſſe: Unde illa Euſebii, initio hiſtoriæ, ſolicitudo, quod exigua, imo nulla lux aliunde affulgeret, quam ſequeretur, nullaque veſtigia occurrerent quæ premeret, cum nullis ſuperiorum trita eſſet ea via quam capeſſebat. Sed neque ea ipſa, quæ tum edidere Chriſtiani, tametſi pauca, ad nos omnia pervenere. Pars major intercidit, vel temporis, quod omnia abſumit, injuriâ, vel hominum in abolendis quæ ad palatum non ſapiebant audacium fraude, ut, exempli cauſa, Papiæ Epiſcopi Hierapolitani quinque libri, Quadrati Athenienſis & Ariſtidis apologiæ, Caſtoris Agrippæ opus contra Baſilidis hæretici libros viginti quatuor, Hegeſippi quinque libri, Melitonis Sardenſis Epiſcopi, Dionyſii Corinthii, Apollinaris Hierapolitani opera, Pinyti item Cretenſis epiſtola, Philippi, Muſani, Modeſti, Bardeſanis, Pantæni, Rhodonis, Miltiadis, Apollonii, Serapionis, Bachyli, Polycratis, Epiſcopi Epheſini, Heraclii, Maximi, Hammonii, Triphonis, Hippolyti, Julii Africani, Dionyſii Alexandrini & aliorum monumenta, quorum nobis nomina & tituli apud Euſebium & Hieronymum & alios ſuperſunt. Etſi autem fieri potuerit, ut bona vetrum iſtorum monumentorum pars ſolâ vel temporum injuriâ, vel hominum negligentiâ interciderit, non eſt tamen dubitandum quædam etiam eorum dolo ac fraude abolita eſſe, qui extare nolebant ſuæ à primo Chriſtianiſmo diverſitatis argumenta. Niſi enim aliquod hominum ſtudium in iſtis ſupprimendis fuiſſet adhibitum, nulla apparet ratio, cur ſanctiſſimorum atque antiquiſſimorum virorum labores potius intercidere

cidere passi sint Christiani, quàm alia non pauca authorum multò deteriorum. *Dall. de usu Patrum Cap. 1. Lib. 1.* Præterea Imp. Diocletianus, imperii sui anno 19. de tradendis, & comburendis religiosis Christianorum libris edictum promulgaverat, nec deerant perfidi Christiani, qui suppliciorum metu, codices sacros tradebant, unde & *Traditores* dicti sunt. vide *August. contra Crescon. lib 3. cap. 27. & de baptis. lib. 7. cap. 2. Euseb. Hist. Eccl. lib. 8. cap. 2. Optat. Milevit. contra Parmenianum. Arnob. adv. gentes lib. 4. circa finem.* Huic edicto responsis suis præluserant Juris prudentes, quia enim Christiani à gentilibus magi ac superstitiosi habebantur, eorum libri prohibiti sunt *l. 4. ff. de famil. hercisc. Paul. lib. 5. sentent tit. 23.* Non obstante tamen hoc edicto, sacræ scripturæ codices illibati manserunt; hi enim non penes unam aut alteram tantum erant Ecclesiam; sed præter plurimos illos, qui privato Episcoporum, vel aliorum ex populo usui inserviebant, apud cunctas Orbis Ecclesias, ob necessitatem sacrarum functionum, custodiri solitos, certum est. Erant enim in Ecclesiis duo *secretaria*. à dextro sinistroque latere apsidis posita, in quorum alteto sacra Eucharistia (postquam scilicet præpostera religio; externis illis symbolis asservandis, labente paulatim sinceritate Christianismi, invaluerat) in altero S. Scripturæ codices asservabantur. De utrisque Paulinus ep. 12. ad Severum, cum de Nolanâ à se erectâ basilicâ agit, meminit his versibus, à frontibus eorum ascriptis. A dextrâ apsidis:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Ponitur alma sacri pompa ministerii.

A sinistra ejusdem:

Si quem sancta tenet meditandâ in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.

Propterea non mirum est, si non omnes simul divinæ scripturæ codices perierunt. *Baron. de martyrol. Rom. cap. 5.*

Secretaria hæc etiam *Diaconica* vocabantur. vid. *Jac. Gothofr. dissert. ad Philostorgii Hist. Eccl. lib. 7. cap. 3.*

Sectio II.

CIrca hæc tempora multi pii, persecutorum Ecclesiæ tyrannidem fugientes, in solitudines se contulerunt, atque ibi piis meditationibus, orationibus, lectionibus vacarunt, manuum labore vitam sustinentes, quibus cum se alii idem vitæ genus sequentes adjungerent, facta sunt collegia, & ex Monachis, Eremitis, Anachoretis Cœnobitæ. In his collegiis divinarum & humanarum artium studia diligenter tractabantur. Monachi ipsi docebant, discebant, libros magno labore aut ipsi exscribebant, aut aliunde conquirebant. *Gregor. lib. 8. indict. 3. epist. 15.* de codicibus monasterii cujusdam agit. In monachorum quadam casâ codex inventus est, in quo descripta erat vita Antonii. *August. Confess. lib. 8. cap. 6.* De monasteriorum primævâ institutione, & Monachorum vitâ, lege Hospinianum *de origine Monachatus, & Calvin. instit. lib. 4. cap. 13. §. 8. 9.* His, ut & superioribus, & sequentibus temporibus viguit illa audax licentia, & fraus librariorum aliorumque scripta Patrum aut corrumpentium, aut adulterina pro veris & genuinis supponentium, ut late ostenditur à Dallæo *de vero usu Patrum Lib. 1. cap. 3. & 4. & Rivet. Crit. sacr. proleg. cap. 12. & 13.* Constantinus M. urbem sibi cognominem multis & variis ornamentis illustravit, & quia superiores Tyranni multorum doctorum scripta delere conati erant, ne deinceps Ecclesia talibus thesauris careret, in eâdem urbe Bibliothecam dedicavit, libros sacros describi curavit, sumtus in eam rem munificentissime suppeditavit. *Euseb. vit. Constant. Lib. 3.* Quamvis vero Julianus Christiani nominis hostis, Christianorum filios in scholas Rhethoricas admitti prohibuerit, Prohæresio Cæsariensi sophistæ soli, cum Athenas venisset, concedens, ut Christianos doceret, sed homo eruditus, indignatus tam atrox & iniquum Principis edictum, scho-

ſcholam rejecit: Ne autem Chriſtiana juventus literarum rudis eſſet, Apollinaris (qui erravit circa perſonam Chriſti, eum ſolam carnem aſſumſiſſe, divinitatem autem loco animæ eſſe docens) veterem Hebræorum hiſtoriam, usque ad regnum Saulis, carmine Heroico conſcripſit, & argumentis è ſacris literis depromptis ſacra poëmata, comœdias & tragœdias, ad veterum Poëtarum imitationem compoſuit. *Sozom. lib. 5. cap. 17. Socrates lib. 2. cap. 36. & lib. 3. cap. 14.* Ipſius autem Apollinaris libros ejus errores continentes, quos fœminæ cuſtodiendos tradiderat, Ephrem, deceptâ fœminâ, corrupit, nam piſcis glutino chartarum folia ita connexuit, ut ſejungi nequirent. Unde Apollinaris poſtea deluſus eſt. *Baron. ad ann. 373. num. 26, 27.* Quia tamen ipſe Julianus literatus Princeps fuit, librorum curam non ſane vulgarem geſſit. Circumfertur ejus dictum ex Epiſtola ad Ecdicium, quod & Theodorus Canterus ſenator Ultrajectinus Bibliothecæ ſuæ foribus affixerat, & Gisbertus Voetius magni nominis Theologus, fronti Bibliothecæ ſtudioſi Theologiæ præfixit;

Ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων,
Ἄλλοι θηρίων ἐρῶσι. ἐμοὶ δὲ βιβλίων
Κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος.

Alii quidem equos amant, alii aves; alii feras: mihi vero à puerulo mirum acquirendi & poſſidendi libros inſedit deſiderium. Conſtantinopoli in porticu regiâ Bibliothecam erexit. *Baron. ad annum. 330. cap. 26.* & Antiochiæ; de qua ſupra diximus. Bibliothecam Conſtantinopolitanam valde exornavit Theodoſius Junior; adeo ut decem myriades librorum contineret, conquirendorum librorum ſtudio Ptolomæo non inferior. Libros N. T. & SS. Patrum multos ſuâ manu deſcripſit, & in hanc Bibliothecam depoſuit. Conjux ejus Eudocia filia Leontii Philoſophi Athenienſis, Poëmata ſcripſit de victoriis Arcadii, & mariti ſui. Ab ipsâ etiam dicuntur congeſta eſſe ὁμηρόκεντρα: Quamvis alii putent, ea

à do-

à docto quodam viro Patricio collecta, sed imperfecta & indigesta relicta, Eudociam absolvisse, & in ordinem redegisse. Alii hunc laborem Probæ Falconiæ tribuunt, *Baron. ad ann. 415. num. 53. Magdeb. cent. 5. pag. 23. Sixt. Senens. Bibl. S. pag. 244.* Leguntur in bibliothecâ Patrum *tom. 8. Hospin. de templis.* Ex hac bibliothecà depromti sunt illi libri, quibus Monothelitæ hæretici convicti orthodoxis cesserunt. *Platina in Agath.* I. Sub Zenone Imp. anno Christi 473. Regius hic thesaurus primum conflagravit, ubi centum viginti millia librorum incendio periisse dicuntur, in iis fuit Homeri opus, aureis literis, inscriptum intestinis Draconis centum & viginti pedes longis. Incendium alterum ab Iconomachis Duce Leone Isauro Imperatore excitatum esse dicit *Baron. ad ann. 726. num. 10. & 11.* Hoc autem incendio perierunt Bibliothecarii duodecim, viri doctissimi. Errat itaque *Florimundus Remundus*, qui, *Fabulæ Johannæ Papissæ cap. 9. num. 4.* hoc incendium non Constantinopoli, sed Athenis contigisse scribit, ne fateri cogatur, Johannam illam, Athenis liberalibus studiis operatam esse, libris scilicet, unà cum omni eruditione sublatis. In hac bibliothecâ præter alia servabantur opera Ambrosii, Athanasii, Johannis Constantinopolitani, Cyrilli, Augustini, Leonis, Basilii, Gregorii, Dionysii & Hilarii. Item Evangelia aurea cum gemmis librarum 15. quæ Gregorius 3. Basilicæ Salvatoris donaverat. Commentarii Chrysostomi in sacras literas ibidem in Patriarchæ triclinio fuerunt. *Magdeb. cent. 8. cap. 6. & 7.* Constantinopoli etiam asservatum fuit authenticum exemplar primi concilii Oecumenici Nicæni, quod inde petitum est, ut & alia exemplaria ab Alexandriâ & Antiochiâ, à patribus concilii Carthaginensis, Anno 419. cum de Primatu Ecclesiæ Romanæ litem moveret Faustinus ejus Ecclesiæ legatus, & ad acta concilii Nicæni provocaret. *Hoornb. sum. controv. lib. 11. de Græcis.* Sic ad authentica exemplaria, in registris Patriarchatuum re-

posita,

Posita, non semel refugerunt Patres cum de librorum falsatione suspicio incidisset. *Concil. Nicæno 2. act. 5. tom. 3. p. 134. &c.* Patres Iconoclastas criminantur, quod in Bibliothecâ Constantinop. librum quendam, resissis plurimis foliis, corrupissent, & in urbe Phoceâ triginta volumina concremassent.

Constantinopoli in Bibliothecâ Regum, præter carmina, quæ Sibyllæ putabantur, servabantur quoque oracula quædam de Regibus. Leo Armenius, Imp. in eâ librum quendam reperit, cui inscriptæ erant hominum ferarumque imagines, inter quas erat Leonis figura, cui in dorso litera X. erat impressa: post eam vir quidam, qui eam hastâ per mediam transfigebat. Quas ænigmaticas figuras cum imperator interpretari nequiret, quæstor quidem interpretatus: *In die*, inquit, *natali Christi, Rex peribit.* Leonem enim Imperatorem esse: hastam mortis genus denotare: X. literam nominis Christi (primam tempus cædis significare. Nec falsum fuit præsagium, namque Michaëlis Thracili conspiratione, Natali festo, in templo cæsus est, *ex Cedreno, Wolf. lect. memor. centen.* XI. *a.* 1059.

Sub imperio Valentis multæ privatorum bibliothecæ perierunt, cum enim plurimi, magicis sacris operati, de successore Imperatoris inquisivissent, atque propterea ad supplicia raperentur, etiam innumeri codices, & acervi voluminum sub conspectu judicum concremati sunt, ex domibus eruti variis ut inliciti, ad leniendam cæsorum invidiam, cum essent plerique liberalium disciplinarum indices variarum, & juris: Hæc publicè facta, sed & privati, per orientales provincias omnes exurebant libraria omnia, tantos universos invaserat terror. *Am. Marcell. lib. 29.*

Sectio III.

HActenus in Oriente versati ad Occidentales Ecclesias transimus, Romana Bibliotheca olim celebris *vide Basil. epist. 82. Gregor. M. lib. 7. indict. 1. epist. 29.* Epistola legitur

Athanasii, cæterorumque Ægypti Præsulum, ad Marcum Antistitem Romanum, quâ canones Concilii Nicæni ab Arrianis incensi, corrupti, perditi, ex Romanâ potissimum bibliothecâ repetuntur. Hilarius I. duas bibliothecas apud oratorium Stephani ædificavit. *Platina.* Zacharias I. bibliothecam B. Petri restituit. *idem vide. Magdeb. cent. 6. & 8. cap. 7. & auctores ibi indicatos.* Romæ etiam repertus est codex ille Dionysii Areopagitæ, vel qui sub ejus nomine circumfertur, postquam longo tempore, juxta Græcorum opinionem, ab hæreticis occultatus, latuerat, (præter eos qui jam extant, alios etiam scripsit, sed quos nec Græcus, nec Latinus quisquam invenire hactenus potuit) Româ quidem in Græciam asportatus. *ex epistola Anastasii Bibliothecarii ad Carolum Regem.* Michaël Imp. Constantinopolitanus misit eos cum instrumento Musico ad Carolum Magnum, qui eos in Latinum sermonem verti curavit per Johannem Scotum, ut patet ex fragmento epistolæ ejus ad Carolum. Hic Scotus cum discipulis suis Dionysii libros enarraret, & quosdam in Ecclesiâ receptos errores taxaret, illi præceptorem graphiis confoderunt: quo mortis genere etiam alii martyres obierunt: Stephanus Episcopus Antiochiæ. Cassianus de quo *Prudent. hym. IX. Peristeph.*

Inde alii stimulos & acumina ferrea vibrant,
Quâ parte aratis cera sulcis scribitur,
Et quâ secti apices abolentur & æquoris hirti.
Rursus nitescens, innovatur area. &c.

Eâdem ratione populus Romanus Erixonem equitem, quia filium flagellis occiderat, in foro graphiis confodit. *Senec. lib. 1. de Clementia cap. 14.* Cæsar Cassii brachium arreptum graphio trajecit. *Suet. Cæs. cap. 82.* Caligula Senatorem quendam, graphiis confossum, lacerandum cæteris tradidit. *id. Calig. cap. 28.* Sic etiam periit Antyllius C. Gracchi Lictor *Plut. in Gracchis.* Propterea Romæ aliquando cautum, ne

ferrea

ferrea graphia quisquam haberet, sed ossea. Hic Scotus ab Antagonistâ Thomæ Aquinatis diversus est: hic enim pro mortuo tumulatus, deinde reviviscens, subtile suum cerebrum excussit. *P. Jovius in Elogio Scoti.*

Aurelius Cassiodorus Monasterium Vivariense, sive Castellense construxit, ubi, velut in portu residens, post naufragium Regum Gotthorum, quorum regna Prætoriâ Præfecturâ curarat, Deo & literis vacans, reliquum vitæ tempus, ad obitum usque, semper aliquem fertilissimi ingenii partum edens, effœtam licet annis, fœcundam frugibus senectutem ducebat; ibidem egregiam bibliothecam, vitam monasticam excolentibus constituit, cujus etiam meminit in præfatione sui libri de Orthographiâ. *item Baron. ad ann. 562. num. 12. & seqq.*

Filum scriptionis ad ea tempora deduximus, quibus Gotthi vastabundi irruptiones fecerunt in Italiam, artesque liberales in exilium abierunt. Gens fera & barbara, literis & humanitati inimica, adeo ut Amalosuntha Theodorici Gotthorum Regis filia, quia filium Athalaricum literas doceri voluerat, primores Gotthorum offenderit, qui virum fortem & bellicosum, non inter literas sed arma versari debere putabant. *Procop. Gottic. lib. 1.* Gloriatur tamen de hac gente Olaus Magnus *lib. 1. cap. 36.* quod diu ante inventas literas latinas, suas habuerit, quibus in arborum corticibus, in lignis & lapidibus rerum monumenta conservarunt: quod alii ex ipsis, instar Ægyptiorum, animalium figuris, alii notis usi fuerint: vel cantilenis rhythmicis rerum memoriam ad posteros transmiserint. Literas ipsas, suâ linguâ, RUNAS appellabant, quarum notæ expressæ, in veteribus aliquot codicibus, & priscis lapidum ac monumentorum inscriptionibus solùm reliquæ sunt. His characteribus inscripti scipiones, fastos & calendaria apud rusticos notant.

Loccenibus *antiq. Suegoth. lib. 2. cap. 14.* cujus non invenustum epigramma hic addere visum est:

Quos aliis fastos signat numerosa Papyrus,
Scipio, vix dextram qui satis implet, habet.
Simplicis illud opus non simplex crede Coloni;
Quo numerat menses, & putat ille dies.
Quando recens oritur, vel deficit, atque coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit;
Et quæ tam soleant festorum figere certo
Tempore, quam gressum siuea movere, teneo.
Quid? sese BACULUS commendat RUNICUS usu
Duplice, dum rector temporis atque pedum.

Adi & *Gesneri Mithridatem*, ubi de linguâ Germanicâ agit: & *Olaum Magnum* de gentibus septentrionalibus *lib. 1. c. 34.* Tandem res eò devenit, ut Runæ Gothicæ, usui publico & literario natæ, sed incantationibus & magiæ postmodo adhibitæ, propter abusum, instinctu Papæ Sylvestri II. & Sigfridi Episcopi Britannici, obliterarentur, & literæ Latinæ ac Teutonicæ substituerentur, quod factum sub Rege Olao Skot Konung, anno Christi MI. quo facto, multa egregiè scripta carmina, & antiquitatis monumenta, librique literis Gothicis consignati perierunt, quorum non exigua pars in Bibliothecam Toletanam à Gothis translata est *Loccen. loc. cit.* De Runis quoque agit Saubertus *de sacrif. cap. 7. & 8.* Quàm vero tenuis apud eos literarum cura fuerit, satis ostenderunt, quando Græciam vastabundi in bibliothecas incidissent; Libros enim tanquam prædam inutilem & vilem coacervarunt, ut eos comburerent, quod etiam fecissent, si non admoniti à veterano milite fuissent, ne hoc facerent, sed ipsos illæsos sinerent. Libros enim tantum utiles esse ut molles & effœminatos, otiososque homines efficiant: documento esse quod Græcos vicerint, qui operâ librorum ad tractanda arma, & resistendum imbelles redditi sint.

ſint. Hac barbarâ admonitione, poſteris utili, libri illi tunc temporis integri ſervati ſunt. *Avent. annal. Bojor. lib.2. in Imp. Gallieno. Camer. hor. ſubciſ. cent. 3. cap. 72.* Audiamus hac de re Ludovicum Vivem, *lib. 1. de cauſis corruptar. art. Gentes illæ quæ ſeptentrionem incolunt, in Italiam ſeſe & totum Occidentem infuderunt, Gothi, Alani, Vandali, Suevi, Heruli, Hunni, Longobardi, & poſtremi omnium in Oriente Agareni. Nam cum bellum literas ſimul cum bonis artibus ac pietate opprimit, quod inter bellicos furores non eſt virtuti nec honos nullus, nec locus.*

Pellitur è medio ſapientia, vigeritur res,

Inquit Ennius. Tum gentes illæ, natura feræ, & ab omni penitus ingenii cultu alienæ, primum ingentem bibliothecis cladem attulerunt, conflagrarunt illis incendiis urbes & regna, & ſcelerato illo atque impio igne magnorum quoque ingeniorum opera exuſta ſunt, quibus autores male præſagi, vitam atque immortalitatem fuerant polliciti. Victores enim, ut de Gallo eſt in fabulis, margaritam quam non intelligebant, contemſerunt. Simul irriſæ ſunt ab eis linguæ & ſtudia omnia, nec ſolum eis detractum eſt pretium, ſed contumelia addita, &c. Ad Chriſtianiſſimum hac occaſione converſi ſunt, cum tota gens in duas partes eſſet diviſa, unius partis dux erat Athanarichus, alterius Phritigernes. Athanaricho ſæpius victoriam obtinente, Phritigernes ad Romanorum auxilium confugit, quo à Valente Arriano Imp. impetrato, hoſtes victi ſunt. hæc cauſa fuit quare multi ex barbaris Chriſtianam fidem ſuſceperint, non Catholicam & orthodoxam, ſed Arianam; hæc enim erant illâ tempora, quibus totus orbis ingemuit, & ſe Arrianum factum eſſe miratus eſt: idque tanto facilius proceſſit, quia Phritigernes Imp. Valenti gratificari cupiens, ejus religionem amplexus eſt, ſuoſque ut idem facerent, hortatus. Eodem tempore Ulphilas Gothorum Epiſcopus literas Gothicas invenit, & primum S. Scripturam in eorum linguam convertit, ut barbare

sancta Dei eloquia perdiscerent. Athanarichus autem persecutionem instituit, cum Ulphilas eos etiam, qui sibi parebant, doceret. *Socrat. Hist. Eccl. lib. 4. cap. 27.* Ab eo tempore majorem reverentiam libris eruditionis instrumentis & thesauris exhibuerunt. Non omittenda videtur historia illa quam recitat *Olaus Magnus ex Joh. Magno lib. 16. c. 41.* Cindasuindus Gothorum Rex, quo cooperante celebratum concilium septimum Toletanum, misso ad summum Pontificem legato (qui creditur fuisse Tayo Episcopus) petiit ad se transmitti libros morales D. Gregorii Papæ. Cui Papa respondit: se quidem illos missurum libentissimè, si inter tot librorum volumina, quæ in Romanæ Ecclesiæ archivis continentur, reperiri possint. Mœstus eo responso nuntius, se in templo Apostolorum Petri & Pauli, ad divinum auxilium orando convertit, factumque est (fides sit penes authorem) ut media nocte SS. Apostoli & cum eis Gregorius, multo manifesti lumine, illi oranti apparerent, locumque designarent, in quo librum, quem quærebat, inveniret. Itaque annuente summo Pontifice, pretiosus illorum librorum thesaurus in Hispanias, cum maximo Romanorum damno translatus est.

Progredimur ad Germanos, apud quos, Taciti tempore, antiqua carmina unum erat memoriæ & annalium genus. Quando fides Christiana inter eos prædicari cœperit incertum. Tacitus ejus rei nusquam meminit, cui tamen nec nomen Christianum, nec Germanorum mores incogniti fuerunt. Paulus ad Illyricum usque ministerium Evangelii implevit. *Rom. 15. 19.* Crescens à Paulo missus εἰς γαλατίαν, ubi quidam legunt εἰς γαλλίαν. *1. Tim. 4. 10. Euseb. lib. 3. Hist. Eccl. cap. 4. Beza ad hunc locum.* Irenæus auditor Polycarpi, qui Johannem Evangelistam noverat, Ecclesiarum in Germania & Celtis meminit. *lib. 1. cap. 3. Tertull. adv. Judæos, cap. 7. Sarmatarum & Dacorum & Germanorum, & Schytarum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, &*

insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus; In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat. Hanc in Germaniâ Ecclesiarum plantationem sine literarum cognitione, & librorum tractatione non processisse testis est Hieronymus in epistolâ ad Suniam & Fretelam. „ *Hom. 4.* Verè, ait, in vobis Apostolicus & Propheticus ser- „ mo completus est. In omnem terram exivit sonus eorum, „ & in fines orbis terræ verba eorum. Quis crederet ut bar- „ bara Getarum lingua Hebraicam quæreret veritatem: & „ dormitantibus, imò contendentibus Græcis, ipsa Germa- „ nia Spiritus Sancti eloquia scrutaretur? In veritate cognovi, „ quoniam non est personarum acceptor Deus, sed in omni „ gente qui timet Deum, & operator justitiam acceptus est „ illi. Dudum callosa tenendo capulum manus, & digiti tra- „ ctandis sagitti aptiores, ad stylum calamumque mollescunt; „ & bellicosa pectora revertuntur in mansuetudinem Christi- „ anam. &c.

Circa annum Christi 422. à Pharamundo Gallo lata censetur lex Salica, sancientibus & scribentibus eam Uzugasto, Losogasto, Sologasto, & Visigasto Sicambris. In Etymo vocis multi se torquent, vide *thesaurum temporum Merulæ, & authores ibi citatos, quibus adde Joh. Hordallum in hist. puell. Aurel. pag. 222. 232. Camer. hor. subcis. cent. 3. cap. 64. Bodin. meth. histor. pag. 364.* Novam etymologiam excogitavit Boxhornius tractatu vernaculo *de Dea Nehalennia pag. 29.* dicens, Legem salicam esse legem res Aulicas concernentem; nam pro Aulâ Schythæ dicunt Saul, Germani Saal. Fuit & altera Lex Francorum Ripuaria. *Herm. Comes à Nuenar, ante vitam Car. M. de Eginardo scriptam.*

Clodovæus, circa annum 496. incitante uxore Clotilde, à Remigio Christianis sacris initiatus est, ut constaret Germanum eum fuisse, Sicamber dictus est; *Mitis depone colla Sicamber. vide Pont. Gelr. lib. 3. Merul. thes. temp. & auctores ibi citatos.*

Apud

Apud Gallos antiquitus humanarum & divinarum rerum ſcientiam profeſſi ſunt *Bardi, Eubages, Druides.* Et *Bardi* quidem fortia illuſtrium virorum facta, heroïcis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt: Hinc *Barditus* apud Tacitum *de mor. Germ.* qui eſt relatus carminum, quibus animos in prælium accendunt. *Eubages* verò ſcrutantes ſumma & ſublimia naturæ pandere conabantur. Inter hos *Druidæ* ingenii celſioris, inquiſitione occultarum altarumque rerum erecti, & deſpectantes humana pronunciarunt animas eſſe immortales. *Amm. Marcell. lib. 15. Cæſ. de Bell. Gall. lib. 6.* Audiamus Lucanum *lib. 1.*

Vos quoque qui fortes animas, belloque peremtas
Laudibus in longum Vates dimittis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.
Et vos Barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis.
Solis noſſe Deos, & cæli numina vobis
Aut ſolis neſcire datum; nemora alta remotis
Incolitis lucis, vobis auctoribus, umbræ
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt; regit idem ſpiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis ſi cognita) vitæ
Mors media eſt; certè populi, quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris; animæque capaces
Mortis, & ignavum rediture parcere vitæ.

Adſtipulatur Appianus *in Celtic.* θανάτȣ καταφϱονηταὶ, δι᾽ ἐλπίδα ἀναϐιώσεως. Item Diod. Siculus *lib. 5. cap. 31.* Nomen ſortiti ſunt vel à Δρῦς, id eſt robur ſive quercus, vel à fide, quod eis, tanquam ſacerdotibus, & ſapientibus, fides à vulgo haberetur; à drau vel trau / unde fœminarum nomina *Gariodruda, Ariodruda.* A fide etiam

Galli

Galli hodie inducias videntur *Trèves* nominare, quod hostes de iis inter se fidem dent. Gesner. *Mithrid. fol. 19.* Saxones Magum sua lingua *Dry* vocant. *Camb. Brit. pag. 14.* Vulgus cujusdam numinis genus esse putat, quod noctu fontes premat, & quo infantes territant. *Avent Annal. Bojor. lib. 2. Gesner. loc. cit. Boxhorn. orig. Gall. p. 17, 18, 19. Saubert. de sacrif. cap. 7.* Horum religionem, ab Augusto civibus interdictam, abolere penitus tentavit Claudius Imperator, non potuisse verò testantur posterioris ævi scriptores, qui de durante hac superstitione meminerunt. Lampridius Alexandro Severo à muliere Druide mortem esse prænuntiatam: Vopiscus Diocletiano Imperii dignitatem â simili superstitiosâ, apud Tungros, prædictam esse testantur. *Eusebius lib. 4. de præpar. Evang.* de horrendis eorum sacris etiam tum usitatis conqueritur. vid. *Voss. de idolol. lib. 1. cap. 35.* In Frisiâ certè, si vera sunt quæ ex Suffrido notavit Hamconius, Druidum Præfecti, & Pontifices ethnici vixerunt ultra annum, post natum Christum, 770. multaque de suis Diis, sacrificiis, ceremoniis, superstitionibus & voce & scriptis etiam docuerunt. Vitho II. præter alias scripsit de locupletandâ Bibliothecâ publicâ, quæ postea Stauriæ, cum ingenti antiquitatum Frisicarum damno, exusta est. Unde manifestum est Druides etiam Bibliothecas suas habuisse, Christianismo jam & hîc, & alibi divulgato. Interea, sub illâ superstitionum caligine, ferocitatem paulatim exuerunt, præsertim instigante *Hildegasto*, Philosopho ac Vate celeberrimo; hic nobilium filios docuit in citharis, aliisque instrumentis musicis, gesta majorum linguâ decantare maternâ: totam gentem moribus vivere civilibus, ædificare domos, habitu cultiori incedere monuit, cum antea hæc minimè curarent, hodieque antiqua illa Francorum simplicitas Germanico notetur proverbio: Det is geet oudt Franckisch werck. Vixit Hildegastus imperante Heliogabalo. *Wolf. lect. memor. centen. 3. ad annum 224.*

Rem Christianam, & simul Literariam, in Germaniâ & Galliâ, valde promovit Carolus Magnus. Princeps erat Literatus, adeo ut Græcè intelligeret, Latinè loqueretur, & versus non infeliciter pangeret. Artium liberalium, imprimis Astronomiæ, peritus, mensibus nomina Teutonica imposuit, quatuor ventos cardinales, adjunctis duobus collateralibus, duodecim fecit: Barbara & antiquissima carmina, quibus res gestæ veterum continebantur, literis scribi mandavit. Inter cœnandum historias & antiquorum Regum res gestas avidè audivit. Libris Augustini, præsertim quos de Civitate Dei inscripsit, delectatus est, ipse periculum facere voluit eorum progressuum, quos alumni ejus, in Academia Parisiensi fecerant, ubi gravi oratione tenuioris fortunæ juvenes industrios præmiis incitavit, nobiles ignavos castigavit. Universos Vet. & novi Testam. libros librariorum imperitiâ, lectorum oscitantiâ, Interpretum inscitiâ, & temporum incuriâ depravatos ad amussim & veritatis fontem correxit. Præceptorem habuit Alcuinum, cujus consilio Academia Parisiensis fundata est, qui etiam, ejus jussu, homilias Patrum collegit in Evangelia, quæ Dominicalia vocari solent, & cum istæ Homiliæ post Evangelia legi debuerint, inde ortus est terminus *Post illa*, quem insulsi Monachi contraxerunt & in unicum fœminini generis nomen barbarè commutarunt. Alii hoc ineptum nomen sic interpretantur, quod nempe *post illa*, hoc est, *juxta illa* (scilicet præscripta) concionandum sit ineptis Pastoribus, Postillatoribus, Psittacis. Alii hanc Homiliarum collectionem Bedæ tribuunt. Alii antiquiorem esse censent, & ad Augustini tempora referunt, idque probare volunt ex ejus sermonibus, de tempore, & volumine Homiliarum; quod extat operum ejus *tom. X.* Sunt qui primam collectionem Hieronymo tribuunt, narrantes; Imp. Theodosium à Damaso Rom. Episcopo petiisse certam officii Ecclesiastici rationem, quæ suasu Damasi confecta sit ab Hieronymo, cujus labore Evangelia Dominicalia fuerint se-

ſelectâ, quam diſtributionem Damaſus & tertius ejus ſucceſſor Anaſtaſius, anno 409. probarint, additâ ſanctione, ut Chriſtiani ad prælectionem illorum textuum reverentiæ cauſa in templis aſſurgerent. Ex Gregorii M. ſermonibus apparet etiam tunc certas periodos in Eccleſiis fuiſſe lectas, quæ tamen hodiernis non per omnia reſpondent. Muſæus Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter, hortatu Sancti Venerii Epiſcopi, excerpſit ex Sanctis Scripturis lectiones totius anni feſtivis aptas diebus, reſponſoria etiam Pſalmorum capitula, tempori & lectionibus congruentia. *Gennad. catal. vir. illuſtr.*

Carolus per totam Germainam monaſteria plurima inſtituit, & inſignibus bibliothecis locupletavit, in eum finem ut juventus in illis inſtrueretur, imprimis *Sant-Gallienſe* in Helvetia, quod maximi pretii bibliothecam habuit, ex innumeris omnium facultatum libris, partim ab ipſis Monachis conſcriptis, partim aliunde conquiſitis. *Fuldenſe* ſumtibus Carolomanni, & Pipini, conſilio Bonifacii extructum, à Carolo Magno auctum & locupletatum inſignem bibliothecam habuit. Sexcenti equitum nobiliſſimorum liberi, nobiliſſimo viro Sturmo Abbate, cum aliis triginta doctoribus, artes & linguas ibidem profitente, uno eodemque anno liberalibus ſtudiis incubuerunt. Vixit hic Rabanus Maurus qui primus Bibliothecæ collector fuit, & Hildebertus. Commigrarunt eo non modo ab extremis finibus Germani, verum etiam Scoti & Britanni, imo & Græci ipſi, id quod ex ſcriptione vetuſtiſſimorum librorum deprehenditur, nam ad margines non modo Græcorum, ſed etiam Latinorum codicum, nomina Scribarum adjecta leguntur, & qui & cujates fuerint, ubi locorum, & quibus annis ſcripſerint. Monſtratur hîc liber Bonifacii (qui in hujus cœnobii templo conditus eſt) qui collectanea continet ejus fidei confeſſionis, totus perfoſſus, quem Friſonibus impetum in ſeſe facientibus, ſui defendendi causâ, objeciſſe ſcribitur. *Alerk. Caſt. Lat. Serm. Voce Fuldâ.*

Ex eo Monasterio petiti sunt Cancellarii, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Cardinales, Pontifices. Ipse Carolus in palatio suo Aquisgrani egregiam bibliothecam dicavit, quam moriens vendi jussit, & pecuniam pauperibus distribui. Extruxit & Monasterium *Lorsense* è regione Wormatiæ, cum insigni Bibliotheca, hæc continuâ serie narrare visum est, ne citationes lectorem impedirent, desumsimus ea ex *Aventino, Eginharto, Hospiniano, de origine Monachatus, centuriis Magdeburgensibus & aliis.*

Studium Patris Caroli imitatus est Ludovicus filius, cognomento Pius; hic curavit inter alia fieri monotessaron, id est, concordantias quatuor Evangelistarum, quem librum Lutherus longo tempore penes se habuit; deinde servatus est in Bibliothecâ Lipsica. Præfatio oratióne partim solutâ, partim ligatâ satis Latinâ constat, *Manlius in suis collectaneis pag.* 549. Idem Saxoni cuidam inter suos Vati non ignobili mandavit, ut Vet. & Novi Test. libros in Germanicam linguam transferre studeret, quod etiam factum est. *catal. test. verit. part.* 2. *pag.* 119. 120. Lipsius *cent.* 3. *ad Belgas. epist.* 44. & *Poliorc. lib.* 1. *dial.* 2. Psalterium se vidisse testatur Latinum, circa illa tempora scriptum, Germanicâ interpretatione inter lineas ad singula verba superscriptâ. Otfridus Wissenburgensis, Rabbani Mauri discipulus, inter alia scripta, etiam partem Evangeliorum linguâ vulgari edidit, quæ à nemine Germano nunc quidem intelligi potest, ejus fragmenta in omnibus fere bibliothecis reperiuntur. *ibid. pag.* 29. 30. *Hotting. Biblioth. quadripart. pag.* 147. — 153.

Ex Germaniâ transfretamus ad penitus toto divisos orbe Britannos. Qui quidem literarum cognitionem diu ante Christi tempora habuisse dicuntur. Anno enim ante Christum natum CCLXX. Dornadilla Maini filius, Scotorum Rex, præcepta venandi scriptis commisit, & subditis suis servanda proposuit: quæ leges & nostro adhuc seculo, ceu sa-

cræ,

cræ, observantur. Fidem Christianam non postremi receperunt. *Tertul. adv. Judæos. cap. 7. Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita.* Audiant hoc Romani Pontificis Gnathones, qui ejus universalem Monarchiam in Ecclesiam, quovis modo, stabilire conantur. Britanni fidem acceperunt in illis locis, quo Romanis aditus non patebat. Quî posset dari Episcopus universalis, cum nullus unquam fuerit Monarcha Politicus, qui sibi totum terratum orbem subjecerit, quamvis Romanorum Imperatores hac vanâ opinione inflatos Spiritus gesserint, ut se totius orbis Dominos crederent, cum sanè modicam ejus partem obtinerent; quibus occinendum illud *Ovidii 1. de ponto Eleg. 3.*

Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat
Roma, nec Ausonii militis arma timet.

Item illud Senecæ *Epist. 91. Alexander Macedonum Rex discere Geometriam infelix cæperat, sciturus quam pusilla terra esset, ex qua minimum occupaverat.* Huc faciunt illa Wesseli Groningensis *in libello de sacram. pœnitentiæ.* Tot linguæ „ fidelium ultra fontes Nili, trans Indum, Hydaspen & extra „ Gangen, quò Latina decreta pertingere non possunt. Item „ contra communem opinionem de Monarchia Romani Pon- „ tificis est, quod impossibile homini est fines orbis terræ „ nosse, qui à nullo unquam Cosmographo omnes com- „ prehensi sunt, quomodo igitur judicabit, quos nosse non „ poterit? Quomodo judicabit fidem, quorum lin- „ guam ignorat, unitatem igitur Ecclesiæ sibi Spiritus „ Sanctus fovendam, vivificandam, conservandam retinuit „ & augendam; non Romano Pontifici, sæpe non curanti, „ reliquit. Augustino itaque Gregorii Apostolo cum sociis hoc conversionis opus tribuendum non videtur, *vid. Epist. Greg. lib. 5. indict. 14. epist. 58. 59. & alibi.* Audi gloriantem Gregorium *moral. lib. 27. cap. 7. Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil*

nihil aliud noverat, quam barbarum frendere, jamdudum in divinis laudibus, Hebræum cœpit Halleluja resonare. Ab omni ævo multos eruditione præstantes aluit Anglia, multos etiam scriptis claros, quorum monumenta undique, magnâ industriâ, collegit Accas Hagustaldensis Episcopus, qui liberalium artium studia plerisque in locis, maximo opere promovit. Diu autem ante tempora Bedæ Anglicæ historiæ consarcinatoris, horum illustrium virorum scripta, cum suis Bibliothecis, inter iniquas bellorum procellas, majori ex parte, quàm miserè perierunt. Præ cæteris insignem in colligendis illustrium virorum scriptis operam dedit Egbertus Eboracensis Archiepiscopus, Northumbriorum Regis Egberti frater, qui nobilissimam Eboraci bibliothecam instituit, cujus meminit Flaccus Albinus (sive Alcuinus) Caroli M. præceptor in quadam ad Anglorum Ecclesiam epistolâ, his verbis: *Date mihi eruditionis libellos quales in Patriâ meâ Angliâ, per industriam magistri mei Egberti habui, & remittam vobis aliquos ex pueris nostris, ut excipiant inde necessaria, & revehant in Franciam flores Britanniæ, & non sit tantum in Eboraco horto conclusus, sed etiam in Turoniâ emissiones Paradisi.* Hæc autem Bibliotheca regnante Stephano, unà cum Cathedrali Ecclesià, Mariæ Monasterio, aliisque religiosis ædibus incendio fortuito hausta fuit.

Benedictus Biscopius quinquies Româ rediit, reliquiis, ritualibus libris, & privilegiis onustus, obiit anno 703. Nothelmus Londinensis ab Alcuino provocatus discipulorum Gregorii gesta, à primo eorum in Britanniam adventu, per provincias Cantuariorum & Londinensium, atque contiguas eidem regiones collegit. Quin etiam Romæ, Gregorii II. Pontificis permissu, nonnullas invenit, perscrutatis illius Ecclesiæ scriniis, schedulas & chartas, ad ea pertinentes, quibus Alcuinus suas per Northumbriam, & Canthiam collectiones addidit, ex quibus Beda historiam Anglo-Saxonicam

con-

consarcinavit. Gualterus etiam quidam ad Albani fanum Bibliothecarius, ex omnibus veterum ac novorum auctorum ejusdem Cænobii monumentis, insignem bibliothecam congessit. Fuit & Bibliotheca Lindisfarnensis, quam Danici piratæ depopulati sunt. Atque hæc de primis Britannorum bibliothecis ex *Balæo*, *Cambdeno*, *& Magdeburgensibus centuriis collegimus.*

CAPUT VIII.

De Bibliothecis sub ipsa Barbarie.

HActenus *aurea & argentea* Christianorum secula vidimus: sequuntur *ænea*, *ferrea*, *plumbea*, *obscura*, *infelicissima*, *deploratissima*; sic enim à scriptoribus vocantur. Hæc periodus fixos initii & finis terminos non habet, non enim repente, & uno quasi impetu; Verum sensim sine sensu barbaries hæc invaluit & rursus expurgata est. Orbe prope universo à Gothis commoto, & à Longobardis devastata Italia, simul cum Imperio Romano, Romanæ literæ sunt intermortuæ; quod unà belli furor & bibliothecas exciderat, & Musas otio, ita ut sit, negato extinxerat. Nihil enim Musis cum Marte. Non sine ratione Homerus Palladem & Martem odiis conflictantes fingit. Eo tempore Gregorius Magnus, vir eximiâ quidem pietate, sed præsultor & δᾳδῦχος pereuntis Theologiæ, Romanam Ecclesiam administravit, & infelicissimi seculi casum, quoad potuit, sustinuit. In Scotis, Anglis, Hibernis literas diuturna pax aluit, ut capite superiori ostensum, adeo non sine ratione Buchananus Scotiam suam celebrat, in *Epithal. Fr. Valesii*, *& Mariæ Stuartæ:*

Hæc quoque, cum Latium quateret Mars barbarus orbem,
Sola prope expulsis fuit hospita terra Camœnis,
Hinc Sophiæ Grajæ, Sophiæ decreta Latinæ,
Doctoresque rudis formatoresque juventæ
Carolus ad Celtas traduxit. ——

In

In Germaniâ Carolus M. ad instaurandas literas animum quidem adjecit, verum illius tempore insignis jam erat inter Clericos literarum ignorantia. Miraculi instar fuit, quod Johannes Mailrosius & Claudius Clemens Scoti, in Franciam venientes, apud Carolum professi sunt, se artes liberales docere posse. Vergilius Mathematicus, asserens dari Antipodes, condemnatus est. In Germaniâ Sacerdos quidam Bavarus, Latini sermonis ignarus, baptizaverat in nomine *Patri, Filia & Spiritus Sancta*; unde quæsitum an baptismus ille legitimè fuerit administratus, & nodus vindice dignus videbatur, nam super eâ re Zachariam Rom. Pontificem consuluerunt, qui eam quæstionem determinavit, *de consecrat. distinct. 4. c. Retulerunt nuntii tui. Lombard. Sentent. lib. 4. distinct. 6. Avent. annal. lib. 3.*

Vinofridus qui & Bonifacius dicitur, Germanorum Apostolus, à Gregorio tertio missus, non Christum sed Antichristum docuit. *Wolf. lect. memor. cent. 8.* Ex illo fluere & retro sublapsa referri res Ecclesiastica. Qui receptis & canonizatis publicè erroribus resistebant, pauci admodum erant, qui in catalogo testium veritatis recensentur. Nam quod consilium, aut quæ tum fortuna dabatur, cum totus mundus Bestiam sequeretur.

Seculorum ignorantiam, hinc usque ad Lutheri & Erasmi tempora, primò paucis considerabimus, deinde de bibliothecis, earumque statu quædam subjiciemus. Origo totius mali est linguarum & artium contemtus; postquam enim ea opinio invaluit, reliqui errores facile secuti sunt. Boni authores, qui de linguis & literis bene meriti erant, jacebant, in quorum locum successerunt barbari, inepti; præsertim postquam exorti sunt Monachi mendicantes, inter quos multi sunt reperti, qui in illis lupanaribus multos annos egerunt, ac plane consenuerunt, & tamen linguâ latinâ vix legere potuerunt. David Burgundus Episcopus Ultrajectinus,

ex

ex trecentis suæ diœcesios pastoribus, tres, post examen, admisit, reliquos tanquam asinos, exauctoravit, teste Erasmo. Episcopus quidam Otto, cuidam Prælato Clericum ad functionem Ecclesiasticam commendasse dicitur, his literis; *Otto Dei gratia, rogat vestram clementiam, ut velitis istum clericum conducere ad vestrum Diaconum:* quæ verba abbreviata Clericus quidam Episcopo prælegere jussus, sic legit: *Otto Dei gram, rogat vestram clam, ut velit istum clincum clancum, convertere in vivum Diabolum. Christ. Crus. de indic. part. 1. cap. 56.* ubi addit historiam de sacerdote per imperitiam ex Suenone Norvegiæ Rege pro *famulo* Dei, *mulum* facientem. *Wolf. lect. memor. part. 1. pag. 634.* item ex sermonibus Lutheri convivialibus, De Monacho à fratribus ignorantiæ coacto, ut contra conscientiam *mumsimus* legeret, pro *sumsimus*. In ipso Sant-Gallensi Monasterio, ubi studia literarum quàm maxime floruerant, eadem, jam tempore Ottonis III. circa annum 997. refrixisse patet ex his versibus.

Otto Rex, tua Lex, quia semper venditur auro,
Hic gentes frustra quærunt judicia justa.
Otto dum regnas non sunt judicia regni.
Otto dum regnas regnat pecunia tecum.
Plus est argentum tecum quam Lex sapientum &c.

Similibus versibus constat celebris illa Schola Salernitana, à Johanne de Mediolano in gratiam Roberti Normanniæ Ducis conscripta anno 1100. *Voss. de Phil. lib. 4. cap. 12. §. 37.* In fano quodam Italiæ antiqua erat & ruinosa Christi statua, cui primitias frugum vulgus obtulit, ei tandem è regione opposita est S. Mariæ statua nova & recens, populus novitatis avidus, quæ offerenda erant, S. Mariæ statuæ offerre cæperunt, Monachi illius templi, neglectæ statuæ miserti, hos versus juxta obsoletam statuam sculpserunt;

O Jesu vete, doleo nunc plurima de te,
Jam Maria nova tollit tibi flaxis & ova.

Chr. Cruf. de indic. part. 1. cap. 56. Tales rythmi locum veræ Poëſeos ubique obtinebant, ut non tantum libri, ſed etiam parietes talibus epitaphiis ornati, hæc canerent:

Durus Durandus, jacet hic ſub marmore duro,
An ſit ſalvandus? ego neſcio nec ego curo. Item:
Nudipes antiſtes non curat clerus ubi ſtes,
Dum non in cælis, ſtes ubicunque velis.

& ejusdem generis plura, quibus has chartas non commaculabimus, ne & nobis & lectori tædio ſimus.

Thomas Morus cum aliquando non inelegans epigramma ſcripſiſſet, non fuit admiſſum, ſed aliud ad hanc faciem ſcribere juſſus eſt, quod addemus:

Hic jacet Henricus, ſemper pietatis amicus,
Nomen Abyngdon erat, ſi quis ſua nomina quærat,
Wellis his Eccleſia fuerat ſuccentor in alma,
Regis & in bellâ cantor fuit ipſe Capellâ.
Millibus in mille cantor fuit optimus ille.
Præter & hæc iſta, fuit optimus Orgaqueniſta,
Nunc igitur Chriſte quoniam tibi ſerviit iſte
Semper in orbe ſoli; da ſibi regna poli.

Non omittendum videtur carmen hoc Campanæ inſcriptum, in æde Walburgis apud cives noſtros Zutphanienſes, quod ejus ſeculi genium non infeliciter ſanè refert, eſt autem tale:

Walpurgis dicta, opidi Zutphen benedicta,
Flammæ deletrix, adverſarii refugatrix.
Anno MC. quater, L. & X. Fabricæ his ſio magiſtris
Antonius Iſeren, qui ſunt, Willem quoque Renſen,
Per manus artificum Johannis atque Wilhelmi
De Buſco fratrum Boerken, ut conſona ſoni.

Minori autem campanulæ hoc inſcriptum legitur:

Dum trahor audite, voco vos ad gaudia vitæ.

Ipſe Eraſmus, precibus magni cujusdam viri, qui templo præ-

præerat, cui præsidebat Michaël, compulsus, sapphicum carmen conscripserat de Michaële Archangelo, in quo cum ita stylum temperasset, ut oratio videri posset; Tamen ille non ausus est affigere, quod esset tam poëticum, ut Græce, quemadmodum ajebat, scriptum videri posset. Quumque tantum laboris exhausisset Erasmus, reddito carmine, homo ille liberalis obtulit pecuniam, qua Sextarium vini emeret. *Erasm. catal. suar. lucubrat. vide Hotting. Hist. Eccles. N.T. part. 5. pag.154. -167.* Hinc monstra illa vocabulorum in Theologiam & Ecclesiam invecta, scilicet: Papa, Cardinalis, Missa, Transsubstantiatio, Opus operatum, & supererogationis, Canonisatio, imo totum Missæ choragium novo rituali Lexico opus haberet, *vide de his dissertationem Maresii, qua variis exemplis ostenditur, quomodo ex vitiosa Grammatica falsa Theologia nata sit.* Ipsa etiam Jurisprudentia, Medicina, Philosophia, talibus vocabulorum monstris inquinata est, ut ex illius ævi scriptoribus patet, & ridendo ostendit *Frischlinus* in festivissimâ comœdiâ, cui titulus *Priscianus Vapulans.*

Historiarum cognitio petenda scilicet erat ex rebus gestis Romanorum, cum interpretationibus moralisatis & mysticis, quas nemo sine risu legat; *vide Epistolas obscurorum virorum, & Vivem ad Augustinum de civit. Dei, præsertim dissertationem de veteribus illius operis Interpretibus. Erasmi Antibarb. Encomium Moriæ. Colloquia. &c.*

In latinis authoribus Græcè nosse, nescio cujus mali suspectum erat, unde illud tritum; *Græca sunt, legi non possunt.* Gregorius Typhernas, è schola Emmanuelis Chrysoloræ, suo consilio ad Rectorem Academiæ Parisiensis accedens, operam suam Academiæ obtulit, in docenda lingua Græcâ, ac διδακτρον decerni sibi postulavit, juxta decretum, quod extat in jure Pontificio. Rector etsi miratus est hominis peregrini audaciam; tamen ad consilium retulit. Ibi laudata est voluntas Typhernatis, & decretum stipendium, ut Græcè

doceret. Ita tunc Græca lingua post multa secula Lutetiam reducta est. Illi successit Hermonymus Spartiata, Græcus, Præceptor Capnionis, sed quàm miserè hæc res processerit, ostendit Erasmus in Catalogo suarum lucubrationum: *Ad Græcas*, inquit, *literas utcunque puero degustatas, jam grandior redii, hoc est, annos natus plus minus triginta, sed tunc, quum apud nos nulla Græcorum codicum esset copia, neque minor penuria doctorum. Lutetiæ tantum unus Georgius Hermonymus Græcè balbutiebat, sed talis, ut neque potuisset docere, si voluisset, neque voluisset, si potuisset. Itaque coactus ipse mihi præceptor esse verti multos &c.* Lavaterus testatur se à sene Pellicano sæpe audivisse, per totam Germaniam nullum Græcum testamentum, quamvis multo emendum, prostitisse. Primum ejus exemplar ex Italiâ oblatum est. In Germaniâ Græcarum literarum doctrinam primus explicuit *Ruardus Crocus* Britannus, cui Lipsiæ operam dedit Joachimus Camerarius, ut testatur in suâ de Eobano Hesso narratione, usque ad annum ergò 1512. hæ exulaverant literæ. Crocus verò præcepta Grammaticæ imprimis calluit, eaque perspicue tradere sciebat. Ejus tabellæ, quibus elementa linguæ Græcæ explicavit, à doctis commendantur. In Galliâ audiverat Hieronymum Alexandrum. Lipsiam cum venisset, omnes eum, tanquam cœlitus demissum, venerati sunt. Docenti postulatum minerval persolvere nemo recusavit, si concubiâ nocte se conveniri, si quamvis longe extra oppidum jussisset, omnes obsecuti fuissent. Huic in Patriam profecto successit Petrus Mosellanus, qui cum spem uberioris doctrinæ studiosis facere cœpisset, naturæ infirmitate (quod esset corpore supra modum gracili atque tenui) studiorum defatigationes diu tolerare non potuit; quibus oppressus admodum juvenis obiit, anno, postquam publicè docere cœperat, sexto. *Melancht. Declam. tom. 7. pag 384. &c.*

Cum Melanchthon Demosthenis orationes Philippicas, anno

anno 1524. publicè enarraret, auditores habebat tantum quatuor, exemplar erat tantum unum, idque Philippi Melanchthonis, unde reliqui describere cogebantur. *Vit. Winsh. orat. in fin. Mel. lib cit. pag. 271.*

Tantæ molis erat Græcas sarcire ruinas.

Hebraicè autem scire hæreticum videbatur. Alexander Hegius, inter sui temporis doctissimos numeratus, scribebat Wesselo Groningensi, se, in bibliothecâ Daventriensi Cusanâ, multos libros Hebraicos reperisse, sibi prorsus ignotos. Ipse Wesselus inter Monachos Adwerdienses, apud quos vivebat, Hebraica plerumque legebat, idque editâ voce, ut Monachi quasi stupentes, & admirabundi ad voces ignotas auscultarent. Atque hinc ortæ lites inter Theologos Colonienses, & Capnionem. Cum Johannes Phefercornus, Christianæ professionis Judæus, sed qui postea ad vomitum rediit, & Halæ Saxonum combustus est, (*Hoornb. contra Judeæos pag. 8. Majol. dier. canic. tom. 3. colloq. 1.*) Maximilianum Cæsarem diu multumque solicitasset, ut libri Judæorum Bibliis exceptis, abolerentur omnes, ut impii & superstitionis pleni. Maximilianus Urieli Archiepiscopo Moguntino mandat, ut Academiis aliquot, & Jacobo Hogostrato, & Johanni Reuchlino det negotium deliberandi, quid ex usu sit. Reuchlinus Archiepiscopo Moguntino perscribit, & Hebræorum libros ait esse tripartitos, Historicos, Medicos, Thalmudicos, nec hos unius generis, etsi in illis multa sint ridicula & superstitiosa utiles tamen esse ad illorum errores refutandos; ubi hoc Phefercornus rescivit, magnam tragœdiam excitavit, ut latius à Sleidano describitur. *Comment. lib. 2.* Johannes Bochenstain de se querebatur; Nullibi tuto sibi licuisse linguæ S. operam dare. In carcerem erat conjectus à Judæis, quod eorum disceret linguam; sed nec Christiani parcebant, quod linguæ excolendæ gratiâ viveret cum Judæis. Quantis cum difficultatibus hac in parte luctatus sit

Conradus Pellicanus videre est in ejus vita apud Melchiorem Adamum; vide *Amam. Censur. vulg. vers. proleg. Cap. I.* & *ejusdem Antibarbarum Biblicum.*

De conditione reliquarum artium Dialecticæ, Rhetoricæ, &c. his temporibus. *vide Hotting. Hist. Eccl. N. T. part. 5. pag. 167-220. Philip. Melancht. serm. de studiis corigendis* & *Vivem de causis corruptarum artium*, qui omnium disciplinarum corruptiones, earumque causas satis evidenter indicat, Theologiam tamen sui temporis, ejusque multiplices corruptiones, aut ex illorum ignorantiâ, aut ex metu Pharisæorum, non attingit.

Tum temporis pro monstro habebatur Magister, vel Baccalaureus, & inter mille clericos vix unus reperiebatur, qui vel unius Universitatis locum vidisset. Adhuc Phil. Melanchtonis ætate in septentrionali & maritimâ Germaniâ JCtum reperiri, miraculum fuit. Eberhardo Wittenbergiæ Duci I. aulici, morum Præfecti, linguæ latinæ studium permittere noluerunt, dicentes: Maternam ei linguam sufficere. Et Ulrico Optimates Ducatus *duum* oggannicbant, satis esse si sciat Germanicè scribere & legere, ac præesse ditioni ex veteribus legibus, ac Alemanicis institutis. Paulus II. Pont. Max. humanitatis studia ita oderat, & contemnebat, ut ejus studiosos uno nomine hæreticos appellaret; & Romanos hortabatur, ne filios diutius in studiis literarum versari paterentur, satis esse si legere & scribere didicissent. *Platina.* Honos alit artes, si autem talis sit temporum infelicitas, ut tunc fuit, ut nec Magnates de literis judicare possint propter ignorantiam, nec literatos fovere velint propter avaritiam, quid aliud præter barbariem exspectandum est? Rectè Martialis;

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Theodorus Gaza Xisto IV. Pont. Max. nobilissimas lucubrati-

brationes, in membranis eleganter exaratas, obtulit, neque tantum honorarii æris, quo librario mercedem solveret, ab eo accepit, itaque indignatus, 12. aureos, qui donati erant, in Tiberim projecit, unà cum reliquis Commentariis, quos edere cogitabat; *Effugere hinc libet*, inquit, *postquam optimæ segetes in olfactu pinguibus asinis sordescunt.* Atque ita in Bruttios, sacerdotii sedem, contendit, ubi paulò post, in extremâ senectute, ex inopiâ, præ negligentiâ rei familiaris, ut olim Anaxagoras, interiit. *P. Jovius in elogio Gazæ.* Jul. Cæs. Scaliger inter Heroas suos & hunc Gazam collocat, sequenti Epigrammate ingratitudinem Papæ exprobrantem:

Barbariem qui expugnavi, me barbarus hostis
Expulit; at pulsus sic quoque victor abii.
Avexi patriam ex patriâ sub pectore sancto;
Quæ miseranda cani præda futura fuit.
Invexi Romam in Latium, cognoscite Romam,
Quæ, belli nullo turbine capta, viget.
Pro quibus, ab, meritis, ô ter scelerate Tyranne,
Qui cauda es, Romæ diceris esse caput,
Te vivente, vidente, jubente, miserrimus illâ
Pauperie fractus, qua tibi Regna canis.
En morior; morior verò, qua publica cura est
Cuncta pati, & melius post sua fata tegi.
Romule, te jacta; jacta te, maxime Theseu:
Vestra est materies terrea; forma mea est.

Non mirum, cum jactare non erubescerent, *solœcismos esse laudes ac gemmas Philosophorum.* Scilicet non curabant *de verbis sed de sensibus.* Aptissimè sanè rem quamque explicabant, qui tam solerter ipsam vocem *Res* derivari docebant, vel à *reor, reris*, vel à *ratus, ratum. Gassend. lib. 1. exerc. parad. 1. contra Aristot.* Similibus ridiculis derivationibus congerendis non insistam, ne ridiculè ridiculum laborem sucepisse videar.

Nec

Nec fieri potuit, quin hoc malum etiam in superiores facultates inundaret. Quàm misere habita fuerit Jurisprudentia, narrabo verbis clarissimi JCti *Jacobi Gothofredi in Manuali Juris*, in quo historiam seu progressus juris Ro„ mani exhibet, in quâ *Cap.9.* sic ait: secuta sunt Justini„ anum ea tempora, imò partim excepére, quibus neque „ occidentem Justinianéi libri penetraverunt. Jam dudum „ enim eum barbari, Gothi, Franci, Saxones, Vandali per„ vaserant: pervaserunt & postea Longobardi. Quare Bar„ barorum legibus locus jam factus, Salicis, Burgundi„ onum, Visigothicis, Longobardicis, quas exhibet corpus „ legum antiquarum, nisi sicubi suæ & Rom. leges infelici„ bus Romanorum reliquiis servatæ fuerunt; & hæ ipsæ ta„ men leges Romanæ non è libris Justinianeis, verùm ut „ antea ex codice Theodosiano ipso, statim ut conditus „ (teste Sidonio Apollinari) ita postea ex epitomâ quadam co„ dicis Theodosiani, subtextis nonnullis è Gregoriano, Her„ mogeniano, Pauli sententiis, Ulpiani regulis, Gaji insti„ tutionibus. In orientis imperio miro miseroque fato, & „ eodem quo cæteræ disciplinæ Justinianéi libri sensim obso„ luere, recedente paulatim linguæ latinæ usu, & barbarie „ indies magis ac magis accedente, quin & novellis subinde „ pro novo reip. statu, insecutorum Principum constitutioni„ bus alicubi etiam per invidiam & æmulationem incum„ bentibus. Quare, ut de Leonis Novellis nil dicam, in no„ vas subinde formas opus Justinianéum recoctum. Nil jam „ dico de institutionum paraphrasi, quæ Theophilum habet „ auctorem, utilissimâ; hoc ipsum sanè ostendit Basilii Mace„ donis epitome Juris Codicis, seu Digestorum, seu πρόχειρον, „ trecentis circiter post Justiniani tempora annis conditum. „ Testantur Basilicorum 60. libri à Leone filio ejus, & Leonis „ filio Constantino Porphyrogennetâ, repetita prælectione „ concinnati, in unam videlicet consonantiam omnibus

Justi-

Justiniani operibus confusis, testatur eorundem Basilico-,, rum synopsis seu Ecloga: fidem faciunt tot barbara & igno-,, ta JCtorum nomina, notas jam in Basilica, tanquam fundum,, Jurisprudentiæ, conscribentium; Testis est Photii Episcopi,, Constantinopolitani Nomocanon, quo is leges civiles cum,, Canonibus miscuit, quique postea Theodorum Balsamo-,, nem Interpretem nactus est. Hinc etiam Synopsis altera,, Attaliatæ adhuc brevior, & velut Synopsis Synopseos, jussu,, Michaelis Ducæ Imp. A. D. 1077. His accedat & Constan-,, tini Harmenopoli, Procheirum sive promptuarium ex Ba-,, silicis conflatum circa Emmanuelis Comneni ætatem: A. D.,, 1145. His accedant omnibus Paratitlorum Græcorum li-,, bri, quorum tres Leunclavius edidit; quorum omnium ut,, usus aliquis sæpenumero esse potest, ita maximam partem,, affaniarum plenæ, usque quo orientis imperio perpotiti,, jam Turcæ, capta Constantinopoli, Anno 1485 quos tamen,, ipsos & reverentia quædam juris Justiniani, vel curiositas,, saltem tetigit, si verum est quod Leunclavius prodidit,, Codicem Justinianeum neque Turcis in sua lingua deesse. *hactenus verba Gothofredi.*

Majori cum periculo inquinata fuit, cum animarum dispendio, Regina facultatum Theologia, textualis, historica, systematica, Catechetica; unde horrendum chaos in Ecclesiam Dei introductum est.

Theologiam textualem quod attinet (quæ totius facultatis fundus, juxta illud vulgatum, *Bonus textualis bonus Theologus*) ea tum temporis sectionibus illis ex Evangelio, quas dominicales vocant, paucis sane continebatur; reliquo S. Scripturæ corpore neglecto. Post exortos vero monachos mendicantes, eo res devenit, ut nullus sacras literas vel a limine salutaret. Imo si quis bibliorum lectioni intenderet, hunc hæreticum, schismaticum, inobedientem, apostatam proclamarunt, verberibus & carceribus ad impie-

tatem & ignaviam seu (ut ipsi vocant) obedientiam coëgerunt, authores bonos exusserunt, monachos rudiores compulerunt, ut loco sacrorum bibliorum, *dormi secure, discipulos* & alios obscuros Sermonistas, qui nil præter nugas continerent, legerent. Hæc asinina stupiditas proverbio illi locum dedit: *Monacho indoctior*. Lucerna verbi Dei, isto pacto, sub modio constitutâ, ignes quidam fatui successerunt, qui tenebras illas illuminarent. Testatus est Melanchthon, monachum quendam pro concione ethicam Aristotelis explicasse, seque primam partem libri primi ab ipso audivisse. Tiguri quoque & alibi passim e Thoma & Scoto conciones habitæ, & jactatum a multis, etsi S. Literæ intercidissent, ex Platonis, Aristotelis, Senecæ, Plutarchi monumentis viam salutis erui posse. *Hoornb. sum. Controv. lib. 9. Manl. collect. pag. 478. 495. Spanh. Genev. restit. pag. 28.* Tantus aqud eos fuit Aristoteles, ut Theologi Colonienses illum Divis annumeraverint librumque ediderint, *de salute Aristotelis:* & alium metricum, *de vita & morte Aristotelis*, quem theologica glossa illustrarunt, & in ejus calce concludunt: *Aristotelem sic fuisse præcursorem Christi in naturalibus, ut Johannes Baptista fuit in gratuitis. Wolf. lect. memor. tom. 2. pag. 136. centen. 16. ad annum 1520.* Usque adeo inveteratum fuit hoc malum, ut Petrus Gassendus, qui nostro adhuc seculo floruit, *lib. exerc. parad. 2. contra Aristoteleos*, testetur, se novisse philosophiæ simul ac theologiæ celebrem professorem, qui asseruerit, se existimare, *magnum iri Deo præstitum obsequium, si proprio sanguine obsignasset, confirmassetque verissima esse, quæcunque Aristotelis operibus continentur.* Bernardus tamen Lutzenburgus in catalogo hæreticorum, inter hæreses Hermanni Rijswick propter quas primo carcere, deinde vivicomburio punitus est, etiam hanc recenset, quod docuerit; *doctissimum Aristotelem, & ejus Commentatorem Averroëm, veritati fuisse propinquissimos.* Similia vide apud Hotting. *disp. de Melchisedeco. Ennead. pag. 173.*

In

In concilio Tridentino disputatum tandem, priscis quidem seculis permissum fuisse, in sacræ Scripturæ libros Commentarios scribere, necessitate id postulante, quod paucæ essent expositiones Bibliorum, & nullo, sicuti hoc seculo, impendente turbarum metu. Scholasticos igitur theologos, cum viderent nullam esse in Ecclesia aliarum Interpretationum necessitatem, & scripturam non modo sufficienter, sed etiam copiose explicatam, aliam rerum sacrarum tractandarum rationem inivisse. Cumque viderent homines ad disputandum suopte ingenio proclives, satius duxisse distinere eos potius, Aristotelis effatis & rationibus, atque interim verbo Dei cultum & reverentiam debitam conservare; cui plurimum decedat necesse est, quando illotis vulgi manibus tractatur, aut curiosis, tanquam materia exercitandis ingeniis propinatur. Atque hæc sententia eo confidentiæ processit, ut F. Ricardus de Mans, ordinis Franciscanorum, non erubesceret dicere, fidei dogmata, opera scholasticorum in præsens sic enucleata, ut in posterum ex scriptura ea addiscere nihil esset opus. Eam olim in Ecclesia legi, & in scholis addisci solitam, ad populum instituendum. Nunc vero in Ecclesia lectitari, ut orare doceat solum, qui unicus debet esse illius usus; non autem ut addiscatur. *Hist. concil. Trid. lib. 2.* hinc tandem factum est, ut illi etiam qui Theologi audiebant, aut ipsi S. Scripturam non legerint, aut legentes non intellexerint. Lutherus jam anno ætatis vigesimo artium Magister renunciatus erat, anno vero seqventi in Monasterio Augustinianorum Biblia primum vidit. Andræas Carolostadius jam octo annorum Doctor erat, cum ad scripturarum lectionem accederet, & tamen, cum circa annum 1510. in Acad. Wittenb. pro Licentiâ disputasset, actis Academiæ insertum fuit hoc elogium, quod fuerit *sufficientissimus*. Quidam Doctor theologus rogatus de catalogo negitabat se ejusmodi librum in bibliotheca sua habuisse unquam. Agnoscebant multi Sorbonici, imo *per*

Diem jurabant, *se plus quam 50. annos habuisse, quod nesciebant, quod esset Novum Testamentum. Amam. Antibarb. Bibl.* Subinco, postquam Archiepiscopus Pragensis factus esset, demum literas didicit, cum ad illud usque tempus ἀναλφάβητος fuisset. *Hist. persec. Bohem. cap 8. §. 9.* Simile narrat Hyperius, *lib. 1. de lectione S. Script.* se audivisse in Gallia senem & canum & modestia singulari virum, qui narrabat se renunciatum fuisse Doctorem Theologiæ in Sorbona Parisiensi, cum nunquam vel tria capita in sacris bibliis perlegisset: annos deinde aliquot egisse Ecclesiæ non obscuræ Pastorem, & quamvis quotidie Psalmum 119. in quo mirifice commendatur studium, efficientia & usus verbi Dei, aliquoties insuper repetuntur hæc verba; In lege Domini meditabor die ac nocte, decantasset, nunquam tamen de libris sacris, studio percipiendæ veritatis, evolvendis quicquam sibi in mentem venisse, nunquam etiam se concionem de scripturis ad populum habuisse. Quomodo autem sacrum textum intellexerint, patet ex doctrina tunc recepta, narrat Erasmus, *Eccles. lib. 2. & in epist. Hieron. ad Heliod. sodalem tom.* 1. magni nominis Theologum, quem tamen honoris causa non nominat, verba Prophetæ Habacuc, *Turbabuntur pelles terræ Madian*, de cute Bartholomæi excoriati interpretatum esse. Et Melanchthon, in Encomio Eloquentiæ, quod in 1. Tomo declamationum ejus legitur, bellos hos homines ait cœpisse rixari de commenticiis verborum compositionibus, quid intersit inter hæc *Papam vidi & vidi Papam* & extare articulum Parisiensem, *ego currit*, male latine dici, hæreticum esse quisquis dissenserit. Alius quidam ex Magistris nostris, cum enarraret ea quæ de Melchisedeco in Genesi prodita sunt: *Rex Salem, panem ac vinum protulit*: non animadvertens *Salem* loci nomen esse, multa de condimenti vi ac natura disseruit Jacobus Ceratinus Sacerdotali dignitati inaugurandus, a Barbaris pro more interrogatus, ut Grammaticalis regulæ authoritatem recitaret hominū

do-

doctissimus, spurcæque Barbariei proculcator strenuus, ingenue negavit scire se: ad quod responsum e vestigio ex adyto illo sanctiore, ut profanus jussus est excedere, grammaticamque felicius ad diligentius evolvere *Junius prov. isthic vellus non carpitur.* Scitum est quod de Matthæo Phrissemio, qui artes liberales Coloniæ docuit, refertur a Georgio Fabrino in vita Joh. Rivii Atthendoriensis: is Phrissemius cum Theologiæ operam dedisset & literis cultior ac linguis instructior esset, quam aut theologo Coloniensi, aut homini Christiano, qualem Monachi tum esse volebant, conveniret; in honore usitato petendo fert repulsam. Theologis autem literatam eloquentiam in eo, & Græci sermonis peritiam reprehendentibus, animose respondit: *quia a vestro collegio excludimur, ecce convertimur ad gentes.* Itaque jurisprudentiæ operam deinceps navans, decus & honores consecutus est. Insigne est alterum inscitiæ exemplum, quod ibidem ab eodem Fabricio narratur: Rivium oderant sacrificuli, quod eorum carperet imperitiam in canticis Ecclesiasticis, quæ illi suo arbitratu mutabant. Notum est carmen Lactantii, an Honorii Fortunati? de resuscitato a mortuis Christo:

Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona redisse suo.

Hoc aliter cani præcipiebant pueris, videlicet in die ascensionis Christi, hoc modo:

Ecce ascendentis testatur gratia mundi.

Item in die missionis Spiritus Sancti, isto:

Ecce spiritus mittentis testatur gratia mundi.

Quis autem non intelligit quam stolida & fatua imitatione? Talia non recte fieri cum doceret Rivius, quodam die ita tumultuabatur Johannes Zeidlerus sacrificulorum antistes, artium Magister, & Tecelii monachi indulgentiarii olim collega, ut convitia faceret in templo præceptoribus, nec manus à pueris abstineret, coram maxima hominum multitu-

 dine.

hac in parte, reformationem admittere voluerunt, quod suo periculo docuit Barbarorum sophistarum antagonista *Petrus Ramus*: cum enim, Aristotelis exemplo, eloquentiam cum Philosophia conjungeret, & Logicam imprimis artem, non in vanis clamoribus, & spinosis disputationibus, sed in usu consistere, ex cordatis ac probatis auctoribus demonstraret, atque adeo ad Grammaticam etiam descenderet, maximos tumultus Doctores Sorbonici excitarunt, quasi ad Grammaticorum subsellia, non sine ignominia sui ordinis revocarentur. Cum enim Gotthica quarundam literarum pronuntiatio à Regiis Professoribus emendaretur, tantis conatibus contra iverunt Sorbonici, ut quendam sacris addictum, quia contra eorum consuetudinem pronunciasset, amplissimis proventibus spoliandum curaverint, & absque Regiis Professoribus fuisset, miser, ob Grammaticam hæresin, Theologicis fructibus caruisset, lite jam coram Senatu Parisiensi contestata. Incredibile est, sed tamen verum, in Parisiensi Academia Doctores extitisse, qui mordicus tuerentur, *Ego amat*, tam commodam orationem esse, quam *Ego amo*: ad eamque pertinaciam comprimendam consilio publico opus fuisse. Nec destiterunt bonarum literarum osores, priusque Ramum, in laniena Parisiensi Anno 1572. oppressissent Gymnasii enim Prelæi foribus effractis, Ramo frustra veniam precanti, a sicario vulnus in brachio inflictum est; pluribus deinde ictibus confoditur, e fenestra, spiritum adhuc trahens, in aream præcipitatur, pedibus fune devinctis, per urbis sordes devolvitur, capite a Chirurgo quodam truncato cadaver in Sequanam projicitur. vide vitam ejus a *Freigio* & *Bonosio* descriptam. Quanta non sustinuit Erasmus? Non jam illa dico, quæ ad Theologicas pertinent controversias, cum enim in religione ambidexter esset, utramque partem in se concitavit: sed quod literarum reparationem attinet, hostes sibi fecit Ecclesiasticos, Colloquiorum & Moriæ editione

tione. Italos logodædalos, imprimis J. C. Scaligerum, dialogo Gceroniano: Plurimi vero Barbarii in eum insurrexerunt, cum Novum Testam. latine redditum, atque in illud Annotationes ac Paraphrasin emisisset. Anonymus quidam carpsit, quod *Magnificat* correxisset: Alius quod Principium Evangelii Johannis vertisset: *In principio erat Sermo.* Cornicis hujus oculos imprimis configere voluit Eduardus Leus, cujus liber a Germano quodam, in Bibliotheca Minoritarum Lovaniensium, stercore oblitus est, in auctoris contumeliam. G. Nescenus epistola ad Lupsetum addit epigrammata Conradi Goclenii, de hoc lepido facinore. Censuram præterea in Erasmum strinxerunt Facultas Theologica Parisiensis, Stunica, Nicolaus Ecmondanus Carmelita Lovaniensis; Natalis Bedda, Petrus Sutor, Sorbonici, quos omnes editis apologiis confutavit; unicum addam exemplum quod *Manlius refert loco supra cit.* Vicarius Augustanus Theologiæ Doctor explicabat Tubingæ librum Jobi, cum pervenisset ad decimum vel undecimum caput, professus est visum sibi fuisse Jobum magis illis enarrationibus, quam suis ulceribus cruciari. Tandem, fine illis lectionibus imposito, dicebat *& se & Jobum lætari, quod illas explicationes desineret.* quid mirum? creabantur enim promiscue Sacerdotes, non ad docendum, sed ad missandum; atque in cantionibus non intellectis, frigidisque Ceremoniis proram & puppim religionis consistere putabant. Quin etiam tanta fuit barbaries, etiam tempore Reformationis, ut tales Sacerdotes inveniri fere non potuerint. Dicuntur in ditione cujusdam Episcopi, vacasse 16. parœciæ, non aspernandis reditibus dotatæ, quæ cum obtruderentur multis sacrificiis, integros tamen annos vacarunt. At eodem loco vacavit Carnificis seu spiculatoris munus, illam præclaram præturam una duodecim ambierunt. *Justus Jonas præfat. in Syrac. latine ab ipso redditum.* Huc facit historia de Davide Burgundo, Episcopo Trajecten-

jectensi, quod trecentos suæ ditionis sacerdotes, ut indoctos asinos, adeoque isto munere indignos, tribus tantum exceptis, exauctoravit, narrrante Erasmo *lib. 1. ecclesiastæ.* Plura non congeremus, quia reliqua absolvere properamus.

Theologia historica, ex historia Longobardica, sive legendis sanctorum: ex *aureis legendis:* (quas Beza in vita Calvini, *allegandas stercoreas* vocat,) *speculo exemplorum; vitis patrum & similibus* petebatur. De fabellis hisce temporibus excogitatis vide *Dall. de vero usu patrum lib. 1. cap.* 3. Erasmus in proverbio *Ventres* lepidum quid, huc etiam faciens, ex etymologio Græco recenset. Systematica, quæ in scholis præsertim ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων tradit, post Johannem Damascenum, antesignanum nacta est Petrum illum Lombardum sententiarum magistrum, quem totus scholasticorum chorus, quorum nomina nunc fere oblivione sepulta sunt, secutus est. *vide Hoornb. dissertationem de controversiis theologicis summæ controversiarum præfixam. Hotting. hist. eccl. N. T. part. 3. pag. 73. & seqq,* Hi acutissimis suis subtilitatibus cornicum oculos confixerunt, ad illorum magistrales definitiones ac determinationes Petrus & Paulus obmutescant oportet. Paulus fidem definiverat Heb. 11. 1. *Substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium:* quæ definitio quamvis placuerit magistro sententiarum *lib. 3. dist. 23.* tamen parum magistralis visa est decretalium glossatori, qui in glossematum suorum principio asserit hanc etiam spei convenire, ideoque aliam meliorem scilicet, ac magis magistralem substituit, nempe: *Fides est voluntaria certitudo absentium, infra scientiam, & supra opinionem constituta.* Quam definitionem deinceps explicat, & in species suas formatam scilicet, & informem magistraliter dividit. Operæ pretium mihi videtur hic addere verba Petri Cunæi *de rep. heb. lib. 3. cap. 9.* [*Ridicula superstiti-*

perstitio est, definitionibus semper sollicitum esse. Quædam enim res haud recte limitantur. Ita rerum indoles fert. Profecto doctores umbratici, qui omnia in formulas includunt, sæpe in arctum desiliunt, unde pedem referre haud sinit pudor, & incepti lex, hinc discordia, iraque & nulla modestia contentionis. Apostoli & Evangeliorum scriptores si brevi usura lucis ad mortalium cœtus redirent, mirarentur, ad libros suos interpretandos, tot esse analyses methodosque, & ex sophistarum nugis tot insanas moles convectatas. Divina quædam res est in eorum scriptis horrida illa simplicitas, quam olim tanto quisque felicius secutus est hercle, quanto propius tempora illorum attigit. Nunc, in hoc mundi senio, postquam intra famelicæ artis spatia stetimus, levibus atque inanibus præceptis effectum est, uti corpus divinæ sapientiæ enervaretur & caderet. Thomas Aquinas scholasticorum omnium facile princeps, fuit qui hæc quatuor implacabiliter pugnantia indissolubiliter conjunxit, copiam, brevitatem, perspicuitatem, obscuritatem, de illo tum sic judicavit Erasmus Roterodamus, illum cum Luthero comparans; *quod plus profecerit ac eruditus sit ex lectione unius pagellæ Lutherianæ, quam ex toto Thoma.*

De theologia catechetica altissimum, apud illorum seculorum scriptores, usque ad reformationis tempora, silentium. Unus qui eam curavit fuit Johannes Gerson, academiæ Parisiensis cancellarius discipulus Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis, a Carolo VI. Galliarum Rege, ad concilium Constantiense missus, ubi papam concilio subesse docuit. Hic censuit expedire, ut fieret tractatulus super punctis principalibus religionis, & specialiter de præceptis ad instructionem simplicium; quibus nullus sermo aut raro fit, aut male. Adeo ne libellus quidem catecheticus, ad rudium instructionem, tunc temporis fuit. Post habitum Constantiense concilium, omnibus bonis orbatus, Lugdunum fugit, ubi antea Cœnobii Cœlestinorum prior fuerat.

fuerat. In calce ejus operum, olim Parisiis editorum, additur, solitum Gersonem, tot errorem in ecclesia grassantium conscientia perculsum, paulo ante mortem, congregare multos puerulos in templo, quorum veluti præceptor erat, eisque præire precatiunculam, vulgari sermone, in hæc verba: *Mi Deus, creator meus, miserere miseri tui famuli Johannis Gerson. catal. test. verit. pag. 804. 805. Hoornb. tractatu belgico de Catech. cap. 4.*

Politia ecclesiastica secundum jus canonicum administrabatur. Antiquissimus canonum collector Isidorus Hispalensis: secutus deinde Burchardus Wormatiensis episcopus tempore Ottonis 3. & Henrici. 2. Nec multo post Ivo Carnotensis episcopus, item Cresconius, Anselmus, Deus-dedit cardinalis, Gregorius presbyter, qui volumen suum Polycarpum inscripsit, sicut Ivo Pannormiam & decretum. Novissimus Gratianus Monachus Benedictinus Bononiensis, anno 1151. qui decretum compilavit, cui additæ deinde decretales Clementinæ, & extravagantes, quibus partibus corpus juris canonici constat; quod a Bibliandro *pludermentum delirissimum* vocabatur. Hoc tantum agit, ut papæ tyrannis in ecclesiam stabiliatur.

Hoc rerum statu cum omnis (ut olim tempore Noachi) caro viam suam corrupisset, rari fuerunt, qui libros aut bibliothecas curarent. Magistratus quidem urbis Magdeburgensis jus civile Romanum abbreviatum, & saxonica lingua conscriptum, non sine reverentia custodiebat, quod Caroli M. authoritate firmatum erat, eoque in decisione causarum circumvicinæ gentes recurrunt. *Pius 2. descript. Europ. cap. 31.* Sed hoc politica tantum attinet, & parum est respectu immanis illius barbariei. Monachi, qui antea libris describendis occupati fuerant; nihil præter operosas ceremonias in templis, & antris suis tractarunt, bibliothecas eorum describit Menotus anno 1562. concionator

onator gallicus, *apud Wolf. lect. memor. tom. 2. pag. 820. Sed „nunc quid in cameris sacerdotum reperietis? an expositionem „epistolarum, aut postillam super Euangelia? non. Faceret eis ma-„lum in capite Magister Nicolaus de Lyra. Quid ergo? unum ar-„cum vel balistam, spatham aut aliud genus armorum, aut scor-„torum.* Similibus instrumentis instructa erant scrinia Canonicorum Hildesheimensium; cum enim Johannes II. ad ejus ecclesiæ episcopatum vocatus esset, bibliothecam sibi monstrari rogavit, aulici & canonici eum in armamentarium optime instructum deduxerunt, hisce libris episcopatum contra hostes defendendum fore dictitantes. Ille verò talem bibliothecam, nec vitæ suæ instituto, nec moribus congruentem aversatus, relicto episcopatu ad privatam vitam rediit. Non multo post Augustæ vindelicorum factus episcopus, ubi inter libros, quibus bibliotheca illa instructa est, vixit, cum autem inter senatum, clerum ac populum tumultus orti essent Wormatiam concessit. Obiit anno 1373. *Bruscb. de episc. germ. tom. 1. fol.* 123. 146. 210. 211. Erasmus Alberus, cum, jussu electoris Brandeburgici, visitaret Cœnobium Franciscanorum, biblia quidem invenit nusquam, sed alios quosdam libros, tam horrenda & blasphema continentes, ut nemo sanus talia vel excogitari, vel scribi, nedum fidem apud aliquos mereri cedere unquam possit: ex quibus, maxime vero ex libris *conformitatum S. Francisci*, collegit librum qui titulo *Alcorani Franciscanorum* circumfertur. Ipsum vero librum *conformitatum* domi suæ diligenter servavit M. Lutherus, ut os obstrui possit pontificiorum impudentiæ, qui hodie, ex regula nebulonum, quidvis negant, atque hujus farinæ lilibros ipsi coëmunt, ne meretricis Babylonicæ pudenda nuditas orbi patefiat amplius. Cum his rebus otia fallerent Monachi, quis miretur ab iis inventam esse magnam illam humani generis perniciem, diabolo monstrante, tormenta

menta bellica, & pulverem pyrium? *Vide Paralip. Abb. Urſperg. circa annum 1446. Munſter. Coſmogr. lib. 1. pag. 488. Pinc. ænigm. 34. lib. 3. Jonſton. conſt. natur. pag. 83.* In cœnobio Lutzelſteinenſi, ordinis S. Benedicti, in quo vixit Wolfgangus Muſculus, bibliotheca nulla fuit. Accidit vero, ut aliquando, ſub ipſo ædium tecto, confuſam diſſolutarum membranarum congeriem Muſculus offenderit, ex qua aliquot Ciceronis opuſcula, & Ovidii opera omnia collegit. *M. Adamus in vita Muſculi.* Sic libros Monachi curabant. Sic ubi tamen bibliothecæ ſuperfuerunt, nihilo tamen diligentiores Monachi; unde Georgius Sabinus monachos, libros, pro more, catenatos ſervantes, hoc epigrammate riſit:

Haud ſecus ac duro fugitivos carcere ſervat
Veſtra catenatos bibliotheca libros.
Quid mirum? ſi nulla viget doctrina, colendi
Doctrinæ auctores hic ubi vincla gerunt.

Horum βιβλιοθῆκαι vere βιβλιοτάφοι. Cujus vero generis fuerint hi tam diligenter cuſtoditi ſcriptores audiamus ex Eraſmo *de conſcrib. epiſt. Ubi nunc in ſcholis auditur Michael Modiſta, ubi gloſſema Jacobi, ubi citatur catholicon, Brachilogus aut Mammætrectus, quos olim, ceu rarum theſaurum, aureis literis deſcriptos habebant monachorum bibliothecæ?* Monachi tamen Benedictini præ cæteris propter bibliothecas celebrantur, ex quibus multa collegit Weſſelus Groningenſis, Gansfortius, magiſter contradictionis, quibus theologos ſui temporis vexavit, ut narratur in ejus vita, ubi etiam mentio fit *bibliothecæ Adwerdienſis* in agro Groningano. Apud Benedictinos nemo clarus extitit, qui non opere aliquo mathematico (nam mathemata præcipue curabant literati) eruditionem ſuam egregie teſtatus ſit, atque ejus monumentum in bibliothecis reliquerit. *Phil. Mel. ſerm. de ſtud. corrig. declam. tom. 1.* In *monaſterio Herveldenſi*

cartarium in quo ſervabatur epiſtola Nicolai II. Pont. R. Abbati ſcripta. *Schafnab. ad annum 1059.* Imperante Henrico III. *Brema* cum templo ſummo, atque epiſcopi domo, reliquisque ſacris ædibus, tota eſt incendio conſumta, theſauri eccleſiæ, ornatus, libri, in quo potiſſimum detrimentum, penitus exuſti. *Emm. rer. friſic. dec. 1. lib. 6.* *Abbatis Spanheimenſis* bibliothecam literis antiquis, optimis, rariſſimiſque in omni literatura libris decoratam vidit Pellicanus. *M. Adamus in ejus vita.* *Moguntinenſis* bibliotheca inſignis incendio periit ſub Conrado comite à Wittelsbach archiepiſcopo, qui obiit anno 1205. *Bruſch. de epiſcop. germ. fol. 11. tom. 1.* Eccleſiæ *Conſtantienſi* circa annum 900. præfuit epiſcopus Salomon, qui in San-Gallenſi monaſterio ab Iſone liberaliter inſtitutus, literarum amorem non abjecit. Libri latine ab eo ſcripti & in San-Gallenſi, & Conſtantienſi bibliothecis fuerunt. Suam enim eccleſiam Conſtantienſem multis ornamentis, plurimis præſertim libris optimis, illuſtravit *ibid. fol. 36.* Anno 1250. cum *Ratisbonæ* Conrado Friderici II. filio inſidiæ ſtructæ eſſent, Conradus illis extrema quæque minatus eſt. Eccleſia *ad S. Emmeranum* vexationem ſuam bibliothecæ libris quingentis redemit, ad quam redemtionem altare aureum, quod a temporibus Remfoldi exſtructum, uſque ad ea tempora duraverat, 67. marcarum auri expenderunt. *Paralip. abb. Urſ. Naucl. gener. 42.* Bertoldus Verdenſis epiſcopus *in templo Mauriciano* inſignem Bibliothecam collegit; obiit, anno 1503. *Bruſchius de epiſcop. germ. fol. 135. tom. 1.*

Magdeburgenſes etiam quaſdam bibliothecas annotarunt, *cent. XI. & XII. cap. 7.* Theobaldus, Caſſinenſium monachorum abbas, deſcribi curavit libros Auguſtini de civit. Dei, in pſalmos, de trinitate, & plures alios. Gerbertus Remorum epiſcopus, poſtea papa rom. Sylveſter II. omnium abſtruſiorum ſcientiarum diligentiſſimus indagator, ut

tor, ut etiam in magiæ ſuſpicionem venerit, ut Platina non obſcure narrat, bibliothecam per omnem Europam conquiſivit: epiſt. 44. ſcribit Ecberto abbati Turonenſi: *bibliothecam aſſidue comparo, & ſicut Romæ dudum, & in aliis partibus Italiæ, in Germania quoque & Belgica ſcriptores, authorumque exemplaria multitudine nummorum redemi, adjutus benevolentia & ſtudio comprovincialium, ſic, itentidem apud vos per vos fieri, ſinite ut exorem.* &c. *Hamburgenſis bibliotheca* per Angarium inſtituta, tempore Ludovici & Lotharii conflagravit. *Bibliotheca* autem *Campidonenſis* exuſta. *Bibliotheca* vero *eccleſiæ Hannonienſis* ex incendio ejus eccleſiæ ſola ſervatur, anno 1123. Monachis Hirſaugienſibus ſuccedentes clerici ſeculares, cum ſuis concubinis omnia in nihilum redegerunt, ut nec libris, quorum ingens ibi copia collecta fuerat, per diligentiam veterum monachorum, parcerent, paucis annis turpiter vivendo, pretioſiſſimum illum bibliothecæ theſaurum adeo deſtruxerunt, ut nec unum quidem codicem alicujus pretii reliquerint. O librorum helluones! *bibliothecam* vero *Hirſaugienſem* pretioſam fuiſſe inde conjicere licet, quod cum a prima fundatione, per annos fere 180. multi doctisſimi viri, per ordinem ſibi ſuccedentes, in eodem monaſterio floruerint, non eſt veriſimile, eos vel ad tantam doctrinam perveniſſe ſine libris, vel ad decorem bibliothecæ nihil ſuo tempore ſcribendo appoſuiſſe. *Argentinenſis eccleſiæ bibliotheca* ſtudio Wernheri, qui obiit anno 1028. Archiepiſcopi plurimum aucta. Hermannus Contractus & Ruggerus Abbas Fuldenſis hac laude quoque floruerunt. Cum ergo libri fere ſepulti eſſent, & vivi doctores obmuteſcerent, parietes & lapides ſeculorum vitia hominibus exprobrarunt. Tales picturas recenſet *Beza epiſt. 81. Spanh. Genev. reſtit. pag. 87. 88. Hotting. hiſt. eccl. N. T. part. 4. pag. 1027.*

Circa

Circa annum domini 1520. reperta sunt exemplaria prophetiarum abbatis Joachimi, qui vixit anno 1200, cum ejusdem imaginibus, unum in Chartusianorum monasterio: alterum in bibliotheca illustrissimi senatus Noribergensis, pictum ante annos 200. tertium editum est a Theophrasto Paracelso: quartum a Johanne Adrasdes: quintum typis Venetianis, anno 1589. a Palschalino Regiselmo: omnia cum annotatis. Sed & Schalichius apostata, contra mentem authoris, super eas pro papa glossas mendaces edidit. *Wolf. lect. memor. centen. 12. Catal. test. verit. pag. 681. item pag. 644. 675. Rhonæus de reform. antichr. tom. 2. plures tales imagines proponit & Wolf. cent. 16.* Multa etiam tanquam ex naufragio, nobis relicta sunt eorum opera, qui doctrinarum & historiarum compendia affectarunt, cum jam literæ in barbariem irent. Quod variis modis factum est. Quidam ipsos authores in epitomen redegerunt, ipsis authorum verbis servatis, aut paulum immutatis. Alii breviaria quædam proprio stylo confecerunt, ex variis scriptoribus excerpendo, quod in rem videretur. Nonnulli quasi centones consarcinarunt ex pluribus scriptoribus, qui rem eandem tractabant, alia ab his, alia ab illis sumendo, ac corpus unum, hic inde, collectis alienis membris, aut membrorum particulis, condiderunt. Ita Digesta contexuit Tribonianus ex plurimis JCtorum scriptis. Alii ad privatum studiorum usum, inter legendum, laudabilia loca ad oram notabant; eoque etiam interdum, ut firmius memoriæ inhærerent, describebant, præsertim si historiam aliquam egregiam continerent, aut luculentam alicujus loci, aut rei, aut personæ descriptionem. Quin imo & consueverant multi studiosi, si quem authorem legerent, retento lectionis ordine, quicquid ex eo judicarent excerpendum, in codicem suum regerere, & sibi servare, unde factum, ut hæc in bibliothecis privatorum reperta, sæpe a librariis pro in-

tegris

tegris authorum operibus descripta fuerint, & ad posteritatem propagata. Ita conservatus est elegantium nequitiarum curiosus Petronius Arbiter. Alii per locos communes digesserunt, quicquid præclari in authoribus occurrebat, & sub certos & generales titulos, quæ ex variis defloraverant, congesserunt. Hoc modo universam historiam Græcanicam concerpsit Constantinus Porphyrogenneta. In Græcia enim musæ tutum domicilium habuerunt, cum barbaries Europæ incubaret. Etsi enim magna fuit & Principum petulantia, & populi licentia, præsertim postremis temporibus, cum licentiam auxerunt latrocinia Turcica; certum tamen est, libros veterum historiarum, mathematum, artis medicæ, doctrinæ legum ac sacrarum literarum ibi conservatos, indeque exilio translatos esse in Italiam; ex Italia in Germaniam & Galliam. De hoc Constantino Porphyrogenneta memoriæ proditum est, eum non contentum fuisse, quod ex omnibus terrarum orbis partibus libros quosque optimos summa cura conquisiverit; sed id etiam operæ publice utilis navari voluerit, ut, pro rerum discrimine, authorum quorumcunque scripta, in certas classes quæ LIII. fuerunt, tributa, congererentur: ut quaque de re, si tempus postularet. exemplorum hypotheses in promptu essent. Illa prima περὶ βασιλέων ἀναγορεύσεως erat vicesima septima περὶ πρεσβέων. Cæterarum neque nisi paucarum, præter τὸ ἐπώνυμον, scitur nihil, idque ex margine libri legationum calamo exarati, ubi lector argumentum, quod alias aliud attingitur obiter, ζητεῖν jubetur, ἐν τῷ περὶ ἐπιβουλῶν, ἐν τῷ περὶ κυνηγεσίας, ἐν τῷ περὶ στρατηγημάτων, τῶν στρατῶν, ἐν τῷ περὶ νίκης, περὶ δημηγοριῶν, ἐπιστολῶν, ἐθῶν. Hæ injuria ne temporis sint amissæ, an alicubi serventur? nondum liquet. De legatis partem edidit Fulvius Ursinus, partem Hoeschelius, *vide ejus præfationem ad has* ἐκλογάς. Voss. de histor. Gr. lib. 2

 cap.

cap. 26. *Et Salmasii judicium de L. Ampelio ;* qui hos epitomatores, contra nonnullos, qui illos reos peragunt illius incuriæ, quæ nobis tot præclaros abstulit scriptores, defendit; absque iis enim fuisset, multi scriptores funditus toti periissent, quorum reliquiæ nunc supersunt Præstat sane aliquomodo esse, quam omnino non esse. Qui reliquias sanctorum corporum consectantur, sat habent si vel uno officulo potiri queant ; beatiores certe sese judicarent, si totum corpus aliunde nancisci possent: hoc cum non liceat, saltem eo quod licet, contenti sunt. Ita nos erga veterum scriptorum reliquias oportet esse affectos, & illis gratiam habere, per quos eæ, qualicunque modo, ad nos salvæ fuere transmissæ.

Per hæc tempora Bohemia, ut ecclesiæ purioris, ita & literarum & librorum etiam sedes fuit: Carolus enim Bohemorum quidem Rex undecimus, Romanorum autem Imp. ejus nominis IV. Academiam Pragensem instituit. Ipse in eam ingressus aliquando quatuor integras horas doctorum disputationes audivit, purpuratis moleste ferentibus, & cœnæ tempus adesse clamantibus, quibus ille βασιλικῶς respondit: *mihi tempus est, vobis minime: nam cœna mea hæc est.* Hussitis autem, propter cædem quorundam ex suis a senatu factam, tumultuantibus, collegium Caroli direptum, & nobilis illi bibliotheca adjecta, disjecta est. *Middend. de Acad. Christ. lib. 2. Æn. Sylv. hist. Boh. cap. 33. 34.* Quidam ex Bohemis, genere nobilis, Oxoniæ in Anglia literis studens, cum Johannis Wiclefi libros offendisset, quibus de realibus universalibus titulus inscribitur, magnopere illis oblectatus, exemplaria attulit secum. Inter quæ de civili, de jure divino, de ecclesia, de diversis quæstionibus, contra clerum pleraque volumina, veluti pretiosum thesaurum patriæ suæ intulit. Hinc verbi Dei puriore doctrina illuminata Bohemia,

mia, maxime ministerio Johannis Hussi, & Hieronymi Pragensis, dilectissimorum & jucundissimorum in vita sua, in morte quoque sua non separatorum. Nec parvus eorum librorum numerus fuit; supra ducenta volumina, pulcherrime conscripta, bullis aureis, tegumentisque pretiosis ornata, auctoritate Subinconis episcopi Pragensis, concremata fuisse traduntur. *Æn. Sylv. hist. Bob. cap. 35.* Memorabile est quod idem *cap. 36.* refert, fuisse monasterium ad ripam Multaviæ, qua fluvius Mosa illi jungitur, situm, in quo præter cætera, circum hortum ambitus fuerit, in cujus lateribus vetus novumque Testamentumque, ab initio Genesis, usque ad Apocalypsin Johannis, literis majusculis, in tabulis scriptum continebatur, notis, quo altius irent, paulatim crescentibus, ita ut a summo usque deorsum facilis lectio præberetur, quod decus Hussitarum tumultibus quoque deletum est. Wolfius (*lect. memorab. centen. c. ad annum 140. ex Theophrasto de pestilitate*) refert, libros Galeni & Avicennæ, alias corruptissimos, in cœnobio quodam civitatis *Braunauw*, in finibus Bohemiæ, cum optimorum authorum thesauro, ut etiam in cœnobio *Polpbir* in Borussia servari perfectissimos.

CAPUT IX.

De Bibliothecarum per & post expulsam Barbariem παλιγγενεσία.

Sectio I.

Accingimur ac lætiora tempora, quibus post depulsas ingentes illas, & plusquam cimmerias, ignorantiæ tenebras, linguæ, artes, & scientiæ novo sole illustratæ sunt. Tantum opus brevi temporis spatio absol-

vi non potuit;præludium ejus,&quasi aurora,fuit restitutio Romanæ ju-
„risprudentiæ,cujus historiam,ut capite superiori,verbis *Jacobi Gotofredi*
„recitabimus: sed commodum accidit, inquit,ut circa ea ipsa tempora,
„quibus jam omnis nitor Jurisprudentiæ Justinianeæ ferme decoxerat,
„salutari quodam sidere & divina virgula sexcentos ferme annos,
„medio quasi seculo duodecimo A. D. 1136. opus Justinianeum in oc-
„cidente efferri cœperit. Exactis quippe a Lothario Imp. II. Saxo-
„ne, ex Italia Normannis, & ab eodem ductu Innocentii II. Ponti-
„ficis, Melphi seu Amalphi civitate Apuliæ (quæ pars Italiæ diu post
„alias in potestate Græcorum Impp. steterat) expugnata, repertum
„antiquissimum illud exemplar, & Jurisprudentiæ ancile pandecta-
„rum, quod Pisani ab Innocentio II. Pont. Max. & Lothario Cæsare,
„item II. quia classe eos adversus Normannum Rogerium juvissent,
„ceu egregiæ navatæ operæ monumentum & præmium, retulerunt,
„ejusque donationis, per Lotharium collatæ, instrumentum habuis-
„se, se Plotius Gryphius Pisanus historicus affirmat: & habuerunt
„id diu penes se Pisani, unde & in glossis Pisanæ Pandectæ vocantur,
„donec per Ginum Caponium Florentini A. D. 1406. Pisis in pote-
„statem redactis, subjectionis symbolum transtulerunt. Unde Pan-
„dectis Florentinis nomen. Inde idem Lotharius Irnerii (quem a-
„lii Vernerium vocant) qui Authenticas codici subtexuit, consilio,
„jus Justinianeum & in foro observari, & in Gymnasiis doceri jussit,
„ac nominatim, precibus Mathildæ Comitissæ Tusciæ, Pisis doceri,
„abbas Uspergensis retulit. Itaque Irnerius & jus Justinianeum e
„bibliothecis eduxit, & primus præterea, interpretationem addidit.
„Ab hoc initio ad alias civitates Italiæ & transmontana Galliarum
„propagata Jurisprudentia, postquam semel Irnerius vexillum extu-
„lit. Cum autem Soloci filo, & jejuna atque aspera interpretum opera
„jus tractaretur, sine ullo historicæ aut philologicæ cognitionis lumi-
„ne, qua destituti ubique passim impegere, Accursii glossam, ceu fun-
„dum Jurisprudentiæ, sequi & enarrare contenti, textu jam pene
„neglecto, & abolitis pene libris Justinianeis, exorti certatim qui
„Jurisprudentiam ab his impolitis vindicarunt, tum scriptis, tum
„ipso textu instaurato & in his Pandectis Florentinis eductis. *Hæc*
„*Gothofredus*. Pandectas Florentinis non sine gravi causa profer-
ri mos est, fit autem accensis funalibus, Monachis, qui eas servant,
& summis magistratibus, aperto capite, reverenter adstantibus. In
iis nullæ interpunctiones, nulla scribendi compendia, grandes ubique
literæ,

literæ, & compares. Græcum in fronte epigramma, græcæ præfationes, authorum librorumque index, quorum hæ leges a fonte emanarunt, ut Justiniani ætate librum descriptum esse appareat. *Politian. lib. 10. epist. 4. epigramma legere est lib. XI. ep. 25.* Jurisconsultorum celeberrimus Cujacius multoties bis mille aureos se depositurum obtulit de restituendis Pandectis hisce, si ad annum sibi utendæ commodarentur, & quamvis nihil non fecerit, commendatione Philiberti Sabaudiæ Ducis, & Margaritæ uxoris, ipsis etiam sponsoribus de restitutione allegatis, nihil tamen impetrare potuit. Tandem a Cosmo responsum, si Florentiam veniret, fore, ut libro ad plenam satietatem uti posset, neque ad se accessisse ipsum pœniteret. Id unum ad explendum animum sibi defuisse, in eoque se desiderio moriturum testastatus est Cujacius. *Thuan. de vit. sua. lib. 1.* Hæc quoque fuit summa votorum *Georgii Conradi Crusii*, nostri, dum viveret, amici, qui magna & sua, & Zutphaniæ nostræ gloria, magno auditorum & doctorum omnium applausu, jus civile in Academia Lugduno Batava interpretatus est. Vehementer hic dolebat paucorum opera excussum esse *αὐτόγραφον*, in quo tam multa multis observari potuissent. Ideoque Reip. & omnium quibus jus cordi est interesse judicabat, illum librum curatius evolvi.

Plenissima vero lux exorta est, postquam Græci, inter quos & religionis puritas, & literarum studia majori splendore hactenus viguerant, quam in Italia, Germania & reliquis Europæ partibus, Turcarum armis superati, una cum musis in exilium abierunt. Hac clade bonarum artium studia in Græcia quidem extincta, in Italia vero & Germania rursus excitata sunt. Ingenue hoc fatebatur Johannes Argyropilus Byzantius, qui a Cosmo Medice, Petro filio, & Laurentio nepoti præceptor datus, primum Florentiæ, deinde Romæ græcos authores enarravit, quem cum Capnio Thucydidem interpretantem audiret, Argyropilo reverenter salutato, narrat, se ipsius doctrinæ cupidum esse, Argyropilus interrogat cujas sit, an etiam Græcam linguam intelligat: hic narrat se Germanum esse, & Græcæ linguæ non omnino rudem: jubet igitur Argyropilus eum legere partem Thucydideæ concionis, & reddere sententiam. Legit Capnio clara voce, & addit interpretationem; cumque & sonus pronuntiationis non esset agrestis, & sententia recte & bonis verbis reddita esset, animadvertit Argyropilus, non admodum tyronem esse in lingua Græca & gemens exclamat: Græcia nostro exilio trasnvolavit alpes. *Pencer. chron. car. lib. 5. in Mahumete II.* Sup-

II. Suppar plane fuit judicium legati cujusdem Veneti, quod recitatur tom. 1. declamationum Phil. Melancht. in encomio Suevorum: cum enim apud Cæsarem Fredericum legatus sui principis esset Capnio, & cum Venetæ civitatis oratoribus, ibidem agentibus, frequenter esset, accidit ut forte Capnio pulcherrime Græce scriptum Novi Testam. enchiridion manibus gestaret, quod cum vidisset Venetus, simulque animadvertisset non esse rudem Græcarum literarum Capnionem, conversus ad suos collegas, ait: *Videte, quæso, in Germania hunc virum propter cognitionem literarum in admiratione esse, quas nostri tam pertinaciter contemnunt.*

Bibliothecarum reparationem promoverunt tum liberalitate magnates, industria eruditi & typographi.

Primus inter magnates hic nobis occurrit *Fridericus II. imp.* qui cum literas & artes ipse exacte didicisset, Neapoli academiam condidit, & alibi ante constitutas exornavit & amplificavit. Auxit etiam ornamenta, jura, immunitates & dignitates ordinis scholastici, latis de his & sancitis legibus publicis. Multa ex Græco & Saracenico in latinam linguam traduci curavit, quæ restitutionem veræ & purioris philosophiæ adjuvarent, ex Aristotele, Ptolomæo, Galeno, Avicenna & aliis, ita ut vel unius Frederici II. beneficio, physica, medica, & mathematica studia in occidente revixerint, quæ, inde usque ab irruptionibus Gothicis & Vandalicis, neglecta jacuerant. Gregorii Nysseni opus de natura hominis, a Burgundione, hortatu Frederici II. translatum Stabius postea reperit. *Cuspin. in Frider. II.* Liceat mihi hic inserere memoriam *Benedicti Brugnoli*, qui herorum, a Julio Cæsare Scaligero decantatorum, agmen claudit; idque sola fide illius somnii, ex quo eum, si vixit, hoc tempore vixisse colligo: talis enim ejus prosopopœja fingitur:

Sum Benedictus ego: Brugnolum sæcula dicunt:
Ipse tuum docui prima elementa Patrem.
Et Patrem, & Patruos, totamque ab origine gentem,
In quam sum accitus Norica terra fuit.
Noricus huc a Leniaco me Cæsar adegit:
Cui genitor Pacis nomina ferre dedit.
Primus eo Latias adduxi candidus arteis
Græcaque non noto prima elementa sono.

Succedant pontifices Romani, inter quos primas, hac in parte, tenet *Nicolaus V.* ante Thomas Sarzanus vocatus. Bononiæ literas & bonas artes didicit, maxime vero philosophiam & theologiam, adjutus bene-

ficentia

ficentia Nicolai Albergati Cardinalis S. crucis, qui adolescentis ingenio delectabatur. Laudatur hujus Pont. Max. liberalitas, qua in omnes usus est: maxime vero erga literatos, quos & pecunia & officiis curialibus, & beneficiis mirifice juvit: Eos enim præmiis nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, nunc ad vertendos græcos authores in latinum perpulit, ut literæ græcæ & latinæ, quæ sexcentis jam antea annis, in situ & tenebris jacuerant, tum demum splendorem adeptæ sint. Misit & literatos per omnem Europam, quorum industria libri conquirerentur, qui majorum negligentia, & barbarorum rapinis jam perierant. Jurium libros ex tota græcia perquisitos ad se jussit adferri, & in latinam converti linguam curavit, magna præmia tralatoribus præbens. Quinque ducatorum millia promisit ei, qui D. Matthæi evangelium hebraïcum adferret. Illicium forte fuit, quo tot brevi deinceps tempore, sub Matthæi nomine, evangelia hebraica cusa & venditata fuerint; Libri sacri ejus jussu descripti, auro & argento redemti. Laurentius Valla, cum ab eo quæsisset Nicolaus V. cur senex jam & in latinis literis consummatus, tanto studio Græcas disceret. Ut duplicem, inquit, abs te, Pontifex, mercedem accipiam. *Jov. Pontan. tom. 1. pag. 270.* Cum ei renuntiatum esset quosdam esse Romæ, qui bonos versus facerent, negavit bonos esse: *Cur enim*, inquit, *ad me non veniunt, qui Poetis etiam malis pateo. Herm. Barbar. præf. in Plin.* Adeo ingenia excitavit & fovit, ut vix ævum inveniri possit, quo magis humanitatis & æloquentiæ, cæterarumque bonarum artium studia, quam illius tempore floruerint. Illud certe nemo negaverit, tot ei a doctissimis viris inscripta esse volumina, quot neque suorum prædecessorum, neque imperatorum cujuspiam nomini dicata comperimus. Unum tamen e doctis ab eo neglectum, mirandum est. Blondum Flavium Foroliviensem, qui res a declinatione Romani imperii, usque ad suam ætatem toto orbe patratas, in tres digessit decadas, Romam describendo instauravit, Italiam illustravit, deinde, triumphantem urbem scribere adorsus, omnem vetustatem aperuit. Sed ita ferunt hominum mores. Perraro quenquam extollit Pontifex, quem præcessor amavit. Hic itaque fundamenta jecit bibliothecæ Vaticanæ, in qua circiter tria millia librorum volumina condidit. Unde hoc epitaphio ejus insertum elogium:

Consilio illustris, virtute illustrior omni,
Excoluit doctos doctior ipse viros. & post.

Attica,

Attica, Romana complura volumina lingua
Prodidit, en tumulo fundite thura sacro.

Ex Æn. Sylv. descript. Eur. cap. 85. Platin. &c.

Sequutus est *Calistus*, de quo Dominicus Capranicus, sacerdos Cardinalis, cum intellexisset eum Pontificem creatum a collegio Cardinalium, quod ejus degenerantem cognovisset animum, *quam fatue*, inquit, *fatui fatuum creavere.* hic paucis diebus sumtuosissimam hanc bibliothecam dissipavit. *Jov. Pontanus tom. 1. pag. 385.*

Xystus vero IV. qui Paulo II. successit, non tantum pontes, vias, mœnia instauravit, sed etiam bibliothecam palatinam in Vaticano, advectis ex omni Europa libris, construxit, certosque proventus, unde custodes & librarii Latini, Græci, Hebraici menstrua salaria, quibus ali possent, haberent, librique alii emerentur, assignavit. Quod ipsius epitaphium simulacro ejus in Palatina bibliotheca asscriptum confirmat:

Templa, domum expositis vicos, fora, mœnia, pontes,
Virgineam trivii quod repararis aquam,
Prisca licet nautis statuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere, Sixte, jugum:
Plus tamen urbs debet, nam quæ squallore latebat,
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

Onuphr. in vit. Xysti IV. *Middendorp. de acad. orb. Christ. lib. 1. & 3.*

Nec minori liberalitate eandem auxit & ornavit *Leo X.* ex Mediceorum familia: Hic Pontifex liberalibus studiis ipse institutus, ab Angelo Politiano, Bernhardo Michelotio, viros doctos ita coluit, magnisque adeo muneribus prosecutus est, ut publico elogio *literatorum præsidium* inscriberetur. Nihil enim antiquius duxit, quam bonarum artium studia majorum suorum, maximeque Laurentii patris exemplo provehere. Ante omnia ab epistolis Petrum Bembum & Jacobum Sadoletum, omnium literatorum eloquentissimos habere voluit. Vaticanæ Bibliothecæ, Beroaldum juniorem præfecit. Gymnasium Romanum, accitis undequaque gravissimarum artium præstantissimis professoribus, illustravit. Augustinus Niphus Svessanus philosophiam, Christophorus Arretinus medicinam, Hieronymus Butigella juris scientiam profitebantur: Humaniora vero studia Ianus Parrhasius Consentinus, græcas literas Basilius Chalcondyles Demetrii filius docebant. Singulos vero vel mediocris nominis literatos magna liberalitate sublevabat. Romanis porro vectigal salis imminuit, eosque

præ-

præmiis, ac immunitatibus multis, publice privatimque est prosecutus. Quam ob rem solenni decreto fratrem ejus Iulianum civitate donatum, maximo apparatu, convivioque in capitolio, & variis ludicris scenicisque artificiis susceperunt. Egere in scena Plauti pœnulum decore mirabili, & prisca quidem elegantia Romanæ juventutis lepidissimi quique, variaque extra ordinem poëmata recitata. *Jov. histor. lib. 11.* Leoni in palatio capitolino marmorea statua dedicata, cum hac inscriptione.

OPTIMO PRINCIPI LEONI X. MED. JOAN. PONT. MAX. OB RESTITUTAM INSTAURATAMQ. URBEM AUCTA SACRA BONASQ. ARTES ASCITOS PATRES SUBLATUM VECTIGAL DATUM CONGIARIUM.

S. P. Q. R.

Onuphr. Panvin. in vit. Leonis X. Quingentos aureos donavit Quæstori cuidam, qui in monasterio Corbejensi, ad Visurgim, primores Taciti libros antea ignotos deprompserat: *Lips. ad Tacit. annal. 2. n. 34.* Adeo hic augustissimus scriptor temporum injuriam evitare non potuit, quamvis Tacitus imp. quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari, & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus jusserit, & in bibliothecis poni. *Fl. Vopiscus.*

Familia Medicea quæ regnavit Florentiæ hac laude præcipue claruit. Primus *Cosmus Medices*, qui patriæ musarumque pater appellatus est, Argyropilum, Chrysoloram, & plerosque alios Græcorum doctissimos, ingenti magnificentia, Byzantio Florentiam excivit, Græcis literis Hetruscorum mentes imbuens, literasque quasi postliminio restituens, *Baron. ad ann. 1413.* Hinc illud Cosmi elogium.

Cosmus in has ædes meliora volumina κειμῶν
Transtulit, & primas, quas habet orbis opes.
Sic genuit tandem sterili de nomine Cosmus
Rem sibi cum mundo cœli tibusque parem.

Secutus *Laurentius Medices* qui ad Bajazeten II. legato usus Iohanne Lascare, e Lascarina imperatoria stirpe orto, impetravit, ut liceret ei tuto abditas Græciæ bibliothecas perscrutari, & conquirere in omnibus artibus & disciplinis, de ecclesiæ doctrina, & historiis scripta volumina, inque Italiam transferre, de quibus collecta præcipue atque instructa est bibliotheca Mediceorum Florentiæ. Lascari egregiam

 ope-

operam, in hac librorum conquisitione, navavit Cherseoglis, qui Cherséchii reguli in Illyrico filius abjurata christiana religione, Bajazetis gener effectus erat. *P. Iov. hist. lib. 14.* Hic Laurentius Platonis statuam erutam ex ruderibus, ubi sita olim academia erat, atque ad se ex Græcia allatam, ab Hieronymo Pictoriensi magno redemit. In hac lectissimorum librorum copia magis gloriari, quam divitiis solebat, eamque amicis deliciarum loco ostendere. Hanc bibliothecam in rebus dubiis se consuluisse refert Angelus Politianus, plurimaque hinc in lucem prodierunt: *Eusebii scilicet Cæsariensis liber adversus Hieroclem, & Clementis Alexandrini stromatum, & pædagogi libri. Middendorp. de acad. orb. Christ.* Optabat Laurentius tanta sibi ab Angelo Politiano ac Pico Mirandula, ad libros emendandos præstari incitamenta, ut tandem, deficientibus sumptibus, totam supellectilem oppignorare cogatur. *Teste Leoniceno, epist. 6. lib. 2. epistolarum Politiani.* Hoc moribundi votum, hæc vox erat ad Picum & Angelum, vellem distulisset me saltem mors ad eum diem, quo vestram plane bibliothecam absolvissem. *lib. 4. epist. 2.* Idem Hermolaum Barbarum, quamvis pedum doloribus summis vexaretur, in villa Cajana honorificentissime accepit, eamque illi, studiorum causa, liberalissime obtulit. *Crinit. de honest. discipl. lib. 16. cap. 9.* Hanc eorum munificentiam celebrat *Hieronymus Vida* Cremonensis, Albæ Episcopus *lib. 1. poët.* his versibus:

Iam pridem tamen Ausonios invisere rursus
Cœperunt, Medycum revocatæ munere Musæ.
Tuscorum Medycum, quos tandem protulit ætas
Europæ in tantis solamen dulce ruinis.
Illi etiam Graiæ miserati incommoda gentis,
Ne Danaum penitus caderet cum nomine virtus,
In Latium advectos juvenes, juvenumque magistros,
Argolicas artes quibus esset cura tueri,
Securas Musas jussere, atque otia amare.
Illi etiam captas late misere per urbes,
Qui doctas tabulas, veterum monumenta virorum,
Mercati pretio adveherent, quæ Barbarus igni
Tradebat, Danaum regnis, opibusque potitus.

Hæc Bibliotheca Medicea, tam grandi pecunia, tot tantisque doctorum virorum peregrinationibus atque laboribus quæsita, cum Medicei Florentia ejicerentur, una cum alio pretioso opulentæ domus instrumento, sub hasta vendita est. *P. Iovius hist. lib. 1.* Sic ergo Romam; & in-

& inde extra Italiam avecta est. Hanc Catharina Medicea, magno pretio, quantumvis Cosmo contradicente, comparatam, in Galliam transportandam impetravit & per bibliothecarium peculiarem seorsum quamdiu vixit, apud se habuit. Hanc demũ Thuanus a creditoribus regis pecunia redemtam, in bibliothecam regum inferendam curavit, & congestum a magnis regibus thesaurum tanta accessione locupletavit. *Thuan. de vit. sua. lib. 1.*

Nec silentio prætereundus *Iohannes Galeazius Mediolanensium Dux*, qui liberalibus stipendiis omnium disciplinarum professores conduxit, qui in Gymnasio Ticinensi, a patre, munere beneficioque Caroli IV. condito, juventutem docerent. Bibliothecam quam etiam pater inchoaverat, erecto juxta templo, rarissimis codicibus implevit, hortatu Francisci Petrarchæ, cujus amor, quasi divino instinctu, Galeazium fere quinquennem invasit. A patre enim in senatum introductus, &, ut eum, quem sapientissimum judicaret, suo indicio proderet, jussus, Petrarcham nunquam antea visum, in eo consessu, tunica prehensum, amicissimis verbis rogavit, ut paternam cathedram occuparet, quod judicium summa cum admiratione, & omnium applausu exceptum est. *P. Iov. in elog. Ioh. Galeacii.*

Alphonsus Arragonum & Siciliæ rex in extruenda bibliotheca maxime fuit solicitus. Tantus librorum amator, ut insignibus suis passim librum appinxerit, & omnium suarum gemmarum ac thesaurorum, quam literarum jacturam facere malle persancte aliquoties affirmaverit. *Kirchn in curric. Ferdin. I. Lips. mon. pol. lib. 1. cap. 8.* Cosmus Medices, quamvis hostis (adeo etiam hostium animos literarum amor conciliat) Livii Decades ei dono miserat, quas cum evolveret, medicis prohibentibus, &, ne forte veneno infectæ essent, metuentibus: *O stulti*, respondit, *an nescitis regum animas in Dei O. M. tutela esse? Crinitus de honest. disciplin. lib. 18. cap. 9. Chassan. catal. glor. mundi part. 12. consider. 73.* A Patavinis brachium T. Livii, summi muneris instar impetravit, exorante Antonio Panormita legato, anno salutis 1451. cum vero ignoraretur, ecquid de brachio illo factum esset, Iohannes Vincentius a Porta Nicolao Peireskio Senatori Aquensi scripsit, neque Alphonsum morte præventum, neque etiam Panormitam id brachium pro votis condere potuisse: Successorem vero istius, a secretis regni, conclusisse sub marmore, collocasseque extra oratorium cum inscriptione hujusmodi. TITI LIVII HISTORICI BRACHIUM QUOD ANTONIUS PANORMITA A PATAVINIS IMPETRAVERAT, IO. IOVIANUS

PONTANUS MULTOS POST ANNOS CONDIDIT. Cæterum a multis jam annis id marmor non fuisse conspectum, ob sacellum, a nescio quibus fratribus, super extructum. *Gassend. in vita Peireskii.* Cum Alphonsus arcem Neapolitanam instaurare decrevisset, Vitruvii de architectura librum ad se adferri jussit, verum cum sine ornatu, sineque asseribus allatus esset; *Non decere* inquit, *hunc potissimum scriptorem, qui nos, quomodo contegamur, tam belle doceat, detectum incedere.* Librum igitur egregie ad usum parari mandavit, & omnibus semper ædificiis adhibuit.

Robertus rex Siculus & Neapolitanus in bibliothecam suam congessisse dicitur octoginta clarorum poëtarum opera, maxima ex parte nobili genere ortorum, ex provincia librorum amator summus, qui diademate quam libris carere maluerit. Adeo delectabatur ingenio Petrarchæ, ut totos tres dies cum eo locutus sit. *P. Matth. in hist. de muliere Cathanensi.*

Matthias Corvinus Hungariæ Rex filius Johannis Hunniadis, belli & pacis artibus clarus, adhuc adolescentulus auditis aliorum fortibus & præclaris factis, adeo accensus fuisse dicitur, ut exultim trepudians, quasi de animi potestate exierit manuumque pedumque applausu virtutis stimulos testatus. Præcipuam tamen laudem apud posteritatem ei peperit cognitio admiratioque doctrinarum omnis generis, singulareque in his propagandis studium. Delectatus maxime historiarum cognitione, quas ex Græca lingua multas in Latinam transfundi curavit, sui usus causa. Præceptorem habuit Galeottum Martium, de quo Iovius. *elog. doct. viror. 34.* Didicit studiosè multa de stellarum motibus. Doctos, præcipue Mathematum peritos, & poëtas ad fastigium amplissimorum honorum evexit. At præ cæteris Joh. Regimontanum tanti fecit, ut crebrò eum, eruditorum colloquiorum causa, mensæ contubernio adhibuerit. Non immerito itaque hæc inscriptio tumulo ejus addita est, ab Antonio Tebaldeo:

Corvini brevis hac urna est: quem magna fatentur
Facta fuisse Deum; fata fuisse hominem.

Quod cum Maximilianus I. Imper. legisset, flevisse dicitur. Hic heros ingenti sumtu amplissimam bibliothecam comparavit, in qua supra 50000. volumina typis impressa, & MSS. servata fuerunt, ad eam ornandam operam obtulit Politianus *lib. 9. epist. 1.* Cum autem Budæ, quæ præstantissimi hujus thesauri custos erat, a Solimanno Turcarum imp. anno 1526. caperetur, hæc etiam bibliotheca direpta est,

est, cum vix 60. annos floruisset: quanta vero hæc jactura fuerit inde colligi potest, quod Cardinalis Bozmannus ducenta millia nummorum imperialis monetæ pro illa Turcis frustra obtulerit. Alexander Brassicanus viderat, in hac bibliotheca, Hyperidem integrum, cum locupletissimis scholiis; grandem librum apostolicorum canonum; Theodoretum Cyrenensem in psalterium integrum; Chrysostomi, Cyrilli, Nazianzeni, Basilii Magni, Gregorii Nysseni, Theophani, Dorothei infinita opera; Marcum Monachum cognomento Anachoritam; Præter poëtarum, oratorum, philosophorum atque historicorum vim immensam; Auctores item græcos innumerabiles, infinitaque in omnes fere poëtas commentaria, nulli, aut paucis antea visa. *Hottinger. biblioth. quadrip. pag. 15. Spizel. dissert. prælim. ad sacr. biblioth.* Ex hac prolata sunt *Polybii & Diodori Siculi fragmenta*, quæ tum primum prodierunt. Et Heliodori historia Æthiopica per militem ex hac bibliotheca erepta: qui ex Opsopoco, Gesnero, Vadiano refert M. Neander, *præfat. ad Gnomol. gr. lat. p. 10. ad marg.* Nec illud silentio prætereundum, quod narrat *Rantzovius in catalogo excellentium astrologorum pag. 62. 63.* anno 1572. postquam tot anni a devastatione hujus bibliothecæ effluxissent, Davidem Ungnadium legatum, ex adverso januæ inter rudera invenisse globum cœlestem, tenentibus eum duobus angelis, compositum ad tempus electionis regis, his versibus subjectis:

Cum rex Matthias suscepit Sceptra Bohemæ
Gentis, talis erat lucida forma poli.

Idem Rantzovius hunc regem jure merito, inter heroas a se laudatos sequenti carmine celebravit:

Extulit hunc cœlo virtutis gloria regem:
Floruit & fausto Pannonis ora statu:
Terruit hic sævos factis & nomine Turcas,
Mente ad sceptra sagax, acer ad arma manu.
Aurea quæsitis tum Buda volumina chartis,
Quæ dederat docto Græcia prisca stylo,
Donec & hanc capiens rapidis incursibus arcem
Congestas Sophiæ Turca abolevit opes.

Mense Januario, ut & Februario anno 1666. Vienna Austriæ nunciavit nobis Mercurius Batavus, Turcarum imperatorem, a comite Lessio, legato Cæsareo, sæpe rogatum, hujus bibliothecæ spem non tantum fecisse, sed etiam bibliothecario suo in mandatis dedisse, ut ibi

comes Lessius Albam Græciam appulerit, omnes libros eo transportandos curet, quod etiam præstitum.

I. Picus Mirandulæ Comes septem in comparandis libris aureorum nummum millia exposuisse dicitur.

Hoc nomine etiam celebratur *Fredericus Feltrius* Urbini dux, quem in literis hospitem non fuisse ostendit colloquium ejus cum Pio II. pont. Rom. de armis veterum & bello Trojano. *Pius 2. descript. Asi. cap. 74. polit. lib. 3. epist. 6.* Hic bibliothecam omnium judicio celeberrimam condidit, quam postea *Guido* princeps, *ejus filius*, cum auro & argento, tum copia librorum adauxit, ornavitque. *Polyd. Verg. de invent. rerum lib. 2. cap. 7.* Librorum alii panno aureo, atque serico villoso obducti sunt; olim omnes auro argentoque ornati, sed ab Alexandro VI. omnibus ornamentis spoliata fuit, atque translata. Eam postea Iulius II. restituit. Multæ in ea græcorum auctorum sunt translationes, quæ lucem hactenus non aspexerunt. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.* Franciscus Maria, Frederici ex filia nepos, a Leone X. pont. Rom. bonis exutus, postquam tumultuario exercitu sua quædam recuperasset, pontificis etiam ditiones invasisset, æquiores pacis leges impetravit, quibus etiam hanc bibliothecam sibi sartam tectam servavit. Factum hoc anno 1517. *Guicciard. lib. 13. cap. 9.* Constabat hæc 14ccc. voluminibus; Alexander VII. P. M. eam curavit Romam transferri, per Abbatem Burattium, consistorii advocatum: si vera nobis narravit Mercurius Batavus, mense Ianuario 1667.

Nec levi opera promovit negotium hoc *Bessarion Nicenus, Græcus, E. R. C. Patriarcha Constantinopolitanus*, qui bibliothecam græcam, triginta millibus nummum aureorum emptam, Venetiis extruxit, ne omnino græca literatura deficeret. *Platin. paneg. in Bessar. card.* Epistolam Bessarionis Italice ad Venetos scriptam *vid. apud. Angelum Rocchani bibl. Vatic. pag. 388. 389. 390.* Latine vertit & exhibet Ph. Camerarius, *hor. subcis. cent. 3. cap. 72. Franciscus I. Galliarum rex*, eruditorum Mœcenas liberalissimus, ex consilio Budæi, Græcos & Hebræos professores in academia Parisiensi constituit. Prandens atque cœnans de literis, & avidissime quidem loquebatur, usus ad eam rem per multos annos Jacobo Colino homine docto. Post hunc subiit Petrus Castellanus. Ab iis, quicquid est in poetarum, historicorum, cosmographorum libris, hauserat: quicquid de plantis, herbis, animalibus, metallis, gemmis prodiderunt, Aristoteles, Theophrastus, Plinius, & id genus alii, multo usu & quotidiana recitatione cognitum habebat, & exploratum,

ratum, de mathematicis & rebus divinis frequens erat collocutio, Parisiis apud S. Victorem, & apud Aquæ bellæ fontem bibliothecas, quas, per homines idoneos, conquisitas undique ex media Græcia & Arabia libris illustravit, ob eam rem Guilielmum Postellum diu in oriente aluit. Nec solos homines doctos, verum etiam typographos, librarios, & typorum quibus excuduntur libri, fusores, opificia sua exercentes, ut animum illis adderet, visere dedignatus non est. *Sleid. comment. lib. 19. P. Galland. orat. de Franc. I. Zving. Middendorp. lib. 5. & alii.* Ad Robertum Stephanum subinde visitabat, cui cum aliquando non vacaret, quod eorum quæ tum edebantur emendationibus intentus esset, paulum expectare jussus est. *Heins. epist. ad primer.* Hunc vero regem, literatorum mœcenatem tantum, Petrum Gillium neglexisse mirum est. Hunc, cum de bibliotheca extruenda cogitaret, in Græciam Asiamque rex legaverat, ut græcos codices MSS. undique conquisitos in Galliam asportaret. Sed præter spem a rege destitutus, coactus est castra Persarum sequi tyro, ea ætate, qua veterani emereri solent, tandem variis casibus jactatus, a Gerbensibus pyratus captus, carceri mancipatus, a Cardinale Armeniaco redemtus est. Petrus Belonus amanuensis scripta ejus surripuit, ac pro suis edidit *toll. app. ad Pier. Valer. de infelic. liter.* Fontanabliana postea Parisios transvecta, quamvis non interierit, per assiduos tamen bellorum civilium nimbos valde dissipata est. *Golnitz. Ulyss. pag. 158.* Celebravit eam sequenti carmine, ad Carolum IX. Galliæ regem scripto, Iohannes Auratus:

Et Ptolemæorum pallatia clara fuerunt,
Et Ptolemææ littora nota Phari:
Littora, nocturna fulgente per æquora flamma,
Conspicua, & longo prospicienda mari.
Quæ, dubium per iter, nautis vice sideris essent,
Et regerent grata nautica vela face.
Sed non ille vagis nautarum cursibus ignis,
Gratior in dubio dux erat ante freto:
Clara, Paulatina quam quæ fulgebat ab arce,
Altera doctorum bibliotheca Pharos.
Unde, per innumeras dispersa volumina terras,
Ingenii nitidas exeruere faces.
Illa sed, ut rerum mortalia cetera, fato
Functa suo regum munera prisca jacent.
Nullaque nunc Pharos est, eversaque culmina turris,

Ex-

Extinctique jacent & sine luce foci.
Nec minus ipsa jacet, Musæi nomine dicta,
Obruta cum libris bibliotheca suis.
Sed pia Regis avi Francisci, Carole, cura
Conquirens docta diruta saxa Phari.
Musæumque novum Musis sacravit, & illis
Fontis aqua bella rite dicavit aquam.
Cedat Alexandrina Pharo Pharos inclyta Galla,
Cedat Francisco vis, Ptolemae, tua.
Doctorum tua non habuit plus aula librorum,
Et plus doctorum nostra habet aula virum.

Fuggeri, inter reliquas magnificentiæ laudes, hanc primam habuere, quod non modo (ut multi) in optimorum authorum voluminibus, maximo sumptu, undique conquirendis laborarunt, sed etiam summa liberalitate in reip. Christianæ utilitatem, eosdem typis excudi curarunt. Ideoque *Huldericus Fuggerus*, Henricum Stephanum, typographorum illud lumen, annu stipendio conduxerat, quo obstetricante optimi Latini & Græci scriptores editi sunt. Cum autem hac in re multos sumptus faceret, a suis, bonorum suorum administratione, ut prodigus & ineptus, summotus est. Itaque ad Fredericum II. Comitem Palatinum se recepit, post vero sua recuperavit, & fratris sui morte insuper ditatus est: partem bonorum suorum pauperibus legavit, sex studiosis annuum stipendium constituit, bibliothecam vero Palatinatui donavit. obiit anno 1548. *Thuan. hist. lib. 1. Zvving. Baudart. apoph. part. 2. lib. 3. ex inscriptione Heidelbergensi. Bucholc. ad annum 1584. Lundorp. contin. Sleid. lib. 24.* Hoc nomine egregie laudatur *Diegus Hurtadus* Cæsaris Caroli apud Venetos legatus: inter reliquos præcones habet & Lazarum Bonamicum qui de eo sic canit:

Cui tanta est fortuna copia, tanta bonorum
Librorum, ingenii multo solertia major:

Ad montem Atho quosdam, qui libros ibi describerent misit, quare in eodem carmine sic ait Bonamicus:

——— *Tu multos mittis ad altum*
Scriptores Atho, huc veterum monimenta virorum
Comportaturos ——— ———

Didacus Mendoza ejusdem Imp. Caroli V. apud Venetos orator, ut ornare posset bibliothecam, quam animo moliebatur, legatos à Bes-

sari.

ſarione theſauros expilavit, tam ſubtiliter, ut nunquam fur aliquis doctius furtum perpetraverit. Ad ſuos jam redierat, gratus ſcilicet hoſpes, antequam aut perſentiſceret reſpublica, aut quis ex bibliothecæ procuratoribus. Nam armaria, ex quibus manuſcriptos ac mambranaceos codices abſtulerat, aliis vulgaribus, & ejusdem prope molis libris replevit, ne ante deprehenderetur furtum, quam ſpecioſa ejus ejurandi foret ratio. *Schoock, orat.* 4. *Sigiſmundus Auguſtus* Poloniæ Rex hac in re uſus opera *Franciſci Liſmanini* Corcyræi natione, qui relicto monaſterio Franciſcano, quod eſt Cracoviæ, & eductis ſecum aliquot monachis, Euangelii confeſſoribus ſe adjunxit. Nihilominus tamen ſingulari apud regem polluit gratia, adeo ut quicquid circa religionem euangelicam rex ſentiret, id omne in ſinum ejus effunderet, & ſæpius ex Calvini inſtitutionibus, quæ regi erant familiares, de ſingulis fidei articulis, cum eo conferret. Deinde iter ad exteras nationes rex ei demandavit, præſertim Helvetios viſitare juſſit, ſumtus ſubminiſtravit, idque tum ut ritus & diſciplinam eccleſiarum Helveticarum probe cognita haberet; tum ut bibliothecam regiam libris omnium generum inſtrueret: hiſce confectis in concullo habituque monaſtico rediret. Luſtratis igitur Tiguro, Berna, & aliis Helvetiorum civitatibus, Genevæ ſubſtitit, ibique uxorem duxit. Rex, ipſo diutius Genevæ manente, plurimum offenſus, in pio ſuo propoſito langueſcere cœpit. Ad eum Liſmaninus, cum libris quos coëmerat, literas, virorum eruditorum Geneva mittebat. Conradus Geſnerus Medicus Tigurinus Liſmanini & aliorum ex Polonia inſtinctu ad regem Poloniæ ſcripſit, & operam ſuam in conquirendis libris ultro ei obtulit. anno 1555. 12. Novemb. *Regenvolſ. hiſt. Slavon. pag.* 126. 127.

Sectio II.

ACcedimus ad operam & ſtudium eruditorum, quod, bibliothecas reparando, in his tribus potiſſimum occupatum fuit. I. In veterum monumentis, hic illic latitantibus, ac pene ſepultis, e tenebris eruendis, a blattis & tineis vindicandis. II. In authoribus ex una in aliam linguam transferendis. III. In novis operibus & ſcriptis concinnandis & edendis. Veteres authores ab interitu vindicare opus admodum difficile eſt, nec præſtari poteſt niſi ab illis, qui felici aliquo ſidere, ad antiquas bibliothecas deducti, illas excutiendi facultatem nacti, inde promant, quod deinde lucem aut primò aſpiciat, aut

ad veteres authores emendandos faciat. *vide Voss. de philos. lib. 1. cap. 21.* Quanta cum difficultate Suidam, vel ad paucas horas, & quidem ab amico utendum accipere potuerit, testatur Erasmus in proverbio *Fe-„stina lente*, & addit: „ Latitant in collegiis & monasteriis Germano-„rum, Gallorum, Anglorum pervetusti codices, quos exceptis pau-„cis adeo non comunicant ultro, ut rogati vel celent, vel perne-„gent vel iniquo pretió vendant usum decuplo æstimatorum codi-„cum. Tandem pulchre servatos, vel caries tineæque corrumpunt, „vel fures auferunt.

Similem historiam legas in vita *Conradi Pellicani apud Melchiorem Adamum.* Cum enim audisset Pellicanus Ratisbonæ, apud prædicatores haberi Hebraicam bibliothecam, ingressus vidit non solum Hebraica biblia, sed & totum Talmud in sex partes distinctum, una cum dictionario Talmudico, omnia manuscripta. Rogavit ut describendum dictionarium darent, fidejubente Gardiano Chalemensi, sed recusarunt monachi, quorum ne unus quidem callebat linguam Hebraicam. Postea per avunculum suum episcopi Spirensis Georgii Palatini commendationem adeptus est, ad fratrem ejus episcopum Ratisbonensem, ut Dominicani Ratisbonenses, Talmudici dictionarii exemplar Pellicano describendum concederent, id quod nihilominus difficulter ab eo impetravit.

Magnam hac in re diligentiam adhibuit Matthias *Flaccus Illyricus*; nam cum vidisset catalogum authorum, quem abbas Johannes Trithemius contexuerat, temperare sibi non potuit, quin, dissimulata persona & habitu in Germania, Monasteriorum bibliothecas perlustraret, quos commode posset Historicos clam auferret, atque isto adminiculo librum, qui catalogus testium veritatis indigitatur, conscriberet. *Melch. Adam. in vita Illyrici.* Eodem modo, varia illa doctorum piorumque virorum de corruptæ ecclesiæ statu poëmata se collegisse ipse in præfatione testatur. Dolendum sane multa multorum veterum scriptorum monumenta, superiorum seculorum iniquitate intercidisse; nec minus dolendum, multos nobis invideri, aut pro genuinis obtrudi, idque illorum Criticorum opera ac studio, qui videntur sibi tanto naso præditi, ut cum supercilio etiam de veterum scriptis judicium ferant, satis præposterum, non ex stylo, sed scripti titulo judicantes, qui sæpe suppostititius & fictus est. *Vives de causis corrupt. art. lib. 1. pag. 34.* ejus rei exempla „ duo narrat: quidam in ve-„teri bibliotheca reperit versiculos pulvere & pedore obsitos, ille

tan-

tanquam Virgilianos veneratus est, cum tamen essent hominis tum ,, viventis: & alius Ciceronis epistolam, cui consulto erat nomen ,, Gallicum præpositum, magno fastidio aspernatus est, addito etiam ,, convitio Barbariæ Transapinæ. Placet judicium Jos. Scaligeri, præ- ,, fat. ad Jul. Cæs. comm. *Quæ enim finis, inquit, alioqui tot observationum, tot notarum? quousque paginas omnes obsidebunt variæ & vanæ sæpe lectiones: quousque Criticorum agmina limen librorum & postlimen? excutiuntur profecto scriptores ipsi e manibus, dum avida juventus ad hæc diverticula abit, & πάρεργα ista curat velut ἔργα. Quam multi jam qui libros tantum legunt ut emendent? ut illos meliores faciant, non ut sese? itaque toti in vocului aut syllabis aliquot examinandis sunt: & segetem illam uberem rerum sententiarumque subterhabent, paleis modo lectis. Quid ergo? tu negas, inquiunt, utilem hanc criticen? non nego imo necessariam fuisse confiteor, elegantiore hac doctrina renascente. Sed renascente. Nunc cum adulta firmaque ea sit, cur togam hanc ei invidemus puram, ut sic dixerim, & virilem? cur lectionem fluctuare ultra patimur, & agitari ambitiosis istis correctorum ventis? at erunt loci plures etiam corrupti. Esto relinque tamen aliquid lectorum industriæ & judicio, quos malo equidem non penitus intelligere, quam ad singula trepidos hærere. Dies nonnulla ex istis deteget: & quis scit, si ex antro aliquo liber? tu tantum tempera, & vide ne quod studium antea fuit, morbus nunc sit.* Accedit, quod libris jam inventis, non minus tædium devorandum fuit, tum in legendis literis illis fugientibus, ac pessime pictis; tum in vero sensu scriptorum non uno modo corruptorum, interpolatorum, mutilatorum eruendo. De priori illo malo queritur Franc. Petrarcha (*in epist. dedic. tractatus de vita solitaria*) nimirum *opus illud, licet breve, decies & amplius cœptum esse: vix tandem a quodam sacerdote ad umbilicum perductum: cum tanta esset scriptorum inertia, ut literulis exiguis, compressis, & quasi super alias equitantibus, omnia sic confunderent, ut ipse scriptor brevi post tempore rediens, nedum emptor, vix legere potuerit.* De altero audiamus, Muretum, var. lect. lib. 15. cap. 9. in fine: *solebant,* inquit, *homines imperiti, qui, avorum aut proavorum nostrorum temporibus, victum sibi describendis libris quæritabant, quæ perperam scripserant non delere: ne libros suos, multis lituris deformatos, minus vendibiles redderent, iterumve totas paginas describere cogerentur, sed iis, ut erant, omissis, cetera persequi. Atque ea res innumerabilem errorum copiam in omne scriptorum genus invexit.* Hoc malum imprimis auctum fuit ab illis qui sibi præ aliis sapere visi sunt. Recte Barthius advers. lib. 40. cap. 1. *Ego vero,* inquit, *quo stupidiores librarios, eo meliores nos libros nancisci arbitror, qui e-*

nim sapere sibi visi sunt, ii contaminarunt plura ut nasutiores, cæteri, non tam astuti, fideliores erant, quæque assequi non poterant, ita ut offendebant, chartis tradebant. Herculeis ergo viribus opus fuit ad hoc Augiæ stabulum expurgandum; adeo ut verisime cecinerit D. Heinsius in obitum κριτικωτάτου Lipsii:

Nam tibi nec Brenni feritas despecta Camillo
Expugnanda fuit, cimbrove orienda juventus,
Servorumque ignava manus; non compede rupta
Spartacus, & victas Lybiam qui transtulit alpes:
Sed longæva lues, metuendaque secula divis
Omnibus, & toto veniens grassator ab orbe
Barbarus æternam juratus tollere gentem
Æneaque Deos. —— ——

Sed tamen indefessa vere doctorum virorum industriæ, plurima, de quibus etiam conclamatum videbatur, restituit. *Franciscus Petrarcha* (primus Poëta laureatus summo cum S. P. Q. R. applausu factus Romæ, die resurrectionis Dominicæ A. 1341. ætatis suæ 37. vid. Paschal. de coronis, lib. 5. cap. 14.) pro avorum memoria, bibliothecas ultra 200. annos clausas reseravit primus, & pulverem situmque e monumentis authorum excussit, quo nomine plurimum ei Latinus sermo debet. *Viv. de trad. discipl. lib. 3.* Quomodo plurimæ & Jurisconsultorum veterum & imperatoriarum constitutionum, ante Justiniani tempora promulgatarum, reliquiæ à viris doctis, diverso tempore, ab interitu vindicatæ sint, ostendit *Jacobus Gothofredus in bibliotheca juris Romani, quæ manualis partem constituit cap. 2. & 3. quem vide.*

Arnobii commentarius in Psalmos e collegio Canonicorum inter Wormatiam & Spiram, vulgo Franckental dicto, erutus, Erasmo oblatus, & ab ipso editus est. *Erasm. præfat. in Arnob. ad Adrian. VI. P. R.*

Senecæ ludus in Claudium Cæsarem in Germania repertus in lucem emersit Erasmi tempore. *vid. Prov. aut Regem, aut fatuum nasci oportere.*

Libri Tertulliani cum multis ætatibus latuissent, circa annum 1520. reperti sunt in Germania, studio & cura beati Rhenani Selestadiensis apud Frobenium excusi. Rhenanus in præfatione Stanislaum Turcum, Episcopum Olomutzensem, historiam his fere verbis „ narrat: prosequebamur Udalricum Zasium Calmariam usque, quo „ cum venissemus, Jacobum Zimmermannum illic Decanum adivimus.

mus. In cujus bibliotheca forte vetustum quendam codicem arri-„ pui, nonnulla Tertulliani continentem opuscula, quem is ex Pa-„ terniaco, Transjurano cœnobio, commodum attulerat. Hunc,„ cum me videret avidius evolvere, libenter permisit ut mecum au-„ ferrem. Deinde cum paulo post agerem Argentorati, intellexis-„ semque Thomam Rappium, ad thermas Hercinias proficisci velle,„ rogavi hominem, ut Hirsaugiense cœnobium, quod illinc non mul-„ tum abest, adiret, & Tertulliani volumina, quæ illic extare acce-„ peram, commodato deferret. Is vix dum biduum fuerat in ther-„ mis, cum abbas Hirsaugiensis, cum patre Nicolao Basellio, illuc„ quoque lotum venit. Sic contubernii & convictus menstrua fer-„ me consuetudine intercedente, facilius voti compos factus est. Ita-„ que Tertulliani libros secum attulit, quos ab illo paulo post apud„ Basileam agens, accepi non minori gaudio quam si gemmas mihi„ misisset. *Hæc Rhenanus. Angelus Politianus. lib. 4. epist. 5.* se jam tum„ plurima Tertulliani opera legisse testatur, quæ fortasse in Italia, studio Mediceorum, aliunde accepit. In edendo Tertulliano laboravit etiam *Sigismundus Gelenius*, ad quem *Johannes Lelandus*, ex ultima Britannia, misit exemplar, in vetustissimo Masburensi cœnobio repertum; hujus codicis beneficio, præter eos quos Beatus Rhenanus edidit, habemus libros *de Trinitate*; *de testimonio animæ: de anima: de spectaculis; de baptismo: contra Gnosticos scorpiacum: de idololatria: de pudicitia: de jejunio adversus Psychicos: de cibis Judaicis epistolam: de oratione. Libros duos ad nationes hactenus ineditos*, anno 1625. post annos MCCCC. publicavit *Jacobus Gothofredus* JCtus. Codex MS. unde hi libelli descripti sunt, fuit Agobardi episcopi Lugdunensis, qui vixit tempore Caroli M. Ludovici Pii, & filiorum ejus. Lugduno enim in bibliothecam Tornæsianam translatus, inde in manus Gothofredi pervenit. Multa interim Tertulliani scripta hactenus desiderantur. *Carmen de Jona & Ninive* inventum a *Pithoeo. tom. 8. biblioth. patrum.*

Georgius Merula Alexandrinus, Politiani æmulus, auspicio Ludovici Sfortiæ, Principis Mediolanensis, libros aliquot vetustissimos invenit, sed quoniam mors prævertit, publicare non potuit. Obtulit operam suam Politianus *lib. XI. epist. XI. & aliis.* Sed nihil impetravit.

Bibliotheca monast. Murbacensis in superiori Alsatia *Vellejum Paterculum* servaverat, unde eum bono publico protulit *Beatus Rhenanus Lips.*

Plinii epistolarum libros IX. cum X. ad Trajanum, & Panegyrico e Gallis in Italiam detulit, & Aldo Manutio excudendos dedit *Aloysius Moccenicus* Reip. Venetæ apud Regem Christianissimum orator. Ætate vero Vicentii Bellovacensis (vixit ille anno Christi CIↃ CCL temporibus Papæ Innocentii IV.) Plinii epistolæ circiter centum legebantur, convulso volumine. *Voss. in Plin. epist. de Christ.*

Primum N. T. Græcum tempore Pellicani, ex Italia in Germaniam allatum. Bibliopola Tubingensi biblia Hebraica integra, Pisauri in Italia, minima forma impressa adferente, nemo ea curabat, floreno cum dimidio emi poterant. Johannes Frisius Bononia & Venetiis totum Talmud & Majmonem aliosque multos libros Hebraicos attulit. *Ex vita Pellic.*

Johannes Sichardus impetrato a Ferdinando Austriæ duce diplomate, illius ditionis bibliothecas perscrutatus, in codicem Theodosianum incidit, multis dum seculis desideratum, eumque primus edidit. *Melch. Adam. in vita Sichard.* Eidem instaurando operam navavit Johannes Tilius Engolismensis, qui ejus codicis libros posteriores octo integros, postquam M. annos latuerant, rursus in lucem revocavit, & una cum octo prioribus edidit, quos Alaricus Gothorum rex ita diminuit, ut vix decima pars in his hodie appareat eorum quæ in Theodosiano codice continebantur. Jacobus Sirmondus, plurimos bonis proximos scriptores e tenebris situque erutos legendos dedit, laudatus eo nomine a Bartho, adverss. lib. 51. cap. 4. & 5.

Livianæ historiæ libros quinque postremos, bono quodam genio in bibliotheca monasterii Labrisseni, aut, ut vulgo, Lorsensis, omnium Germaniæ bibliothecarum antiquissima, reperit *Simon Grynæus.* Archetypum erat mirandæ vetustatis, prisco more perpetua literarum serie ita depictum, ut difficillimum fuerit verbum a verbo dirimere nisi docto, attento, & in hoc ipsum exercitato. *Erasm. præfat. ad notas Rhenani in Livium.* Anno 1615. Bambergæ, Hectore Corzario, Imperialis ecclesiæ decano, bibliothecam publicam recognoscente ac transferente, *Jo. Horrion.* S. I. Sacerdos dum singulos codices excutit, in membranas incidit quæ complures T. Livii libros, in his partem priorem XXXIII. adhuc desideratam servabant. Unde exemplum factum Fran. Battolino Urbinati non invidit; atque is id Venetiis cum Ant. Quærengi notulis; multo correctius ipse inventor Paderbonæ 1617. protulit; tacito quidem per modestiam nomine, sed quod ex Bern. Rottendorfio didicit Criticorum seculi nostri quondam

dam antesignanus Joh. Fred. Gronovius, qui & hæc, & multorum aliorum in Livio restituendo labores, sua in hunc scriptorem præfatione enarrat.

Eidem monasterio Lorssensi si non totum, saltem magna ex parte *Isychium* debemus, ut narrat Sichardus sua in illum præfatione: Item *ultimum librum Ammiani Marcellini*, qui in eo majusculis literis scriptus inventus est. Fuit ibi exemplar, quod Virgilii manu scriptum titulus præmonebat. Id autem monasterium est e regione Wormatiæ, sive Berbetomagi, trans Rhenum, à Carolo Magno extructum, & librorum copiosissima suppellectile instructum: a Frederico II. Imper. omnibus privilegiis orbatum, & episcopo Moguntino donatum. Joh. Dalburgius episcopus Wormatiensis meliores quosque codices hinc in Ladenburgensem bibliothecam transtulit. *Hosp. de orig. monach. fol. 162. Munster. cosmogr. lib. 3.* A nonnullis sparsum fuit Jovianum Pontanum, quædam Ciceronis volumina, in Casinatis montis non incelebri bibliotheca reperiisse: quæ mox paullum, sed (quod necesse fuit) in deteriorem partem commutata, ut ab se composita, ediderit. *vid. Voss. de hist. lat. lib. 3. cap. 8.* Anno 1581. Woinuskus quidam nobilis, in comitatu legati Polonorum, penitiora Muscoviæ & Podoliæ lustrans, in Walachiæ bibliotheca, multa atque egregia scripta invenit: inter alia libros *Ciceronis de republica* ad Atticum, aureis literis exaratos. Idem Woinuskus Polonis persuasit, ut celeribus equis secum ulterius proficiscerentur, se illis *Ovidii Nasonis sepulchrum* ostensurum promittens. Cumque sex dierum itinere a Borysthene, per vastissima loca progressi essent, in amœnam venere vallem, in cujus medio fons lympidissimus. Juxta hunc evaginatis acinacibus, gramen, quod eo loco copiosum erat, demetere ceperunt, donec Sarcophagum virgultis quisquiliisque tectum, & in eo literarum vestigia invenerunt; quibus a sordibus purgatis, epitaphium Ovidii legerunt. Erat autem hujusmodi.

Hic situs est vates, quem divi Cæsaris ira
Augusti, Latia cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit patriis occumbere terris
Sed frustra: hunc illi fata dedere locum.

Est autem hujus sepulchri locus ad fines Græciæ, non procul a Ponto Euxino, quondam habitatus, ut ex ruinis edificiorum & urbium videtur. Scribit hæc *Michaël ab Isselt* in continuatione commen-

commentariorum *L. Surii.* De libro Ciceronis, quem de notis inscripsisse videtur, ex Joh. Trithemii, scriptoris Ecclesiastici, Polygraphia, sequentia transscripsit Andreas Patritius in fragmentis Ciceronis a se collectis: *M. inquit, Tullius Cicero facundus orator Rom. librum scripsit, non parvæ quantitatis, notarum ad filium, quem sanctus Cyprianus Carthegi-niensium præsul & martyr, multis & notis & dictionibus ampliavit, in modum scilicet dictionarii, ubi secundum ordinem ponuntur characteres designata, ita ut dictio quævis per notam sibi significaretur præpositam. Rarus est codex, inquit, & a semet duntaxat repertus vilique pretio emtus cum anno Dominicæ nativitatis.* M. C. D. X. C. VI. *bibliothecas plures, librorum amore perlustrarem, reperi memoratum codicem, in quodam ordinis nostri monasterio, nimia vetustate neglectum, projectum sub pulvere atque contectum. Interrogavi abbatem doctorem Juris, quanti illum æstimaret, respondit Sancti Anselmi parva opuscula nuper impressa illi præferrem. Ad bibliopolas adii, postulata Anselmi opuscula pro sexta floreni parte comparavi, abbati & monachis gaudens tradidi, & jam prope interitum actum codicem liberavi. Decreverant enim pergameni amore radendum. Ego autem, inquit, librum hactenus habeo integrum, & incorruptum, quem nusquam vidi alibi. His notis autem, inquit, tam Tullianis, quam a Cypriano inventis, bienniô post in bibliotheca majoris ecclesiæ Argentinensis reperi totum Davidæ psalterium exaratum, nisi quod liber inscriptionem, ab ignaro quodam propositam haberet Psalterii in Armenica lingua, cum inscribendus esset, Psalterium Davidis regis latinum, notis Tullianis descriptum. Etsi autem earum notarum in illo libro tanta esset copia, ut omnino ad scribendum omnia sufficere viderentur, pauca tamen se subjecisse scribit.* Utrum vero hic liber ipsius sit Ciceronis, an Tullii Tironis liberti ejus? disquirendum est. Ciceronem hunc modum per notas scribendi aliquos docuisse certum est, *vid. Lipsii cent. 1. ad Belg. epist. 27.*

Gasparinus Grammaticus ac Rhetor sua tempestate illustris, Barzizæ natus; qui est in agro Bergomati vicus obscuri olim nominis, Venetiis, mox Patavi, inde Mediolani, multa nominis celebritate, literas docuit, primus omnium ad veteris eloquentiæ umbram, quæ sola supererat oculos retorsit. Primus in *tres illos M. T. C. ad quintum fratrem libros*, quum diutissime non extitissent, incidit, quos situ & vetustate consumptos, diligenti cura ac studio emendare adortus, tantum intentiore lectione profecit, ut opus non solum desideratum, sed deploratum etiam in publicum exhibuerit.

Poggius

Poggius Florentinus Ciceronis libros de finibus & de legibus, in Germania descriptos: primus in Italiam attulit. Idemque etiam *Fabium Quintilianum*, sub tempus Constantiaci conventus, ex Gallia Romam deportavit, quem ignotum, squalidum, tetroque pedore carceris consumtum, in salsamentarii taberna repertum, in apertum retulit. Eodem tempore, idem *Poggius Silium Italicum*, cum blattis tineisque misere per aliquot secula conflictantem, e latebris in lucem produxit. Huic præterea debemus *Asconium*, item *Argonauticorum Valerii Flacci lib. 1. 2. 3.* & partem quarti, quod ex manuscripto Laurentii Pignorii, probat Vossius *de hist. lat. lib. 3. cap. 5.* in quo codice hæc leguntur: *C. Valerii Flacci Argonauticon. Hoc fragmentum repertum est in monasterio S. Galli prope Constantiam XX. millibus passuum, una cum parte Q. Asconii Pediani. Deus concedat alteri, ut utrumque opus reperiat perfectum. Nos, quod potuimus, egimus.*

Poggius Florentinus.

Maximi Tyrii sermones Ioh. Lascares ex Græcia attulit & Cosino Paccio in Latinam linguam transferendos dedit. *Enoch. Asculanus* invenit *Marcum Apicium & Pomponium Porphyrionem* in Horatii opera scriptorem egregium.

Guarinus Veronensis Catullum municipem suum, situ & squalore confectum, lucemque ex diuturnis tenebris reformitantem, ita absterisit, ut in publicum exire non erubuerit. *Plat. in Nicol. V. Sabel. dial. de reparat. ling. latina.*

Aldus Manutius in antiquissima quadam Galliæ bibliotheca reperit *carmen Catulli de Vere. Erasm. prov. Amyclas perdidit silentium*, quod cum diu deinceps latuisset, rursus repertum, a P. Pythœo, I. Dousa F. Weitzio, Salmasio, Scriverio, titulo Pervigilii Veneris. *Phædrus fabulator*, Augusti libertus, plenus bonæ spei fuit ad posteritatem perventura scripta sua, ut multis locis non obscure ostendit, præsertim *fab. 86. ad Particulonem:*

Particulo, nomen chartis victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis.

Sed hæc spes ei pene decollavisset, si absque *Pithæis clarissimis fratribus* esset, quibus vitam debet. Quem Faërnus imitans, & dissimulans nobis inviderat. *Thuan. hist. lib. 37. Mercurii Trismegisti Pimander*, cum diu inter Græcos latuisset, diligentia *Leonardi Pistoriensis*, monachi, ex Macedonia in Italiam advectus est, tempore Cosmi Medicci, patriæ

patris, a Marsilio Ficino autem in Latinam linguam versus. Iudicium de hoc scriptore vide apud *Hoornb. de convers. Iud. lib. 2. cap. 3. in fine.*

Æschylum, poëtam Græcum, pluribus seculis non visum, reperit Cuspinianus; ut & *Iohannem Monachum*, Historicum, Græcum, a solo Andrea Alciato citatum. *Cuspin. in Cassiod. coss. ad annum Ch. 33.*

Petrus Victorius anno 1540. primo edidit *electram Euripidis*, quæ cum hactenus latuisset, inventa est, & e tenebris eruta, a duobus adolescentibus, *Bartholomæo Barbadoro*, *ac Hieronymo*, cum vetera ejus poëtæ exemplaria inter se conferrent, & in eum usum undique conquirerent.

Iohannes Arcerius Frisius primus græce divulgavit *Iamblichum de* vita Pythagoræ ejusdemque duas ad Philosophiam orationes protrepticas. *Voss. de phil. lib. 1. cap. 16. §. 3. David Hæschelius* Augustanus *Procopium* primus græce edidit, dum cessat Bonaventura Vulcanius, *vide epistolas Scaligeri ad Hæschelium.* Procopii vero historiam Gothicam, suppresso authoris nomine, ediderat *Leonardus Aretinus*, propterea, mortuus furti damnatus est, accusante Christophoro Persona, qui aliud exemplar nactus, Gothicam, Persicam, & Vandalicam, Græci authoris titulum ingenue profitendo, transtulit. *P. Iovius in elogiis L. Aretini & Persona.* Agobardi Lugdunensis Episcopi opera, cum per octingentos annos delituissent, a *Papirio Massono* in quodam bibliopolio inventa sunt, & a compactore, qui cultro jam ea erat dilaniaturus, redemta: prodierunt primo Parisiis, anno 1605 *Bessarion Nicænus*, Cardinalis, invenit poëma *Coluthi*, cui titulus Ἑλένης ἁρπαγή. Item poëma *Cointi Smyrnæi*, quo Homeri Iliadem continuarit, depositum in templo D. Nicolai ad Hydruntem, maritimum Calabriæ oppidum, unde poëta ipse *quintus Calaber* dictus est. *Quenstedt dial. de patriis vir. doct. pag. 481. 482. Scaligerian. pag. 325. Rhodom. in præfat. ad Calabrum.*

Chronicon Lamberti Scafnaburgensis ex monasterio Augustinensium, eorumque bibliotheca Wittenbergensi a Secerio, jussu Melanchtonis, exscriptum & editum.

Engelberti Admontensis, in Styria abbatis, qui sub Rudolpho Habspurgio floruit, libellus de ortu, progressu & fine Romani imperii, in bibliotheca illius monasterii a Caspare Bruschio inventus & editus est. Ejusdem ethica quædam in eodem cœnobio servantur. *Bolduan. biblioth. philosoph.*

Iohannes Aretinus exemplar *Thucydidis*, ab Eugenio papa Constantinopolitano, dono acceptum, Basileam tulit, ubi centum amplius annos servatum, a Ioachimo, deinde a Camerario in lucem editum.

Iohannes

Iohannes Sambucus Tirnavienſis Pannonius, profeſſione medicus, eam in veteribus libris colligendis diligentiam adhibuit, eam in publicandis liberalitatem declaravit, ut magnatibus, qui hac re laudem conſecuti ſunt, ipſe privatus æquari ſane debuiſſet, & inter eos locum meruiſſet, niſi ipſe eruditus, inter eruditos numerari malle viſus fuiſſet: quod *Nonnus Dionyſiacorum ſcriptor*, *Ariſtænetus*, *Eunapius*, *Heſychius*, *Theophylactus in acta apoſtolorum & alii ejus beneficio editi* abunde teſtantur. *Thuan. lib. 5. hiſt.* Edidit emblemata, & nummos veteres, præfixa dedicatione ad Iohannem Grolierum, quæſtorem regium, & conſiliarium Lutetiæ, in qua ſe per triennium multis modis bibliothecam ſuam auxiſſe, & antiqui operis numiſmatibus, maxime raris, cumulaſſe teſtatur, ut vel ſummis cardinalibus admirabilis Romæ, & per Italiam principibus fuerit.

Æmarus Ranconetus, admiranda politioris literaturæ, ac antiquitatis cognitione, Mathematicarum artium ſcientia, acerrimo etiam judicio emicuit. Senator Burdigalenſis, mox in ſenatu Lutetiano inquiſitoriarum claſſium præſes factus, cum graviſſimis de cauſis reus eſſet factus, atque in arcem Baſtiliam conjectus, exquiſito mortis genere (quod ex judicio aſtrorum, & illius ſcientiæ, quam una cum Hieronymo Cardano excoluerat, jam pridem eventurum ſibi ipſi prædixerat) obiit. Hic quidem ſcriptis evulgatis non inclaruit, fertilem tamen ſcribendi materiam aliis præbuit, copioſiſſimam ſiquidem librorum tam impreſſorum, quam manuſcriptorum & ſumma induſtria annotatorum, ſupellectilem poſt ſe reliquit, ex quâ, tanquam ex equo Trojano, plurimi illuſtres ſcriptores prodierunt. *Lundorp. contin. Sleid. lib. 2. anno 1559.*

Iohannes Lelandus Londinenſis, antiquitatis Britannicæ diligens inquiſitor, vetera tutius inſulæ monumenta, magno ubique cum labore perluſtravit. Incognita locorum & rerum ex nimia vetuſtate vocabula, per optimos authores revocavit, & quo facilius intelligerentur, tam originalibus quam uſitatis explicuit nominibus. Exoletos & oblivione pene ſepultos authores Britannicos ſolus reſuſcitavit. Multa ipſe conſcripſit. Claruit anno 1546. ſub Henrico IIX. cui a bibliothecis fuit. Poſtea in phreneſin incidit. *Balæus.*

Iovianus Pontanus antiquiſſimo firmabat teſtimonio, *Propertii elegias*, ſe adoleſcentulo, primum in lucem prodiiſſe, cum antea, inſcitia temporum, incompertæ forent, & incognitæ: opuſque obliteratum & longiſſimo ævo abſumtum, corroſis & labentibus literis, in

cella vinaria, sub doliis inventum apparuisse, &, cum libelli vetustate, verbis & nominibus absumtis, longo situ & senio, quod in diuturna obscuritate latuerant, veram lectionem assequi nequirent, effectum, ut mendosi inde codices prodirent; paulatimque discuti errores & corrigi cœpti sunt. *Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 1. Paulus Frambottus* typographus Patavinus reperit Tragurii, apud Dalmatas, in bibliotheca *Cippicorum* (olim *Capiones* appellabantur) in signe fragmentum *Petronii*, quod anno 1655. ex apographo concesso operis suis & sumtu communicavit: quem secutus in Suecia vir eruditus *Iohannes Schefferus*, hortatore, & exemplum transmittente *Nic. Heinsio*, editionem adjectis notis iteravit, narrat hæc *Thomas Reinesius* in præfat. scholiis suis in hoc fragmentum præfixa.

Augerius Busbequius Cæsarea legatione fungens apud Turcas, magnam etiam in libris conquirendis diligentiam adbibuit; sic de se ipso „narrat: *legat. turc. epist. 4. in fine.* Reporto magnam farraginem vete„rum numismatum, quorum præcipuis donabo dominum meum. Ad „hæc librorum Græcorum manuscriptorum tota plaustra, totas naves, „sunt, credo, libri haud multo infra 240. quos mari misi Venetias, ut „inde Viennam deportentur. Converti omnes angulos, ut quicquid „restabat hujusmodi mercis, tanquam novissimo spicilegio, cogerem. „Unum reliqui Constantinopoli, decrepitæ vetustatis totum descri„ptum litera majuscula, Dioscoridem, cum depictis plantarum figuris, „in quo sunt paucula quædam, ni fallor, Crateuæ, & libellus de avibus. „Is penes Iudæum Hamonis, dum viveret, Suleimanni medici filium, „quem ego emptum cupivissem, sed me deterruit pretium. Nam „centum ducatis indicabatur, summa Cæsarei, non mei, marsupii. „Ego instare non desinam, donec Cæsarem impulero, ut tam præ„clarum authorem ex illa servitute redimat. Est vetustatis injuria „pessime habitus, ita extrinsecus a vermibus corrosus, ut in via reper„tum vix aliquis curet tollere.

Dubium utrum inter magnates an doctos sit numerandus *Nicolaus de Peiresko, senator Aquensis*, cum hinc ejus liberalitas & magnificentia, illinc ejus indefessum studium & diligentia in omnis generis eruditione promovenda, maxime vero circa libros colligendos, admodum insignis fuerit. Ejus vitam, a Petro Gassendo sex libris descriptam, cum legerem, quæ inde excerpsi, hic ascribam. Hic itaque Ni„colaus Fabricius de Peiresko in Orientem misit Theophilum Minu„tium, ex Minimorum ordine, qui exemplaria biblica requireret, ob-

tenta

tenta prius, tam a ſummo pontifice, quam a generali ordinis licen- „
tia, proviſoque, ne vel commeatus, vel neceſſarium voluminibus „
coemendis pretium deeſſet. Et ſua ſane ſpe fruſtratus non eſt, ille „
enim optima ſorte, comperit ſtatim, acquiſivitque biblia Samarita- „
nica, cum adjunctis in tritaplorum formam, Hebraicis, Arabiciſque „
(ſed Samaritanico charactere) præter duo teſtamenta Syriaca, Arabi- „
coſque codices complures. Daniel Dayminius ex iis Franciſcanis, „
quos recollectos, nominant, ſeriam operam navavit, ut tam hi libri „
quam alii, ac varia etiam numiſmata, in Minutii inciderent manus. „
Mandarat etiam ut in Cypro perquirerentur codices, quibuſcum fue- „
rat eclogarum ſeu excerptorum Porphyrogenneticorum repertus: at „
iis ſic fuere exturbati, ut nulla tandem exploratione, quantumlibet „
ſedula reperiri potuerint, Minutius vero ex Ægypto, proſpero ſuc- „
ceſſu, adveniens, libros aſportavit non paucos, ac potiſſimum Copti- „
cos, hoc eſt, charactere & idiomate Ægyptio antiquo conſcriptos, „
præter dictos Samaritanos, quos jam ante miſerat. Deſtinavit deinde „
Peireskius iterato Minutium, ut venatum iret libros Orientales, facto „
præſertim animatus præclari viri Iacobi Golii, quem Hollandiæ ordi- „
nes, propter inſignem Arabiſmi, Matheſeoſque peritiam, ſubſtituere „
inclytis duobus academiæ profeſſoribus, Thomæ Erpenio, & Wille- „
brordo Snellio. Golius ſcilicet nomine impenſiſque ordinum bis jam „
in Orientem profectus, tantum corrogarat & in academia depoſuerat „
librorum theſaurum, ut viſo eorum indice, Peireskius ſubito ſtudio „
inarſerit mittendi rurſus in Orientem, qui in id incumberet, ut quan- „
tum liceret per privatos ſumtus, ſimiles libros Gallia haberet. Dedit „
autem Minutium incomitatum Margævillæi, qui menſe Iulio 1631. „
Conſtantinopolim diſceſſit. Et dare quidem præterea voluerat Hol- „
ſtenium, Buccardum, alioſque eruditos viros, qui freti authoritate, „
& patrocinio regii oratoris, bibliothecas in monte Atho, aliiſque in „
locis explorarent; verum illi utcunque forent ad id peragendum pro- „
penſi, non potuerunt tamen eſſe ſatis tempori ad diſcedendum com- „
parati. Unicus comparatus ſuit Gallaupius, qui, non multum tamen „
temporis Conſtantinopoli moratus, diſceſſit in Libanum montem, „
& cum Maronitis ita conſtitit, ut etiamnum cum illis degat. Anno „
ſequenti 1632. libri a Minutio ex Oriente miſſi ſunt, cum numiſmatis, „
variis, ac Baſilidianis præſertim: Inter cæteros, ut minimum mole, ita „
pretio maximum habuit quoddam volumen (quod a volvendo ita „
revera dici potuit) repertum intra capſulam, ad Mumiæ cujuſdam „

„ pedes: Id universe conscriptum erat hieroglyphicis literis, constans „ ex germana papyro, ac facile sua vetustate superans bis millia anno„rum. Alia postea vice accepit Peireskius magnam Græcorum codi„cum copiam (quantam scilicet capere poterant duæ capsæ peram„plæ) at felicitas par non fuit, seu quod ad integritatem, seu quod ad „ subjectam materiam attinuit. Nam præter biblia Arabica, Arabice, „ Persice, Chaldaice, cum Rabbi Salomonis Commentariis conscripta, „ & alia item Arabica, cum initiis capitulorum Samaritanis; cæteri „ omnes valde vulgares, aut mutilati admodum fuere. Anno 1633. in „ lucem prodiit B. Clementis epistola ad Corinthios scripta, nuper ex „ Ægypto, Canstantinopolique in Angliam allata. Sub idem tempus „ Ægidius Lochiensis, e Capucinorum familia, ex Ægypto rediit, ubi „ toto septennio linguis Orientalibus operam navaverat. Is indicavit „ codices raros in cœnobiis variis extantes. Memorabile autem est „ visam ipsi bibliothecam octies mille voluminum, quorum pars non „ exigua præ se ferret ævi Antoniani notas. Quandoquidem vero „ inter cætera animadvertisse se dixit, Mazhapha Enock seu prophe„tiam Enochi, declarantem ea, quæ ad finem usque seculi eventura „ sunt, librum Europæ pridem invisum, illic autem charactere ac idio„mate Æthiopico seu abyssinorum, apud quos is fuerat servatus, con„scriptum: Ideo Peireskius sic fuit accensus ejus, quoquo pretio, „ comparandi studio, ut, nullis parcens sumptibus, ipsum denique sui „ faceret juris. Hac diligentia factum, ut excerpta Polybii & Nicolai „ Damasceni reperta, & ejus sumptibus ex insula Cypro advecta sint. „ Idem Peireskius solicite ex Oriente exspectavit libros hexaplos, octa„plosque. Fuit in illis Psalterium sex columnarum ordinibus, totidem„que linguis, idiomatibusve distinctum, quod, piraticam expertum „ injuriam, nullo non pretio fuit redempturus, etsi non emptum pluris „ quam libris Turonicis 24. Hinc nullum lapidem non movit, donec „ piratas appulisse Tripolin Africæ accipiens, ad Bassam seu guberna„torem illius civitatis scripsit, amicis interpositis, illeque spem fecit „ transmittendi librum. Contigit porro, ut nonnulli, perspecto ejus „ desiderio, sperataque magna mercede advexerint librum, quem „ prædicabant sibi in ea urbe concreditum: sed erat Arabicum Thomæ „ Erpenii dictionarium. Hæc ex vita Peireskii.

Investigandis libris Arabicis maximam curam, sumptum & operam impendit *Nicolaus Clenardus*, ut ex ejus epistolis ab Iacobum Latonum videre est: Sed quam potestatem librorum avehendorum

rex

rex Fesanus illi primo fecerat, postea nebulonis cujusdam invidiosi sermonibus incitatus, denegavit. *lib. 2. epist. ad Carol. V.* petit Clenardus, ut Cæsar illi libros concedat, qui in Hispania, inquisitorum jussu, comburebantur. *Georgius Dousa* multos Græcos codices Constantinopoli attulit, inter alios etiam *Georgii Logothetæ Chronicon Constantinopolitanum* a fratre Theodoro Dousa editum. Admodum perfrictæ frontis fuit, qui, cum *Laurentii Vallensis* elegantiarum libros in honore esse dolerent, in vulgus sparsere, eos jam olim in Germania fuisse repertos; quodque scripti essent literis fugientibus ac fatiscentibus, vix certis cognitum indiciis tandem fuisse, *Asconii Pediani* esse opus: cujus calumniæ meminit Mariangelus Accursius, in diatribarum suarum defensione, cui *Testudo* nomen fecit. *Voss. disquis. de ætate Asc. Pediani.*

Ianus Rutgersius in variis suis lectionibus, diversos Græcos scriptores, hactenus latitantes, luci reddidit, quales; *Iohannis Grammatici, Gazæi tabella universi ἔκφρασιν*, ex bibliotheca Leidensi, cui eam inter alia legaverat Ios. Scaliger. *P. Nigidii ἐφήμερος βροντοσκοπία, ἐκ τῶν Τάγητος.* quam ei donaverat Iohannes Meursius. *Menandri & Philistionis σύγκρισις*, quam primus antea evulgaverat Nic. Rigaltius; hic longe edidit auctiorem. *Leonis imp. oracula*, quæ ipsi donaverat P. Scriverius, cum ea a Douzis ipse accepisset, quorum frater Georgius, Constantinopoli & hæc attulerat. *Isaaci Porphyrogeneti characteres Græcorum & Trojanorum qui ad Trojam fuere*, e bibliotheca Amstelodamensi. *Glossarium Græcum* e vetusto codice descriptum.

Orbe nostro non contenta fuit hæc insatiabilis librorum cupiditas, in Chinam usque, regnum olim inaccessum, perrupit Herculeus hic labor. Nil mortalibus arduum est, præsertim monachis anno 1577. Martinus de Herada provincialis ordinis eremitarum Augustini, & Hieronymus. Martin socii que milites, ex Insulis Philippinis in Chinense regnum penetrarunt, cujus bibliothecas postea lustrabimus. Ex hac peregrinatione etiam Europæorum bibliotheca auctæ sunt. Varios enim libros hi patres secum ex China attulerunt, Politicos, Medicos, Physicos, Mathematicos, aliosque, quorum titulos annotavit Mendoza *hist. Chin. part. 1. lib. 3. cap. 17.* Extat variorum librorum Chinensium bibliotheca, qui ex China cum ipsorum atramento & charta admirandæ magnitudinis advecti sunt. Amsterd. 1605. Testis sit mihi *Bolduanus in bibliotheca philos. pag. 645.*

Succedit eruditorum labor secundus, qui in librorum ex una lingua in aliam translatione versatur, opus ut maxime arduum, ita magni-

gnificum, & imprimis utile. Arduum quidem, tum propter linguarum cognitionem, quæ exacta requiritur, tum propter ingens laboris tædium, quod in alienis conceptibus exprimendis devorandum est. Magnificum autem, quia per istas translationes linguarum gloria augetur, earumque termini latius extenduntur. Utile, quia quod unius linguæ erat antea proprium, hoc pacto ad totum genus humanum, in communem utilitatem transfunditur. Ideo etiam reges hujus rei curam gerere non piguit. Ptolomæi enim Philadelphi jussu & auspiciis celebris illa bibliorum, per 72. Interpretes, versio facta est. Et viri eruditissimi hoc in re operam suam studiumque collocarunt: ut patet ex Targumim, sive Paraphrasibus Chaldaicis antiquissimis, apud Iudæos. Iam inde a temporibus Esræ, cum lingua Hebræa, post captivitatem Babylonicam, vulgo ignota esset, Paraphrases scribi cœperunt, quæ ut quibusdam videtur, in synagogis, post textum publice prælectæ sunt, quod probabile magis fit ex antiquis quibusdam MSS. Chaldaicis Paraphrasibus, in quibus, post versiculum Hebraicum, continuo sine ulla lineæ abruptione, idem repetitur Chaldaice, ut linguarum ignaris, continuus orationis contextus in eadem lingua videri possit. Atque huc referunt locum Nehem. 8. 9. *Walton. dissert. de ling. orient. §. 29.* Inter Christianos vero plurimi sacras literas in alias linguas verterunt. De quibus Augustinus *de doctr. Christ. lib. 2. cap. 11.* Qui scripturas Hebræa „ lingua in Græcam verterunt linguam, numerari possunt, latini „ autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei tem„ poribus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis „ sibimet utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. „ Hoc studio inter patres valde delectatus est Hieronymus, qui de opti„ mo genere interpretandi scripsit ad Pammachium, testaturque se vitam Antonii vertisse ex græco: & Hilarium confessorem, homilias in Iob. & plurimos tractatus in psalmos e græco in latinum transtulisse. Vertit Hieronymus etiam Didymum de Spiritu Sancto, & multa ex Origine, unde lis illi orta cum Rufino. *In Apologia adversus Rufinum:* „ Laudavi, inquit, Eusebium in historia Ecclesiastica, in digestione „ temporum, in descriptione sanctæ terræ, & hæc ipsa opuscula in „ latinum vertens meæ linguæ hominibus dedi. *vide præfationes ejus in* „ *omnes S. Scripturæ libros. item ad Eusebii Chronicon, & Epistolam ad Augustinum tom. 3. fol. 153.*

Bibliothecis vero, una cum literis in Italia, Germania, reliquisque Europæ regionibus, renascentibus, viri docti certatim se libris transferen-

ferendis dederunt, vel ut ſe ipſos in utraque lingua exercerent, vel ut aliis quibus linguarum altera incognita erat, conſulerent, alioſque ad ſimilem diligentiam excitarent. *vide Nannii Miſcellan. cap. 3.* Maxime labor eorum circa authores Græcos fuit occupatus, adeo ut tota Græcia in Latium tum temporis migraſſe videatur, ipſis etiam Græcis auxiliares manus præbentibus. Gregorius Tiphernas Africam Strabonis & Aſiam noſtris ſtudiis adjecit. Platonem latinitate donavit Marſilius Ficinus, Canonicus Florentinus, tantus ejus amator & admirator erat, cum nullam Chriſti, aut Beatæ Virginis, aut alicujus Sancti imaginem domi coleret; Platonis tamen ſimulachrum in cubiculo haberet, ante quod perpetuo dies noctesque ardentem lampadem ſuſpendit. *Bzovius ad annum 1492. §. 27.* vertit etiam Plotinum, Iamblichum, Syheſium & Pſellum Platonicæ ſectæ authores nobiles. vid. *Jov. doct. vir. elog. 33.* Iul. Cæſ. Scaliger, inter Heroës, hoc eum carmine celebrat:

Sancta anima, & cœlum tibi tu qua ſæpe fuiſti,
Spira in me rari flamina pura boni.
Ter cœli ſocia es; ter magni civis Olympi;
Ter comes, in gremium pulcra recepta, Dei.
Cum fluis ex aſtris; Divi momenta Platonis
Cum capis; & nunc te cum Iovis aula capit.

Interpretationem Ariſtotelis multi aggreſſi, quidam ſatis infeliciter, ut fere alio interprete, imo divino aliquo opus ſit, qui interpretis ſenſum aſſequatur, & clarius exponat. Eum ſuum fecerunt Arabes. Inter Latinos interpretes primum locum ſibi vendicat Boethius. Inter recentiores Guilielmus Budæus, Beſſarion Cardinalis, Nicenus, aliique; imprimis autem Theodorus Gaza, vir de quo propemodum dici poteſt, quod & Apollonius ille de Cicerone dixiſſe fertur, ademptam ab illo græcis eloquentiæ laudem: Nunc contra Graji ſanguinis hominem latinis ademiſſe: Ariſtotelis de animalibus, & Theophraſti de plantis libros ita Latinos fecit, ut dum ad Græcarum compoſitionum exemplum horridioris linguæ vocabula inter ſe apte concineque jungit, & vim Græcarum vocum novis Latinis accommodate effingit atque exprimit, audaci quidem ſed felici translatione, facultatem latinæ linguæ non mediocriter locupletaverit. Tanti autem candoris fuiſſe Gazam narrat Jovius, ut multa ex Ariſtotele verſa Vulcano tradiderit, ne creſcenti famæ hominis amiciſſimi Argyropili, qui eadem generoſe verterat, officerent. Georgius Trapezuntius, Gazæ æmulus, ſed docto-

rum judicio neque acumine ingenii, neque judicii dexteritate, nec utriusque linguæ peritia illi comparandus, vertit Eusebium de præparatione evangelica, eumque Nicolao V. Pontifici Max. dicavit: Cui in transferendis operibus acceptissimus fuit, una cum Laurentio Valla, Petro Candido Decembri, Georgio Castellano, Demetrio, item natione Græco. Nicolaus Perottus Episcopus Sipontinus vertit Polybium. Non defuere tamen ex æmulis, qui ejus authoris traductionem antiquissimam fuisse, furtoque surreptam existimarint. *P. Iovius in elogio.*

Homerum heroico carmine Latinum fieri magnopere cupiebat doctorum illius temporis Mecœnas Nicolaus V. P. R. plurimi hoc conati sunt. Unus vero tantum inventus est, qui acri ejus judicio satisfaceret, Horatius Romanus, qui Scribatum Apostolicum ea de re consecutus, magnisque pollicitationibus, illectus iliadem aggressus, nonnullos ex ea libros latinos fecit. Laurentius Valla, & Angelus Politianus (*lib. 8. epist. 6.*) in Homero vertendo etiam laborarunt. Nicolaus Valla, Iliadem Homeri, & Hesiodum heroico carmine in Latinum vertit. *Fabr. Rom. cap. 21. Pier. Valer. de infelic. literat. lib. 2.* Palmam tamen illis præripuit homo Germanus, Helius Eobanus Hessus, qui non partem, sed totam Homeri Iliada Latio donavit, elegantissimo carmine heroico, quem laborem hoc elogio ornavit Jacobus Micyllus:

Mæonidem Latia memorantem prælia voce,
Versaque in Ausonios Dorica verba modos,
Castraque cum castris Danaum mutata Latinis,
Et cum Romanis pallia Græca togis,
Rem toties cœptam, sed nulli rite peractam,
Serior en ætas attamen ista dedit.
Hanc laudem multi Vatum petiere priorum,
Sed propriam solus quam ferat Hessus habet.

Addam epigramma, quod in ineptum Homeri interpretem, quasi cocum, lusit Eobanus, in quadam ad Joachimum Camerarium epistola:

Restituit quondam cupido Pisistratus orbi
Amissum longo tempore Mæoniden.
Jussit Aristarchus peregrinas ponere plumas,
Quas misero audaces imposuere manus.
Sic tandem propria redimitus corpora palla,

Iam

Jam notus domui solis utrique fuit.
Viderat hunc patria perfusus jure Culina,
Et dixit, vestem non habet iste, Cocus.
Protinus Argivi detraxit pallia cultus,
Posse putans Latia se dare jura toga.
Veste nova cultum populus spectare Poëtam
Dum properat, vestis non fuit, offa fuit.

Item.

Jure Cocus miserum Latio, perfudit Homerum,
Dum de carne nihil, quod dare possit, habet.

Herodotum vertit Laurentius Valla, rogatus ab Alphonso Rege, cujus salutandi gratia Neapolin se contulerat, cum inter eos multus sermo de rebus Persarum ad Græcorum exortus esset, quas Rex sciebat ab Herodoto conscriptas esse. Sed immatura morte impeditus Laurentius, ultimam versioni suæ manum imponere nequivit, Rex autem libros, ut erant, Roma sibi deferendos curavit, & in bibliotheca sua diligenter asservari jussit. *Jovian. Pontanus tom. 3. pag. 2598.* Versionem hanc postea emendavit Henricus Stephanus, ut & Herodianum a Politiano latine loqui edoctum, hujus tamen æmuli translationem hanc Gregorio Typhernati asscribunt, eique morienti a Politiano subtractam esse dicunt. *P. Jovius in elog. Polit. & Typhernatis.*

Leonardus Aretinus quædam ex Xenophonte, Plutarcho, Aristotele, Platone vertit. Leonhardus Justinianus, Guarinus Veronensis, Donatus Acciaiolus Florentinus in vertendo Plutarcho etiam laborarunt. Integrum vero Plutarchum aggressi sunt duo ex Germanis Gulielmus Xylander, & Hermannus Cruserius Campensis, apud Carolum Egmondanum & Guilielmum Clivensem Gelriæ Duces honesto loco, ut senator, habitus. Obiit Regiomonte in Borussia, anno 1574. Antea medicinæ studiis operatus erat, & multa ex Galeno verterat, & ipse Erasmus ex Plutarchi moralibus quædam vertit, nec pauca ex Luciano; in quo etiam laborarunt Thomas Morus, Philippus Melanchthon, Ursinus Velius, Johannes Sleidanus, Jacobus Micyllus, aliique. Sigismundus Gesenius in vertendis scriptoribus Græcis valde desudavit, natus in Bohemia. Anno 1554. ætatis 57. decessit, cum egestate tota vita conflictatus & lautiore fortuna dignus ab Erasmo judicatus, *Thuan. hist. lib. 13.* Hoc pacto Græci scriptores ecclesiastici latine loquuntur, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Athanasius, Epiphanius, Justinus, Irenæus, quem Erasmus la-

tine scripsisse arbitratus est, figuris Græcis abutentem, Scaliger tamen Epistola 239. eum Græcum fuisse & Græce scripsisse probat ex fragmentis Epiphanii, & rerum ipsius Iræni gestarum apud Eusebium historia. Sic *Bellarm. de script. ecclesiast. Rivet. Crit. sacr. lib. 2. cap. 6.* B. Rhenanus præfat. ad Tertullian. contra Valentinianos Græce in Medicea bibliotheca extare dicitur. *Alex. Morus in notis suis ad N. T. in verbo εὐαγγέλιον*, se eo usum esse profitetur.

Sic multi scriptores ex linguis originalibus in quasvis vulgares traducti sunt. Maxime vero hac in parte laudanda est S. Scripturæ interpretatio, quam sane utilissimam imo necessariam esse putamus, rigentibus licet, & obstrepentibus Pontificiis. *Bellarm. de verb. Dei lib. 2. cap. 15.* qui sane hanc lucem ex versionibus provenientem in ἀκμῇ suæ tyrannidis extinguere non potuerunt. Insigne est judicium Dei in Archiepiscopum quendam in Anglia, qui cum magno conatu laboraret, ut publico decreto versio scripturæ in sermonem Anglicum verteretur, radix linguæ ejus adeo intumuit, ut nec edere, nec bibere, nec loqui potuerit, adeoque fame mortuus sit, referente *Bakero in Henrico V. Angliæ Rege.* Tum etiam Dei Spiritu excitati sunt quidam, huic impietati se opponentes, & lucernam verbi Dei sub modio non occultantes. Nam anno 1292. Jacobus de Voragine, Archiepiscopus Genuensis, utriusque instrumenti divina volumina primus in Italicam linguam transfudit. *Bzov. & Sixt. Senens. bibl. S.* Alphonsus sapiens verti eadem curavit in linguam Hispanicam. Carolus V. cognomento sapiens in linguam Gallicam, anno 1360. *Catal. test. verit. pag. 807.* Ethelstanus Anglorum Rex, filius Eduardi I. in idioma Anglo-Saxonicum. *Bal. anno 1477.* V. Test. libri editi sunt lingua Belgica Delphis, editoribus testantibus, se satis novisse Clericos hoc ægre laturos esse. *Basel. Sulp. Belg. pag. 237. 241.* Bugenhagius singulis annis eo die, quo Lutherus cum suis συνέργοις versionem suam bibliorum absolverat, amicos solenni convivio excipere, & quasi festum illius translationis celebrare solitus fuit. *M. Adam. in vita Bugenhag.*

Inter latinas versiones, ea quæ vulgata dicitur, in Papatu canonizata, a Concilio Tridentino, ubi sane decretum fiebat de non ente; si quidem versio illa infallibilis declarata antequam extitit. Sed Clemens VIII. resumpsit & correxit, unde bellum Papale quod Jamesius conscripsit. *Vide censuram V. vers. Sixtini Amamæ præsertim in prolegomenis & ejusdem antib. bibl. lib. 1. Leusd. philol. mixt. disp. 1.* An sit Hieronymi dubitatur. Hieronymus quidem multa longe aliter vertit,

tit, & vertenda docet, sed hoc argumentum nihil probat, cum Interpp. & veteres & recentiores, in diversis editionibus diversimode multa transtulerint. V. G. Pagninus plus semel primam suam versionem interpolavit, & multos locos in lexico aliter interpretatur, atque in ipsa bibliorum versione fecerat. Versio Pagnini censetur accuratior, sed Junii & Tremellii apud Reformatos usitata magis, quamvis multi ægre ferant libertatem illam, quam Junius sibi sumpsit in corrigendis Tremelianis. *Conf. L' Empereur* (*in ὑπομνης: lyra Davidis D. Gomari*) se hoc sæpe in ea observasse dicit, scilicet, conceptam animo analysin, veluti normam statui, ad quam in vertendo respiceretur: cum hoc modo a vero sensu sæpe recedatur. Memorabilis maxime est nova illa versio Belgica bibliorum ex ipsis fontibus, jussu & non exiguis sumptibus illustrium ordinum fœderati Belgii, ex decreto concilii nationalis Dordraceni, sess. 8. opera & studio doctissimorum hujus Belgii Theologorum concinnata, & hodie in fœderatis provinciis usitata.

—— monimentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, aut aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

De variis bibliorum in linguas vernaculas translationibus agit *Hotting. biblioth. quadripart. lib. 1. cap. 3. & Sixt. Amama præfat. collat. biblica. Rivet. Isag. ad S. Script. cap. 13.*

Superest ut de tertio labore, scilicet novis libris per doctos conscribendis & edendis ad ornamentum literarum & bibliothecarum aliquid subjiciamus. Voce ergo & scriptis in Italia rem literariam promoverunt in jure civili, Baldus, & duo Raphaëles, fulgosius atque Comensis & Segnorolus Amedæus. In philosophia Balasius Pelacanis a parma, cujus extant in astronomicis & opticis quæstiones, & Hugo Senensis qui tempore concilii Ferrariensis, præsente & invitante Nicolao Estensi principe, Græcorum philosophos præsentes argumentis, & dicendi copia ad ἰχθυοσίαν redegit. *Pius II. descript. Europ. c. 52.* Medici, Marsilius a S. Sophia, Syllanus Niger, & Antonius Vacca. In tradendis linguæ Græcæ præceptis eminebat Emmanuel Chrysolora, qui a Johanne Palæologo sub Bajazete primo, missus in Europam, ut reges adeundo, pereunti Græciæ maturam opem im-

ploraret, perfunctus munere mandato, in Italia substitit, variis locis docuit, in Germania obiit, tempore Synodi Constantiensis. Petrus item Philargus Cretensis, sacrarum literarum interpres, qui postea Pontifex evasit, & Alexander V. est appellatus *Bzov. ann. Christ. 1402.* Fuerunt & alii in Italia, de quibus videri potest. M. Antonii Sabellici dialogus de reparatione linguæ latinæ. *Item. enn. 10. l. 1. & 3.* In Hispania bonas literas excitavit Ælius Antonius Nebrissensis: qui literarum amore sponte exulans, totius fere Italiæ gymnasia collustravit, græcæ, latinæque linguæ thesauros, quibus terra patria ditaretur collegit. *P. Jovius in ejus elogio.* Arius autem Barbosa, Lusitanus primus Græcas literas in Hispaniam intulit. *Voss. de hist. lat. lib. 3. cap. XI.* Promovit vero & excoluit Joh. Ludovicus Vives, editis præsertim de causis corruptarum artium libris, quibus illos de tradendis disciplinis addidit, qualis autem deinceps ibi fuerit literarum conditio, describere placet verbis Johannis Barclaji, qui Satyrici sui *part. 4. cap. 7.* sic ait: *In Hispania, studia literarum eo cultu non nitent, quem hæc ætas nudis & squalentibus musis reposuit, cum periisse videretur ille eruditionis spiritus, qui omnem scientiarum partem debet implere. Non enim latinæ eloquentiæ studium ibi viget, non venustas Poëtices, non historiæ, priscorumque rituum utilis & robusta lepiditas. Veterem ac pene barbaram in quærendis scientiis rationem obtinent: Philosophiæ incumbunt, Theologiam amant, non spernunt legum & canonum peritiam; sed illas scientias Græca latinaque erudstione mitigari indignantur; putantque hoc modo fucum addi, quo virilium literarum lineamenta elangueant. Vir nuper non ignobilis in literis fama, cum ab iis, quibus obsequium addixerat, jussus esset in Hispania divinarum rerum scientias profiteri, statim hac potioris doctrinæ velut infamia evilnit, admotisque precibus supplex, a suæ libertatis dominis impetravit alias sedes, & suæ humanitatis patientes. Præcipua ad Germaniæ morem ibi eruditionis species, prolixis voluminibus pauca complecti; sed & illa plerumque ex aliis auctoribus, supervacuo labore, decerpta. Et hoc quidem Academiarum malum est. In cæteris urbibus, non adeo frequens est scientiarum commercium (nisi quod in suæ regionis dignitatem, libros patris sermone conscripto amant habere.) Prorsus, ut in militaris nominis ambitum, videantur hanc formam severioris in musas negligentiæ quæsivisse.* Hæc Barclajus. Inter Gallos emicuit Budæus; inter Germanos Johannes Reuchlin, cujus nomen Germanicum in Græcanicum Capnionis mutavit Hermolaus Barbarus, in cujus honorem Erasmus scripsit Ἀποθέωσιν, quæ inter ejus colloquia legitur, cum illi Conradus Pellicanus ultimum suum congressum cum Reuch-

Reuchlino, in thermis Cellensibus prope Hirsaugiam, quo uterque lavandi gratia venerat, narrasset. *Ex vita Pellic.* Philippus Melanchthon. Erasmus Rotterodamus. Inter Anglos Thomas morus. De his aliisque multis consule elogia doctorum virorum a Paulo Jovio decantata, quæ hic omnia nobis describenda essent, si hæc, pro rei & personarum dignitate, tractare nobis esset propositum. Hæc de primis literarum instauratoribus notasse sufficiat, non enim scriptorum catalogum contexere in animo est, & quotidie doctorum virorum labor in his tribus versatur, etiam num enim videmus, aut veteres authores e tenebris erui, aut in alias linguas transferri, aut novos libros de novo exarari.

Sectio III.

HIs autem omnibus aptissime inservit ars illa, nunquam satis laudata, Typographica, cum enim antea libri, magno labore, calamo describendi essent, ad bibliothecas instruendas majori sumptu opus fuit, qui nunc multo tolerabilior evasit. Ars hæc inventa Harlemi in Batavia, a Laurentio Costero, quod extra controversiæ aleam ponimus, deinde in alias regiones propagata est.

Celeberrima est Typographia Aldi Manutii apud Venetos, quæ deinde ad filium Paulum, & nepotem Aldum transiit. Fuit sane Aldus diligentissimus, celebratus ab Erasmo præsertim in proverbio *Festina lente*, & Guicciardino in Harlemi, urbis Bataviæ, descriptione. Bonam spem conceperat de multis authoribus in lucem eruendis, de Livio, de Trogo Pompejo, quem extare dicit apud quendam ex suis amicis *in præfatione ad lectorem, præfixa Pompejo Festo.* Adeo ut literæ renascentes Manutianæ familiæ plurimum debeant. Aldo manutio hoc Epigramma epitaphium scripsit Joachimus Camerarius:

Extinctus nequeo, quamvis sim mortuus, esse
Cum toto nomen vivat in orbe meum.
Hac Aldus jaceo Romanus mole sepultus,
Qua Maria Euganeis Adria miscet aquis.
Multa vigent nostra librorum millia cura,
Quos tineis dederant tempora longa cibum.
Si quis adhuc igitur superest respectus honesti,
Quicquid id est, nostri est omne laboris opus.
Hoc meritum & virtus vere est Romana, Deorum
Præcipuo, studiis, consuluisse bono.

De

De eodem Aldo epigramma Bezæ, Lanſ. conſult. pag. 53.

In Demetrium Cretenſem, & Dionyſium Paraviſinum Græcorum voluminum impreſſores ſic cecinit Politianus:

Qui colis Aonidas, Grajos quoque volve libellos,
Namque illas genuit Græcia non Latium.
En Paraviſinus quanta hos Dionyſius arte
Imprimit, en quanto cernitis ingenio.
Te quoque, Demetri, ponto circumſona Crete,
Tanti operis nobilis edidit artificem.
Turce, quid inſultas? tu Græca volumina perdis,
Hi pariunt: hydra nunc, age, colla ſeca.

Apud Baſilienſes plurimi fuere celebres, imprimis Johannes Frobenius, quem laudat, & cujus mortem deplorat Eraſmus epiſtola ad Johannem Emſtedium Carthuſianum. Eidem hoc epigramma ſcripſit C. Urſinus Velius:

Si Regum laus eſt ingentes condere gazas,
Si bene de paucis promeruiſſe ſat eſt.
Gloria nunc Regum cedat tibi, culte Frobeni,
Majus enim illorum laude merere decus.
Æternas qui promis opes, totumque per orbem
Digeris, ingenio, ſumptibus, arte, manu.

Item Hieronymus Frobenius, Nicolaus Epiſcopius, Henricus Petrus, Johannes Hervagius, Nicolaus Brylingerus.

Alibi, Arnoldus Gymnicus, Wechelus & ejus hæredes, cujus bona omnia proſcripta, ipſe regni limitibus ejectus, reliquis ejus libris, maxima ex parte Proteſtantium, Lutetiæ publice combuſtis. *M. Adam. in vita Zincgref. JCti.* Hieronymus Commelinus, cujus mortem deflet *Joſ. Scaliger epiſt. 405.* quia literæ in ejus interitu magnam jacturam fecerint. Multos bonæ notæ ſcriptores utriusque linguæ paratos habebat, quos propediem in lucem ederet. Magnam vim talium librorum conquiſiverat: non Principum modo ſed & amicorum ſuorum bibliothecas excuſſerat.

In Gallia Carolus Robertus, Henricus & Paulus Stephani.

Roberto Stephano hoc epitaphium ſcripſit Th. Beza.

Τὰς ποτ' ἰουδαίης τε καὶ ἑλλάδος, αὐσονίης τε
(Φεῦ, φεῦ) τὰς μούσας δεῦν ἀπολαυομένας,

vide

vide poëm. Bez. pag. 97.

Ad Henricum Stephanum est hoc epigramma Joh. Posthii, *tom. 5. delit. Poët. Germ:*

Et libros facere, & doctos excudere libros,
Longus uterque labor, durus uterque labor.
Huic gemino invigilat pariter tua cura labori,
Henrice, o mira sedulitate virum!

In belgio Christophorus Plantinus qui officinam habuit & Antwerpiæ, & Lugduni Batavorum, illi successerunt Johannes Moretus, Franciscus Raphelengius, qui linguas orientales in Academia Leidensi professus est, & nostris temporibus Balthasar Mœrentorfius.

Cenotaphium hoc Christophoro Plantino statuit Johannes Posthius, *eodem tomo* delitiarum Poëticarum:

Hoc tibi constituo vacuum, Plantine, sepulchrum,
Ad gelidus Nicri, lene fluentis aquas.
Dulcis amicitiæ monumentum ac pignus amoris,
Quem non ulla unquam tempora dissolvent.
Hoc tua promeruit virtus, doctrina, fidesque,
Integra, & Eois cognita & Hesperiis.
Hoc longa exhausti meruere ætate labores,
In divulgandis Chalcographa arte libris.
Qua de non alius vixit præstantior usquam;
Pace loquor Stephani, pace, Wechele, tua.
Nunc est parta quies capitique, animoque beato,
Qua nitet æterno lumine pura dies.
Ter, quater, o Felix, cui nomen honosque perennis
Contigit, & cœlum patria post obitum.

Plures typographos annotavit Johannes Malincrotius in suo libro de arte typographica, qui legi potest.

Celebrantur & hodie officinæ Johannis Janssonii, Elzeviriorum, & multorum aliorum, quos recensere longum esset, in librorum frontispiciis, tanquam herba parietaria, ubique apparent.

Quomodo typographiæ beneficio patres tum Græci & Latini e tenebris eruti, & publici juris facti sint ostendit *Hotting. biblioth. quadrip. lib. 2. cap. 4. & 5.*

Silentio hic prætereundus non est Petr. Buslerus qui suis impensis anno 1540. Ienæ, in usum Pauli Fagii typographiam instituit, ut,

Hebræorum præcipue variis libris editis, linguæ sanctæ usus omnibus familiarior redderetur: ad hoc opus promovendum, suo sumptu, Judæos quosdam Venetiis Isnam evocavit. Fagius quidem hac ex re nullum quæstum fecit, adeo ut ei ad ecclesiæ Argentoratensis ministerium vocato, mille aureorum summam, quam sibi debeat, Bufflerus liberalissime remiserit, *M. Adam in vita Buffleri JCti.*

Deplorandus detestandus est nobilissimæ hujus artis abusus, quod hodie tot inutilium & noxiorum librorum plaustra excudantur, ut ejus cursus sufflaminandus potius, quam incitandus esse videatur: cum illum scribendi Cacoëthes jam inde a Salomonis tempore, satis multos & tenuerit, & teneat, adeo ut nullus tandem ineptiarum modus inveniri possit, & librorum numerus minuendus sit potius quam augendus. Non dico jam de illis, qui cruda & semicocta sua studia in publicum propellunt, nec ipsi antea recte didicerunt, quæ alios docere volunt, unde sæpissime contingit, ut eorum scripta ætatem ferre nequeant, & parentibus superstitibus filii intereant, quorum exitus est ut deferantur.

In vicum vendentem thus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Quod si paterentur laborum gradus fieri, ut lectione severa mitigarentur, ut sapientiæ præceptis animos componerent, ut verba atroci stylo effoderent, ut, quod vellent imitari, diu audirent, sibi nihil esset magnificum quod pueris placeret, jam illa scripta haberent majestatis suæ pondus. Negabat Cicero si duplicaretur sibi ætas, habiturum se tempus quo legat Lyrico, quibus dialecticos addit Seneca *epist. 49.* Utinam locum haberet gravissimum consilium magni viri Gerardi Johannis Vossii, quod proponit in tractatu de *cognitione sui pag. 31. 32.* quod nisi longiusculum esset, hic inseruissem. Cui simile illud clariss. Hoornbeeckii in dissertatione de controversiis theologicis, quæ summæ controversiarum præfigitur, ubi de librorum censusura agit. *Vid Petrarcham de remed. utriusque fort. lib. 1. dial. 44. & Acontii epist. ad Wolfium. Viu. de trad. discipl. l. 5. circa finem.*

Hi tamen aliquo modo excusabiles videntur (ut eadem opera, hunc qualemcunque nostrum laborem, qui fortasse pluribus etiam inutilis videbitur, & quo resp. literaria facile carere potuisset, excusemus) si nihil pietati, aut bonis moribus contrarium scribentes, proximi commodum ex charitate & zelo, quantum in se est, juvare & promovere conentur. Sed quam multi quotidie libri in lucem prodeunt,

deunt, qui nihil nisi nugas, pietati & bonis moribus contrarias, continent? ad otiosorum hominum oblectationem, & impiarum voluntatum irritamentum, quos etiam emptores suos reperire videmus. Multi emittuntur (quod magis detestandum) qui blasphemias in Deum horrendas, hæreses insanes & intolerandas docentes, Ecclesiæ & Reipublicæ pacem turbant, & salutem evertunt. Multi nihil aliud quam calumnias in proximum continentes, iis, tanquam emblematis ornati, emptoribus se venditant, cum Vulcano potius offerendi essent. Qua de re memorabilis est sententia Sabini, cum enim aliquando ad Chemnitium, bibliothecæ Prutenicæ tunc præfectum, venisset, &, inspectis aliquot libris polemicis, multa in illis conviciorum plaustra invenisset, indignabundus respondit; cum hoc infelici seculo inclarescere omnes cupiant, posse quenquam hoc modo immortalem fieri, si saltem ex tot Polemicis scriptis convitiandi modos & phrases, velut in unum fasciculum, colligeret; unde calumniari ipse nescius, si hunc locum communem tractaturus esset, copiam & variationes ad manum haberet. *Casmerus in vita Chemn.* Itaque medium aliquod excogitandum, quo immensa illa typographorum licentia, pro lubitu quodvis excudentium, recte coërceri posset. Qua de re in Synodo nationali Dordracena Anno 1617. sess. 12. Ecclesiæ querelas suas proposuerunt, & prælectæ sunt præcedentium Synodorum Nationalium constitutiones. Audita itidem super iis Exterorum ac Provincialium Theologorum consilia, quæ etiam scripto comprehensa, sess. 22. legi possunt. Ordines generales Belgii Fœderati non semel, ad tollendos typographiæ abusus, edicta publicarunt. *vide Erasmum in proverbio. Festina lente.* Laudant aliqui Gustavum Adolphum Sueciæ Regem, quod edicto publico omne Metaphysicæ studium, omnes etiam libros Metaphysicos ex regno suo exterminaverit; sed majori laude edicta impios libros vetantia prosequenda esse, nemo negare ausit, qualia fuerunt illa Impp. Valentis & Martiani, *L. Quicunque. Cod. de hæreticis & Manichæis.* Theodosii & Valentiniani *L. Damnato eod. tit.* Nec vero impios libros nevandi & sacrilegii Nestorii &c. Iustiniani *in Synodo Constantin. 5. act. 1. tom. conc. 2. pag. 462.* Constantini ipsius *hist. trip. lib. 2. c. 15.* Adde *Gudelin. de jure noviss. lib. 6. cap. 15.*

Plato Homerum, cum toto lascivorum Poëtarum choro, ex Republ. sua exterminari voluit. Athenienses Diagoram Philosophum pepulerunt, quia scribere ausus fuerat, primum ignorare se an Dii

essent: deinde si sint, quales sint. *Cic. lib. 1. de nat. Deor. Val. Max. lib. 1. cap. 1.* Protagoræ hæc contigisse ait Lactantius de ira Dei, cap. 9. Lacedæmonii libros Archilochi ex civitate sua exportari jusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset. *Val. Max. lib. 6. cap. 3. vide August. Confess. lib. 2. cap. 13. 14. 16. 17. adde Patres qui contra gentilium vanas religiones scripserunt: imprimis Basilium in Homilia ad adolescentes, quomodo ex gentilium doctrinis proficiant. Possevinus biblioth. select. lib. 1. cap. 48. 49. 50.* de librorum correctione, emendatione, purgatione, scriptione eorum qui edendi, qualis esse debeat, item censura fuse agit.

In excessu hic peccat ecclesia Romana, ut infra, cap. 13. latius declarabitur, quæ ad suum tribunal non tantum libros theologica tractantes, sed etiam philologicas quæstiones vocat; in quibus tamen nulla versatur hæresis, nec ulla absoluta necessitas, vel aliter sentiendi. *vid. Casaub. ad Baron. exercit. 14. an. 32. num. 7.* Turpissime hic se prodiderunt Fraterculi in actione contra Laurentium Vallam, *Hotting. hist. eccl. N. T. part. 5. pag. 247. &c.* judicium de rebus non intellectis ferentes. Nec omnibus probatur censura illa, quam Thessaliæ episcopi, in provinciali Synodo, strinxerunt in Heliodorum Triccensem episcopum, non dilutæ auctoritatis scriptorem, ut a Politiano dicitur *Miscel. cap. 3.* Hi enim opus illud Æthiopicum igne consumendum damnarunt, aut episcopum de dignitatis suæ fastigio dejiciendum judicarunt. Hoc posterius maluit Heliodorus, nominis æternitatem, quam eo scripto consecutus est, episcopatus honori præferens. *Niceph. Callist. hist. eccles. lib. 12. cap. 24.*

CAPUT X.

De bibliothecis celebrioribus in Europa.

Hoc capite bibliothecas per Europam recensebimus, sed celebriores tantum. Quid enim attinet omnes congerere? infinitum hoc esset: nec omnes mihi notæ sunt. Vix enim urbs aliqua paulo celebrior, vix aliquod collegium, Academia, Gymnasium, Monasterium, ubi non bibliotheca in publicum studiosorum usum dicata sit. His adde tot bibliothecas privatorum, qui enim studiis operantur, necessaria

hac

hac ſupellectile carere minime poſſunt, quæ pro cujuſque conditione aut major aut minor eſt. Inveniuntur tamen, quæ publicis nec loci ſplendore, nec librorum delectu, nec ſumtuum magnificentia cedant. Plurimas, ordine alphabetico, bibliothecas enumerat *Hottingerus biblioth. quadr. prolegom. cap. 2.* quas hic paſſim inſeruimus. Item *Angelus Roccha, in app. biblioth. Vatic. pag. 385. &c.* Horum & aliorum onerariæ cymbam noſtram alligabimus.

Omnium bibliothecarum tam publicarum quam privatarum, quæ hoc ſeculo uſquam reperiuntur, hiſtoriam contexuit *P. Ludovicus Jacobus Carmelita*, ſed hactenus mihi nondum licuit eſſe tam beato, ut illum vel oculis uſurpare contigerit, quamvis illum ſerio & apud Amſtelodamenſes, & apud Francofurtenſes bibliopolas alioſque amicos inquiri curaverim: quo invento fortaſſe hoc labore ſuperſedere potuiſſem, nunc autem his remis navigandum nobis eſt, ut quimus, quando ut volumus non licet.

Incipiemus autem a bibliothecis

ITALIÆ.

Ut enim hæc olim fuit imperii & literarum ſedes auguſtiſſima, ita, avorum memoria, Barbaries inde primo fugata, literæ vero humaniores, linguæ & bibliothecæ hic inprimis renatæ caput erigere cœperunt, jure igitur primum locum obtinet. Authores, ne, eorum nomina paſſim inſerendo, hiatus fiant, & lectori moleſtia creëtur, hos præcipue ſecuti ſumus: *Merulam Coſmogr. part. 2. Pflaumerii Mercurium Italicum, Middendorpium de acad. orbis Chriſt. Steph. Pighii Herculem Prodicium, Sixti Senenſis bibliothecam, S. Guſſendum in vita Peireskii, Bzovium &c.*

Apud Venetos, in Baſilica D. Marci, extat conſcripta ab ipſo Marco evangelica hiſtoria, quæ Aquilejæ, ubi Marcus chriſtianæ religionis fundamenta jeciſſe dicitur, diu aſſervata, ac demum Venetias translata fuit: Item eadem a Chryſoſtomo aureis literis deſcripta. Venetiis Moneta & Pallas, cæteroquin minime ſociabiles Deæ, cohabitant, diſcretæ tamen locis, alibi moneta cuditur aſſervaturque, alibi bibliotheca viſitur, latinis græciſque voluminibus referta. Beſſarion Card. eam Venetis legaverat, quod eam urbem Græcis, a Barbaris vexatis, propter vicinitatem & navigationem videret eſſe percommodam. Græca ſolum volumina 30000. nummum aureorum emta ſunt. Hujus bibliothecæ inſcriptio legitur apud Sweertium, delic. pag. 142. *Beſſarionis Card. ex leg. ſenatus juſſu, Procuratorum D. Marci cura Philippi Trono,*

Antonii Capillo, *Andrea Leono*, *Victoris Grimano*, *Iohannis a lege Equ. bibliotheca instructa & erecta*: *M. Anto. Trivisano principe*, *ab urbe condita.* M. C. XXXIII. Ante eum Petrarcha suos libros Venetæ reip. donasse dicitur. Bessarionis munificentiam imitati senatus Venetus, Hieronymus Leander & Grimanus Cardinales. Hujus Grimani Aquilejensium Antistitis palatium inter splendidissima urbis Venetæ ædificia deprædicatur, propter eximiam vetustissimarum statuarum, & omnigenæ suppellectilis copiam, quam ipse majoresque ejus, cum ex Italiæ Græciæque diversis locis, tum vel maxime ex Aquileiæ florentissimæ olim Romanorum coloniæ ruinis, collegerunt. Supra ostium legitur: DOMINICUS CARDIN. GRIMANUS ANTONII PRINCIPIS FIL. BIBLIOTHECAM HANC PUBLICÆ POSUIT COMMODITATI. *Spizel.*

Ex Bessarionis bibliotheca, Leo X. Papa Græcos codices depromi mandavit, ad suam augendam. Hic, tanquam thesaurus, servatur liber ille quem Ioh. Baptista Egnatius Comano filio reliquit, in quo multa politica de Venetis ipse imperator disserit. Eustathii Thessalonicensis expositio in totam Odysseam, manu ipsius Eustathii scripta in pergameno, Venetiis in D. Marci bibliotheca servatur. *Bolduan. bibl. philos. & Draud.* Sunt etiam præter hanc aliæ; S. Johannis & Pauli; S. Stephani; Servorum Mariæ; S. Georgii Majoris; S. Dominici; S. Antonii, quæ fuit Pici Mirandulani. Visuntur & privatorum Jacobi Coptareni, Danielis Barbari, Ioannis Delphini, Rochi Contareni, Sebastiani Erici, Ludovici & Marci Antonii Mocenigorum, Hieronymi de Mula, Ludovici Baldi, Aldi Manutii, Pauli Parutæ, Ludovici Gardenici, Francisci de Ponte, Ludovici Michaëlis, Jacobi Marcelli, Ludovici Lolini, Francisci Sorantii, Ludovici Malapetræ, Josephi Zarlini, Augusti Amadæi, Andreæ Lauredani, quam laudat Muretus *lib. 2. epist. 10.* Relationem Iacobi Philippi Thomasini Episcopi Æmoniensis de bibliothecæ Patavinæ extructione talem exhibet Spizelius dissert. prælim. „ad sacra biblioth. Post viridarium publicum nihil magis agitabat „senatorum animos, quam de extruenda Patavii bibliotheca, quod „tandem summis precibus excitante & exhortante Felice Osio Medi„olanensi Artis Orat. PP. librorum avidissimo, promti ingenii viro „clariss. & studiosissimo sancitum est. Adminiculante potissimum & „procurante Dominico Molino, qui tunc Gymnasii Moderator erat. „Senator equidem gravissimus, literarum ocellus vere & Mœcenas „amplissimam jam bibliothecam congesserat, totusque in librorum de„lectationem ferebatur, & in literatorum conversationem. Fruimur

hodie

hodie ejus fratre Francisco serenissimæ reip. Venetæ duce. Ego cum „ Osio mihi amicissimo plura de loco, de pecuniis pro ædificio, pro „ ejus augmentatione, conservatione & delectu amplissimis modera- „ toribus proposui. Quibus fere omnibus communi Patrum consensu „ anno 1629. probatis, bibliotheca pro gymnasii splendore fuit aperta, „ præfecto ipsius Felice Osio. De loco bibliothecæ plurimum dispu- „ tatum fuit: Alii prope gymnasium: Alii in vico S. crucis in palatio „ magnifico Prioli: Alii in scholis ipsis: quidam in palatio nobilium de „ Colaltis æstimabant constituendam. Locus tandem selectus est in „ ædibus Jesuitarum, & quidem in scholis eorundem Patrum. Delitias „ præbebat plurimas loci amœnitas, ædium majestas, conspectus extra „ urbem, & fluentium aquarum suave murmur, cum spatiosis deam- „ bulationibus peristyliorum, & arearum cum hortis, plantis & vineis „ undique consitis. Verum hic Apollinis & Musarum videbatur do- „ micilium. Supra ostium fuit denuo erectum Leonis simulachrum „ cum tali inscriptione. „

BIBLIOTHECA
GYMNASII PATAVINI
SERENIS. REIP. VENETÆ DECR. CIVIUM ET EXTERO-
RUM COMODIS E. SALUTIS ANNO MDCXXXI.
FRANCISCO ERITIO PRINCIP.
PRÆT. VINCENTIO CAPELLO. PRÆF. PETRO SAGR.
GYMNASII III. VIRIS FRANCISCO
MAUROCENO PROC.
HIERONYMO CORNELIO EQ. ET PROC.
DOMINICO MOLINO.

Anno itaque 1630. paratis subselliis bibliothecam Bartholomæi „ Sylvatici JC. celeberrimi, & a consil. reip. Venetæ, a Benedicto Syl- „ vatico equite, Primario Medicinæ Practicæ Prof. dono reip. datam „ hic collocarunt: quo tempore pestis urbem Patavinam vexare cœpe- „ rat, quæ indies fulguris in modum aucta, plebem & cives percutiens, „ clariss. Gymnasii Professores eripuit, inter quos etiam Felix Osius oc- „ cubuit, dum bibliothecæ pluteis conficiendis præesset. Pervertit hæc „ mortalium clades bibliothecæ opus, ejusque, incrementum, extincto- „ que sub ejus primordiis parente, elanguit, clausisque janius viduata, „ diu permansit. Urbe tandem Dei benignitate liberata, placuit illu- „ striss. Aloysio Valaressio Equiti, civitatis præfecto, nunc vero D. Marci „ Procuratori, bibliothecam hinc transferri in cœnaculum præfecti „ am-

„ ampliſſimum quod vulgo, a picturis pulcherrimis Heroum, appella-
„ tum *Il. Salone di Giganti*, paratis novis ſubſelliis & pluteis pro libris
„ collocandis, quorum ſupellex aucta eſt dono Cæſaris Cremonini, qui
„ ſuos libros & mss. huic loco legavit. Huc etiam tranſlati Bartholo-
„ mæi Soveri Profeſſoris Mathematum Celebi libri ſcripti, quibus Pa-
„ trui ſui Pompei Caimi Utinenſis Prof. Medici bibliothecam Jacobus
„ nepos JC. & Prof. publ. addidit. Oſtio hæc inſcriptio oppoſita:

Η ΟΠΛΟΘΗΚΗ ΑΘΗΝΑΣ
EX S.C. AD ÆDEM D. MAR. MAGDAL.
PRIMUM
POSITA { FRANC. MAUROCEN. D. M. P. / HIERON. CORNELIO EQ. / ET D. M. P. / ET DOMINICO MOLINO } R. L. III. VIRIS.
VINCENTIO CAPELLO PRÆT.
ET. PETRO SAGREDO P. V.
UT IN HANC BASILICAM REDIGERETUR,
SUCCESSIT ALOYSIUS VALARESSUS
EQ. P. V.
FRANCISCO MAUROCENO D. M. P.
HIERON. CORNEL. EQ. ET D. M. P.
ET PETRUS FOSCARENUS
AUCTORES FACTI
M DC XXXII. KAL. OCTOB.
FRANCISCO PISANO PRÆTORE
ALOYSIO VALARESS. EQ. P. V.
SENATUS VENETUS
MUSIS EUGANEIS
ANNO DOM. M DC XXXII. FRANCISCO
ERICIO DUCE.

Præterea eſt *apud Patavinos* bibliotheca ad S. Antonium clarorum virorum imaginibus exornata: ad D. Johannem in viridario, ubi Sixtus Senenſis vidit exemplar epiſtolæ Pauli ad Laodicenſes, eamque deſcripſit. Inſignis eſt codd. mss. ex teſtamento Petri de Montagnata, Baptiſtæ de Lignamine, Joh. Marchanovæ, Hieron. de Montagnone, Galatiæ de Capitibus, Liſtæ, & aliorum. Ad S. Juſtinam, quæ à Placido Pavanello legata, eam poſtea diverſis JCtorum ſcriptis

auxit

auxit Jacobus de Zocchis, additis in chori substructionem ex testamento mille ducatis aureis. D. Mariæ Prateolæ octavo ab urbe Lapide. S. Augustini, quæ præter numerosos auctores editos, paucos mss. habet. Johannes Vincentius Pinellus origine Genuensis, Patria Neapolitanus Patavii instructissimam habuit bibliothecam per 40. annos collectam. Hanc, post ejus obitum, Venetiis devehendam curaverunt amici, ut inde mari Neapolin, impendio minori, appelleret, placuitque in tria navigia capsas conjici. Navium una, cum 33. capsarum sarcina, in Turcas piratas incidit, qui, prædæ inhiantes, cum libros invenissent, gaudio in iram verso, inutiles sibi merces in mare projecerunt, superstite relicta parte perexigua, quæ in Ambrosiana bibliotheca, Frederici Borromæi liberalitate, Mediolani nunc conquiescit. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.*

Patavii quoque juxta templum Francisc. bibliotheca in cœnobio F. F. conventualium Minoris observ. Item S. Ursulæ perexigua extra portam qua Venetias itur. Patrum ord. Eremit. cujus melior pars abalienata, reliqua tineis corrosa. D. Mariæ montis Ortoni septimo ab urbe lapide. Denique clericorum regularium, Theatinorum.

Patavio Ferrariam proficiscentibus occurrit *Arquada* pagus, Petrarchæ studiis illustratus, in templi foribus, ejus sepulchrum visitur, in editiore vici parte ejus ædes & bibliotheca cum impolitis quibusdam sedilibus, cumque murilegæ ossibus ita compactis, ut spirare videantur.

Apud Ferrarienses bibliotheca est magna veterum MSS. librorum copia, & rarissimis antiquitatum reliquiis, statuis scilicet marmoreis, signis, tabulis, sigillis æreis ac marmoreis, nummis aureis, argenteis, æneis, magna ex parte a Pyrrho Ligorio architecto ingeniosissimo collectis. Spectatur in ea monumentum Cœlii Calcagnini, his ascriptis verbis:

INGREDIENTIBUS.

Cœlius Calcagninus, Apost. S. Protonot. vivus sibi posuit. Hoc scilicet deerat temeritati humanæ, ut eorum curam susciperet, quæ neque vivis, neque mortuis essent profutura.

EXEUNTIBUS.

Cum Cœlius Calcagninus nihil magis optaverit quam de omnibus, pro fortunæ casu, optime mereri, decedens bibliothecam, in qua multo maximam ætatis partem egit, in suorum civium gratiam, publicavit, & in ea se condi mandavit. Tu, quisquis es, rogo, ut hominis B. M. Manibus Deum propicium

preceris. Ex diuturno studio imprimis hoc didicit : MORTALIA CONTEMNERE : & IGNORANTIAM SUAM NON IGNORARE. *Apud Chytræum & Swvertium in deliciis.*

Bononiæ in monasterio S. Michaëlis in sylva est bibliotheca librorum & tabularum omnis generis plena. Ibidem ad templum S. Salvatoris bibliotheca MSS. codicum referta, quam descripsit Angelus Roccha in libro de bibliothecis extantibus. Item in cœnobio prædicatorum ad S. Dominicum, major, non melior, in exteriore pulpita 66. in interiore pulpita 32. *Schott. itin. p.304.* ubi servantur, plurimi libri JCtorum, & pandectarum exemplaria, quibus usus est Georgius Haloander Zuicaviensis. Hic quoque summa veneratione asservatur Pentateuchus Ezræ, unica & oblonga membrana, ipsius, ut Hebræi credunt, Ezræ manu conscriptus, absque ullis vocalibus, punctis. Alii non Ezram ipsum, sed Esoram, Cyro regnante, id opus descripsisse dicunt. De hoc Ezræ autographo sequentia, ex Francisci Tissardi Gram. Hebr. anno 1508. Parisiis impressa, describit Hottingerus, *thes. philol. pag. 512. 513. 515.* „Biblia ipsius Ezræ calamo, pulcherrimo charactere conscripta, Bononiæ, in sacrario ædis D. Dominici, tam honorifice ferme, ac ejusdem Dominici pretiosum caput reconditur. „Quod quidem sæpenumero vidi, nam mihi nonnunquam committebatur, neque id tamen cum parva solennitate. Quoque sæpius videbam, eo magis admirabar. Enim vero viri sanctitatem, religionem, excellentiam contemplabar, ejus Prophetias ceu vatis venerabar. Scripturam tam elegantem, tam insignem, ac immaculatam laudabam, nulla nec tinea, nec labe vitiatam. Quid mundius dicam? Quid incorruptius? quid denique perfectius? Incudem profecto novissime diceres exire, quam ex tot annis ab eo veluti futura intuente, eaque singula depingente adjectis punctis conscripta. Quod longe profecto a D. Thomæ scriptis alienum est censendum. Cujus, quanquam is fidei sit columna, libelli tamen aliqui, proprio calamo scripti (quos in æde D. Francisci, Bergomi magnifice repositos, authoritate Antistitum vidi) sunt vetustate fere aut papyri fragilitate corrosi, & difficultate scripturæ haud lectu faciles, cum teredinosam ob antiquitatem, tum neque literas veluti oblitas ducebat, neque ex debito eas modo, debitave ratione effigiabat. Sed quod hominum fidem atque memoriam superabat, ea Ezra non vitulinis in pellibus scripsit, sed corio (cujusmodi cothurnos hac tempestate rosaceos cerdones efficiunt) in voluminis modum obtorto, involutoque,

fer-

ſervaturque ſicuti Theſaurus divarum reliquiarum religioſe, ad re-„ fellendos Hebræorum errores &c. Sed codicem hunc non eſſe ipſius „ Ezræ αὐτόγραφον, neque illum uſpiam hodie apparere, aut, a devaſtatione templi ſecundi, in cujusquam manibus fuiſſe, Hottingerus *lib. cit. pag. 117.* his rationibus probat: 1. quia antiqui Judæi in ſcriptis ſuis ejus non meminerunt. 2. quia loca publica, in quibus ejuſmodi κειμήλια erant aſſervata, aliquoties diruta, & ſolo æquata. 3. quia Patres Syri, Ægyptii, & Palæſtini illius admiratione ducti, vel ipſi eum oculis uſurpaſſent, vel ab aliis uſurpatum commendaſſent. 4. quia ipſi illi, qui mentionem hujus codicis injiciunt, falſis, ineptis, & inſulſis laciniis, anachroniſmis, & fabulis fidem ſuam ſuſpectam reddunt; quod allato exemplo ibidem Hottingerus demonſtrat.

In hac bibliotheca hæc carmina leguntur:

Dicta fui Bologna prius: nunc Julia dicor
Bibliotheca, ſacris ædibus hic poſita.
Maximus huc veniens paſtorum, Maximus ille
Julius, hoc nomen præbuit ipſe mihi.

Neapoli eſt bibliotheca D. Dominici, in qua libri non pauci Johannis Pontani, ab Eugenia filia, in patris memoriam, ibi dicati, ſervantur. Præterea ad S. Catharinam Carmelitarum, ad S. Mariam, ad S. Petrum Martyrem, ad S. Mariam Oliveti, ad S. Johannis Carbonarii, ubi integra adhuc Cardinalis Seripandi bibliotheca eſt. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.* Eſt & *Bergomi* in cœnobio Dominicanorum, quam Alexander Martinengus Malpagæ dynaſta inſtituit. Adde *Parmenſem*, & *Taurinenſem*. Middend. de Acad. lib. 4.

In Parmenſi leguntur hæ inſcriptiones:

INGREDERE MUSIS SACER, NAM ET HIC
DII HABITANT.
Item
NULLUS AMICUS MAGIS LIBET,
QUAM LIBER.

N. Chytræus & Svveertius in ſuis deliciis.

Apud Mediolanum bibliotheca Ambroſiana, quam fundavit Archiepiſcopus & Card. Carolus Borromæus; auxit defuncti Caroli nepos Fredericus Borromæus, quem hoc nomine laudat Erycius Puteanus orat. 5. quæ eſt de uſu fructuque librorum. Ibidem apud prædicatores bibliotheca celeberrimis Italiæ non cedit *Middend. lib. 4.* In ea ſequentes

tes libri, instar Thesauri custodiuntur. Virgilii opera in folio cum notis Franc. Petrarchæ. Rufini MS. in folio, continet Flavii Josephi opera, editum & scriptum in cortice arborum, anno 400. Liber quidam in folio, in quo duæ diversæ epistolæ, a Sultano Baizet Chan Turcarum imp. Alexandro Papæ missæ, continentur. Liber alius in folio, Leonhardi Voncii figuras mathematicas continens, qui in singulari area servatur. *Hotting. ibid.*

Bibliotheca Ducis Mantuani, præter alia servat etiam tabulam æneam, hieroglyphicis Ægyptiis insignem, ex Petri Bembi Cardinalis reliquiis.

Florentiæ est insignis illa Medicea, de qua capite superiori, sect. 1. diximus. In sacello Palatii Magni Ducis Evangelium D. Johannis, ab ipso scriptum, servari dicitur. Nisi sit D. Lucæ, ut narrat *Stunica Itiner. pag. 156.* Est ibidem bibliotheca D. Laurentii, quam dedit Clemens VII. Papa ex Mediceorum familia, literarum amantissima, MSS. Hebraicis, Græcis, Latinis codicibus instructissima, ita ornata, ut libri non soli spectari mereantur, & illiteratorum etiam oculi jucundis spectaculis pascantur. In hac legitur hoc epigramma: *Deo, Præsidib. Familiæ, Divus Clemens VII. Medices, P. M. libris opt. studio Major. & suo undique conquisitis, bibliothecam ad ornamentum patriæ civiumque suorum utilitatem d. d.*

Hanc bibliothecam Cos. Med. Tuscorum magnus Dux perficiendam curavit. anno Dn. M D LXXI. III. Id. Jul. N. Chytræus & Svveertius in suis deliciis.

Item, ad templum D. Marci, quo Cosmus Florentinorum Dux a fundamentis excitavit, est cœnobium prædicatorum templo adjunctum, ubi bibliotheca Græca & Latina, prior 63. altera 14. pulpitorum, a Cosmo, vel a Laurentio Mediceo, ut aliis placet, adjuvante Nicolao Nicolo Patritio Florentino, exstructa. Præterea, S. Benedicti, pulpit. 30. S. Crucis, pulpit: 50. In domo Episcopi pulpit: 44. Mariæ Novellæ, pulpit: 45. Homeri Ilias manu Theodori Gazæ scripta, glossis etiam adjectis, servatur Florentiæ. *Bolduan. biblioth. Philos. & Draud.*

Lucensis bibliotheca, apud Franciscanos, qualiscunque. *Schott. itiner. pag. 288.*

Farnesiana auctoribus Græcis abundans. *Hotting. pag. 17.*

Papiensis sive Ticinensis, extructa a Johanne Galeatio Vicecomite, qui cujuscunque scientiæ doctoribus annua salaria constituit. obiit anno 1402. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.* A Ludovico XII. anno 1500. in Galliam translata. *vid. infr. bibliothecas Galliæ.*

Pisana Academia Aldus Manutius octoginta millium librorum bibli-

bibliothecam testamento legavit. *Middend. lib. 4.* Apud Dominicanos bibliotheca est 32. pulpitorum, & horologium sonans hymnum quendam. *Schott. itiner. pag. 283.*

Collegium Fesulanum, quod in antiquæ Fesularum urbis ruinis exstructum, unum a Florentia lapidem distat, insignem bibliothecam habet, beneficio Mediceorum. In eo triennium vixit Petrus Martyr Theologus. In ea familia laudabilis mos fuit, ut adolescentes, qui memoria valerent, assuefierent, quo quam plurima ex S. literis memoriæ mandarent; itaque alii integras Pauli epistolas, alii librum Proverbiorum Salomonis, nonnulli historiam Tobiæ, aut aliquem alium memoriter recitabant.

Senis cella est, æneis reticulatis foribus munita; quondam bibliotheca fuit, in qua Æneæ Sylvii Senensis, postea Pii II. Papæ, res gestæ conspiciuntur, singulari elegantia depictæ, subscriptis elogiis, quæ exhibentur a Nath. Chytræo in delitiis itinerum pag. 210. 211.

In Monasterio montis Olivetani, in itinere Sena Romam, bibliotheca est in summa ædium parte, columnata, illustrataque coloribus, in qua Sphæra cœlestis est eximiæ magnitudinis, & ad oras ædificii porticus, e quibus prospicere licet, & auræ flatu suavissimo frui. In ea hæc inscriptio legitur: *Piis ad Dei cultum studiis, ne vel hora frustra teratur. Chytr. delic. pag. 89.*

Genuæ, & prædicatores & minoritæ bibliothecas habent: est & alia quæ Saulia dicitur.

Roma ipsa, terrarum gentiumque Dea, præter antiquas illas, de quibus *cap. 6.* posterioribus temporibus plurimas habuit. *In Palatio Farnesiorum*, *in templo B. Mariæ*, *in Ara cæli: S. Mariæ supra Minervam: S. Augustini*; *Dominici Grymani* bibliothecam Romæ vidit, quam & celebrat Erasmus *lib. 25.* epist. ad Augustinum Eugubinum. *Lateranensis* sic dicta a Laterano, quod Pontifices, per annos fere 1000. incoluerunt. Translata postea fuit Avenionem, ibique per annos ferme 120. retenta. Sublato vero schismate, Romam rediit, & in Vaticano collocata fuit. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2. Collegii Canonicorum*; *Cardinalis Sirleti*, quæ postea, 20000. aureis æstimata, Cardinali Columnæ cessit. *ibid.* &c. Verùm, sicut Luna inter ignes minores, micat *Vaticana* triplex, 1. Patens diebus profestis per duas horas, 2. secretior. 3. clausa, selectorum librorum, quæ a Sacerdotibus D. Petri concinnata, postea, sive negligentia hominum, sive fraude exhausta, prope jam & exinanita est. Ipse Muretus totum pene biennium eam magnis conatibus

ingredi frustra tentavit: tandem admissus inspexit volumen quoddam perantiquum Philippicarum M. Tullii, ante 700. annos exaratum; cum literarum conformatio, & ὀρθογραφία eadem plane sit, quæ in Pandectis Florentinis, in Terentio Bembi, & Epistolis Ciceronis, quas P. Victorius vulgavit, *Muret. lib. 2. ep. 18.* ad Adrian. Turnebum. De Vaticanæ Fundatoribus capite superiori dictum. In ea pretiosissimi ac vetustissimi codices a reliquo grege separati, ligneis armariis clausi asservantur. Bini sunt Virgilii, in membranis, amplius mille ante annos scripti, ejusdem vetustatis Terentius, qui, uti memorant, Alexandro Severo imperante, conscriptus, a Petro Bembo possessus, denique inter cæteros Fulvii Ursini libros huic bibliothecæ accessit. Monstrantur item Acta Apostolorum Græce aureis literis descripta, a Cypri Regina Innocentio VII. donata; auro tunc & gemmis fulgebat liber, sed a Borbonianis militibus sedulo nudatus est. Biblia Græca vetustissima in membranis exarata. Petrarchæ epigrammata ipsiusmet manu scripta. In quodam sermonum libro duobus locis monstrantur aliquot versus, quos Thomas Aquinas adscripsit. Item ejusdem Thomæ opera in linguam Græcam transfusa per Demetrium Cydonium Thessalonicensem; & præclara alia. Plurimum vero detrimenti cepit a militibus Hispanis & Germanis, qui, Duce Carolo Borbonio, Anno 1527. auspiciis Caroli V. Imp. urbem ceperunt & miserrime devastarunt. Cum in itinere adhuc esset exercitus, ipse Dux, juxta vexillum, laqueum deferendum curavit, in quem Pontificem se induere velle apud militem jactabat. Is erat Clemens VIII. *hist. conc. Trid. lib. 1.* A posterioribus vero Pontificibus, & Cardinalibus diligenter restituta est, præsertim a Pio IV. qui officinam, libris SS. Patrum recte imprimendis instituit; accito Paulo Manutio Aldi filio, viro tum in ea facultate, tum in omnibus fere bonis artibus claro, qui typographiæ præesset. Bibliothecam hanc peculiari volumine descripsit Angelus Roccha. Luculenter etiam Cicarella in vita Sixti V. & Meteranus *hist. belg. lib. 13.* Mutius Pansa, editus Romæ 1591. Bolduan. p. 646. Maximum autem, accessione bibliothecæ Heidelbergensis, quæ cum Vaticana non tam certare, quam eam superare dicebatur, incrementum cepit. Baronius *ad annum 604. num. 50.* illam sagenæ, bonos & malos pisces congreganti, comparat. De novæ bibliothecæ Pontificiæ extructione ex Anonymo quodam Italo, qui Archigymnasium Romanum ab Alexandro VII. Papa perfectum & consecratum descripsit, hæc habet Spizelius, dissert. prælim. ad sacr. bibli-

bli-

blioth. Quoniam mortua ſine libris, in quibus loquuntur mortui, „
ſtudia literarum ſunt, ſtatuit Alexander bibliothecam inſignem in- „
ſtituere, quæ cum operis magnificentia oculos alliceret, tum mul- „
titudine & varietate voluminum mentis citra faſtidium erudiret: ad- „
jecto inſigni Iconum, tabularum, ſignorumque ornatu, quo legen- „
tium animi, intermiſſo ſtudio, honeſte oblectarentur, & refricata „
eorum quæ intuebantur memoria, ad diſcendum ſtimularentur: ut „
externa quæ patent oculis placerent, & quæ latent per oculos faci- „
lius in animos intrarent. Hanc voluit publici juris facere, ut ve- „
re Romana eſſet. Quamvis enim claves apud Miniſtros Sapientiæ „
futuræ ſint, cuſtodiæ id & curæ domeſticæ dandum; cæterum ne- „
mini claudenda, omnibus aperta & pervia futura erat, tum indigenis „
tum peregrinis, quos invitare volebat ad habitandum in libris, quos „
otio torpere, & ſitu & pulvere horreſcere nollet; ac ut laxum eſſet „
hoſpitium, ampliſſimam juſſit fabricari, ſinu capaciſſimo, ut litera- „
tum uterum ferret, fœcunditatis librorum argumento: quorum in- „
gens eſſet vis, at non incondita, nec confuſa, ſed per pluteos certis „
intervallis ordinatim diſpoſitos diſtributa, ut ſinguli ſuos in thecis „
quos ligneæ faſciolæ interſtinguerent loculos, juxta facultatum, ad „
quæ attinerent genera, occuparent. Apertis feneſtris, aliis in circum „
ad uberiorem lucis uſuram projectis, aliis in viam, aliis in pergu- „
lam areæ imminentem obſcurioribus verſis. Tota ſic ædificata & „
inſtructa, ut cum ſtructura ornatus certaret. Hanc Alexander con- „
dere voluit adoleſcentibus illicium, ſenibus ſubſidium, otioſis ſpe- „
ctaculum, occupatis diverticulum, ſtudioſis negotium, ſibi glorio- „
ſum monumentum. Quare in fronte bibliothecæ ſtatua Alexan- „
dri marmorea bicubitalis affabre facta a magni nominis ſculptore „
Dominico Guidi, excelſo in ſolio collocata, Pontificali eximio ha- „
bitu eleganter expreſſo: ſolida, ſed tribus per intervalla coronis di- „
ſtincta, Tiara inſignis, lemniſcis hinc inde pendentibus, ad Maje- „
ſtatis auguſtæ ſpecimen compoſita viſitur, læva librum apte in lo- „
co præ ſe ferente, dextera ad benedictionem porrecta, quaſi acce- „
dentibus fauſtitatem impertiat, & ad ſocietatem ſtudiorum invitet. „
Adeo ut ambiguos ſpectatores reddat, utra magis alteram deceat, „
aula effigiem, an effigies aulam? niſi quod hæc, animæ inſtar, vi- „
tam bibliothecæ videtur præbere. Hanc ex voto, beneficii litera- „
rii cauſa concepto, illuſtriſſimi Domini Advocati ſacri Conſiſtorii, „
curante imprimis Rectore Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Carolo Im- „

„manuele Vizzanio, eruditi ingenii, grati animi, ac celsæ indolis vi-„ro, recens fabricari, eoque loco erigi imperarunt, addita hujus-„modi, servatis idoneis inter lineas spatiis, inscriptione:

ALEXANDRO VII.
PONTIFICI MAXIMO
QUOD POST URBEM a PESTILENTIA
VINDICATAM,
ET AD SUMMAM ELEGANTIAM,
NITOREMQUE MULTIPLICI OPERE
PERDUCTAM
POST EMENDATOS POPULI MORES
ET CLERI DISCIPLINAM DIVINUMQUE CULTUM
SANCTIUS ORDINATUM,
ALIAQUE QUAM PLURIMA LIBERALITER POSITA
ET SALUBRITER
INSTITUTA
NE QUID
VEL AD CIVIUM COMMODITATEM VEL AD
AMPLITUDINEM URBIS
DEESSET
LIBERALIBUS DISCIPLINIS
ET BONIS ARTIBUS PUBLICE ALENDIS
EXCOLENDISQUE
GYMNASII ÆDIFICATIONEM ABSOL-
VERIT

BIBLIOTHECAM

INSTITUERIT, INSTRUXERIT, DICARIT,
SACRI CONSISTORII ADVOCATI
P. P.
ANNO M. DC. LX.

Antonius Urceus Codrus, Grammaticus Forolivii, in penetralibus palatii, cubiculum adeo tenebricosum sortitus erat, ut vel de die indigeret lucernæ lumine; in sublimiori atque oculatiori Musei sui parte, hoc epigramma cœlaverat: *Studia lucernam olentia bene olent*; hanc cum per imprudentiam inextinctam reliquisset, negotiorum gratia in forum egressus, ignis libros omnes hausit, quos inter etiam fuit, quem *Pastoris* titulo ipse composuerat. *Spizel. lib. cit.*

Ex

Ex Italia proximus trajectus est in SICILIAM, quæ egregiam bibliothecam habuit, cui tempore Ruperti Regis, præfuit Paulus Perusius, Philosophus & JCtus. *vid. cap. super. sect. 1.* Deinceps & hæc instructissima fuit, & aliæ procul dubio multæ accesserunt. *Middend. de Acad. orbis Christ. lib. 1.* qualis *abbatis Caëtani* MSS. codicibus instructa. *Gassend. in vita Peireskii.* Item *Messanæ*, in Archimandritatu, ubi etiam MSS. codices Græci, quorum catalogum exhibet Possevinus in appendice apparatus sacri.

Cum Johannes Argyropilus Byzantius (ut *cap. 9.* diximus) Romæ Capnionem, hominem Germanum, qui etiam bibliothecam suam Hebræorum Græcorumque voluminum scholæ patriæ Pforzensi testamento legavit. *Merck. in voce Pfortzheimium.* Græce legentem & intelligentem audiret, miratus exclamavit: Græcia nostro exilio transvolavit Alpes. Videamus ergo quas sedes sibi, & libris suis elegerint Musæ in

GERMANIA Superiori:

Occurrit imprimis bibliotheca *Heidelbergensis Palatina.* Rudolphus Agricola, Episcopo Wormatiensi Dalburgio Cancellario Palatino, ejus condendæ auctor fuit, & in eam contrahendi, quicquid meliorum authorum in Palatinatu, Germania & Italia haberi potuit. Episcopus tam salutari consilio obsecutus, bibliothecam, in usum sui Episcopatus N. comparavit, translatis eò libris monasterii N. quo quidem vix aliud, in tota Germania, bonis authoribus fuit instructius, aliis bonis libris adjectis. Addidit quicquid suppellectilis librariæ ipse habebat, in qua erat Quintilianus, propria sua manu descriptus. Hunc & alios illius bibliothecæ libros sua manu, in collegio sapientiæ exceperat Henricus Altingius, atque ex communi illo incendio Bavarico eripuisset, nisi suis reculis timuisset, & ne plagiarius haberetur, si antiquus liber in ejus suppellectile reperiretur, veritus fuisset. Elector Palatinus idem consilium secutus, similiter & locum bibliothecæ destinavit, & omnis generis bonos authores, etiam ex Italia, coëmi curavit, quæ bibliotheca, ab his principiis, in eam amplitudinem & celebritatem ita succrevit, ut instructior & major non haberetur *ex historia Palatina MSC. Altingii, Hottinger hist. eccl. N. T. part. 4. pag. 43.* Jos. Scaliger, *epist. 434.* eam, ut locupletiorem, & meliorum librorum quam Vaticana, celebrat. *epist. 432.* sic scribit: *In indice bibliothecæ Vaticanæ nihil prorsus reperi, nisi vulgaria omnia, præter tres aut quatuor Mathematicos, quos in bibliotheca vestra* (Heidelbergensi) *& Regia extare scio.*

Reliqua ejusmodi sunt, ut te ignorare ea præstet, quam unius horæ jacturam in illis legendis facere. Præcipuum hujus ornamentum, inter reliqua mss. Hebræa, Græca, Latina, fuit codex Hebræorum bibliorum, in charta pergamena: majestate literarum, vetustate scripturæ, ac forma operis plane venerabilis. Judæi quidam, cum, Frederico III. Electore, ad eum inspiciendum admitterentur, ceu cœlitus delapsum suspexerunt, procidentes deosculati sunt, & tantum non adorarunt: polliciti ingentem auri vim, si usibus synagogæ suæ concederetur. Illo usi sunt in sua versione Junius & Tremellius. Anterioribus aliquot foliis mutilum exemplar, &c. *Hotting. biblioth. quadrip. p. 178. 179. Junius in notis ad 2. Chron. 26. 5. & 35. 3.* Anno 1622. huic bibliothecæ, ut & Palatinatui, imo toti Germaniæ fatalis fuit: Heidelberga enim a Bavaris capta, a Duce Bavariæ Pontifici Romano donata, & Romam translata est, hodieque in Vaticana servatur. Ultra centum muli, MSS. tantum codicibus onusti, quasi triumphali pompa, per totam Germaniam, & Italiam, Romam usque, pensiles tabellas, literis uncialibus, hæc verba inscriptas præferebant: *Sum de bibliotheca, quam Heidelberga capta spolium fecit, & P. M. Gregorio XV. trophæum misit Maximilianus utriusque Bavariæ Dux, S. R. Imperii Elector. Merula continuator ad annum 1622.* Ad eam cum cura transvehendam missus est Leo Allatius. Pauci codices impressi Heidelbergæ relicti sunt, Ottonis nomine notati; ex MSS. Arabicis duo in Reformatorum manibus supersunt *Elmacini* historia Saracenica, & *Gizalius* medicus. Habet tamen Academia bibliothecam jam non contemnendam, ex Pareana, Freheriana, veteri item instauratam; habet adhuc MSS. quædam Latina. Liberalitate serenissimi Electoris indies augetur. *Hotting. biblioth. quadrip. pag. 23.* Ex hac Heidelbergensi πανολεθρία, mirifice servatus est thesaurus ille explicationum catecheticarum Ursino-Pareanarum, qui, inter alia monumenta Parei, curiose in theca asservatus, a milite Croata rapitur, & in publicum vicum disjicitur, sed illum postridie repertum Petrus Scrodbergius Dantiscanus S. Theol. studiosus, agnoscens inibi manum Pareanam, ultro Philippo Pareo Davidis filio restituit, quo nomine non solum de manibus Ursini & Parei, sed etiam de universa ecclesia bene meritus est. *Phil. Pareus in narratione de vita, obitu & scriptis Parentis sui.*

Præter hanc *in Collegio sapientiæ* Heidelbergæ, ab Othone Henrico Palatino bibliotheca instituta est, qui illi augendæ & ornandæ per Nicolaum Cisnerum, aliosque idoneos homines, ex Gallia & Italia

varios

varios authores MSS. & raros, eos præsertim qui ad veræ religionis demonstrationem conferre possent, inquiri jussit: quibus evolvendis ipsius semet oblectabat, & liberalibus studiis, Mathematicis & Astronomicis imprimis, animum recreabat; sua manu sciοterica quandoque delineans, quorum unum horizontale cum dodecatomoriis argenteæ laminæ incisum, a multis sæpe cum admiratione spectatum est. *Q. Renterus in Jubil. colleg. sap. Heidelb.* Extabat in hac bibliotheca Reinhardi Fabri, de Laudenburg ordinis Eremitarum S. Augustini, commentarius in Apocalypsin S. Johannis, duobus tomis mss. anno 1490. cujus mentionem quoque facit Pareus suo in Apocalypsin procemio, cap. 4. bibliothecam in urbe Bipontina, universali illa belli Bohemo-Germanici flamma vastatam deplorant Gilenius, *Germ. Reform. deform. Rect.* §. 178. Et Lorchius, qui ruinam Palatinatus Bipontini carmine descripsit, his versibus:

Tecta Ducis spoliant, tabularia, bibliothecam,
Omnia perlustrant, atque hinc spolia ampla Mosellæ
Ad littus vertunt, reliquum sibi inutile perdunt.
Substernuntur equis magnorum scripta virorum.

Eadem deinceps a cineribus rursus excitata, funesto bello Gallico, Anno 1677. si Mercurio Batavo fides, a Gallis oppidum diruentibus, Metim translata, & a Rege Ludovico XIV. Renessensi Episcopo donata. *Augustana in Vindelicis*, in schola D. Annæ, in qua, præter impressos libros bona copia asservatur mss. antiquissimorum in utraque lingua. Græcorum manuscriptorum, quibus abundat, indicem edidit David Hoeschelius. *Schott. itiner. pag. 93.* Senatus enim Augustanus, anno 1573. Xysto Betulejo negotium dedit, ut conquisitis undique, ex monachorum pluteis, melioribus codicibus, novam bibliothecam construeret, ad cujus incrementum senatus singulis annis 50. Florenos decrevit. Circa annum vero 1545. curaverat idem senatus codices mss. plures vetustissimorum autorum ab Antonio Eparcho Corcyræo episcopo Venetiis 800. ducatis emi, teste Wolfg. Welsero, apud Bernegg. diatr. 6. in Jul. Cæs. Sueton. cap. 43. num. 1. *vid. Spizel. dissert. prælim. ad sacr. biblioth.*

Augustanam bibliothecam his encomiis ornavit Wolfius, quæ operi suo Demosthenico præfixit:

De Augustanæ bibliothecæ ædificio ἐπιγράμμα, Anno M.D.LXIII. Hieronymo Hosio, & Carolo Peitingero ædilibus, absoluto:

Turba quid has septem miraris rustica turres?
Unius & tecti cur tibi summa placet?
Roma suos septem colles, miracula septem
Mundus habet, totidem sidera laxa polus:
Artes ingenua septem: septem hostia Nili:
Septemplex clypeus de Telamone sati.
Ingemit Æneas; o terque quaterque beati,
Qui mala vicerunt non reditura necis.
Si tibi plura placent septena, recollige. Nobis
Ἑπτάδας ἑπτάκις has exposuisse lubet.
Quod si non spatiumque loci, brevitasque negasset,
Cum Phœbo Charites, Pieridesque suas
Hic habeant turres. Nunc interiore locata
Sede, latent tecti culmine septifido.
Adde gradus altos; dupla Pythagorea τετρακτὺς,
Ὀγδοὰς est gemino firma futura cubo.
Numine propicio fundamina jacta manebunt,
Deliciaque bona posteritatis erunt.

BIBLIOTHECA HOSPITIBUS.

Hospes in humanum rapiendi projice morem;
Quod tibi non fieri vis, prior ipse cave.
Omnibus aspectus datur. At male fida rapina
Res est hostilis plena latrocinii.

Aliud.

Paulatim quoque Roma, suis progressibus usa,
Crevit, id exemplum bibliotheca sequor.

Aliud.

Si non ad stomachum diversa volumina, lector,
Forte tuum faciunt, aspera verba cave.
Quod tibi non sapit, hoc aliis sapit: una palati
Omnibus haud quadrat norma severa tui.
Scriba, Dei regnum subiens, e divite gaza
Tam nova depromit, quam vetera illa tenet.
Sunt quos musta juvent, quos interiore phalerna
Promta nota: multis utraque vina placent.
Dulcius est mustum, vetus esse salubrius audis,
Sæpe vetusta nocent, sæpe novella probes.

Delige conveniens stomacho magis atque palato,
Sed ne deliciis decipiare, cave.
Nec liber est adeo malus, ut prodesse recuset,
Dummodo judicio candidiore legas.

Inscriptio bibliothecæ Augustanæ.

BIBLIOTHECAM HANC S.P.Q. AUGUSTANUS BONARUM ARTIUM STUDIIS, ET DOCTORUM HOMINUM USUI EXTRUXIT. ANNO. M. D. LXXII.

In cœnobio *S. Urbani* in Argovia, fundato, juxta Hospinianum, anno 1194. a Leone & Wernhero baronibus de Langenstein, magnificis impensis bibliothecam instituit Sebastianus Sema abbas, laudatus propterea a Conr. Lycosthene in præfatione compendii, in quod redegit Gesneri elenchum omnium scriptorum.

Argentinensis, collecta primum ab Othone Episcopo, ex illustri Franconiæ comitum familia. *Geilerus* quoque, ejus urbis theologus, bibliothecam suam Poëtis, Historicis, aliisque, maxime vero Theologis refertissimam ad posteros transire voluit. *M. Adam. in ejus vita.*

Henricus Litzius scripsit σκιαγραφίαν ἐσχηματισμένην, sive tabulam exactissimam titulorum *bibliotheca* illustris *Anhaldinæ.*

Extat catalogus Græcorum MSS. codicum in inclyta *utriusque Bavariæ bibliotheca*: ut & Christophori Feri catalogus omnium librorum bibliothecæ *Academiæ Ingolstadiensis.* Et ejusdem catalogus perpetuus vel alphabeticus omnium librorum *ejusdem Academiæ*, secundum 4. facultates, distributus in 25. classes. *ex Draudio & Bolduano.*

Marpurgensis, cui biblia Complutensia donavit Wilhelmus Hassiæ Landgrafius, anno 1573. *Treutl. orat. de ejus vit. & obitu.*

Basiliensis, ex multorum cœnobiorum bibliothecis conflata, quotidie, typographorum liberalitate, maxima capit incrementa. Johannes Oporinus primus auctorum, quoscunque excuderet, exemplum unum Academiæ obtulit, & reliquos collegas suo exemplo ad idem faciendum excitavit. *Beyerl. theatr. vit. hum.* Habet mss. Græcos potissimum, ex quibus codex Evangeliorum antiquus, cui 1000. alii, alii 800. assignant annos habet in margine sectiones, quibus Dominicæ notantur lectiones, orientali ecclesiæ jam antiquitus receptæ. Ibidem Nili MS. & Alcorani exemplar accuratum, una tantum & altera pagina mancum. Amplissimi magistratus liberalitate incredibile accepit incrementum ex bibliotheca Amerbachiana, quæ ab

Erasmo & Amerbachio quondam fuerat inchoata. *Hotting. l. cit. Thuan. de vit. sua lib. 2.*

Bernensis tum ex acquisitis undique variis authoribus tum ex liberali dono bibliothecæ *Bongartianæ.* Bongartius magno labore multa volumina conquisiverat, susceptis etiam eam in rem itineribus Francofortensibus. Ingens ibi thesaurus mss., Patrum, Scholasticorum, Historicorum, Francicorum præsertim & eorum qui de bello sacro scripserunt. Biblia mss. prisco Gallorum idiomate, ipsius etiam Bongartii scripta Theologica, Historica, Politica hic servantur. Hebraica mss. addidit *Samuel Hortinus*, qui & catalogum contexuit. *Hotting. loc. cit.*

Julia Helmstadiensis, quæ a Julio Duce instituta, a Frederico Ulrico ejus nepote perfecta, præter alia antiquissima, aliquot homilias Chrysostomi habet, & epistolas Leonis III. ad Carolum M. quas publicavit Conringius. *Hotting. ibid.*

Monachiensis, quæ jam superiori seculo undecim millium voluminibus constabat, quorum non exigua pars mss. diversarum linguarum. *Hotting. ibid.*

De bibliotheca Lipsiensi orationem scripsit Fellerus.

Fuldensis, de cujus antiquitate dixi supra, cap. 7. in Germania nulli cedit: possidet libros Bonifacii, qui in ejus templo conditus est, in pellibus scriptos. Monstratur etiam alius, qui collectanea continet ejus fidei confessionis, totus perfossus: quem Frisonibus impetum in sese facientibus, sui defendendi causa objecisse scribitur. *ex Brovveri antiq. Fuld. & Bruschio de monast. Merkius Castell. Latirat. in voce Fulda.*

Augusta, Principis Augusti Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, in qua septem admiranda observantur: 1. quod authorem habeat Principem, qui eam collegerit, disposuerit, & eadem ad publica μελετήματα ipse usus fuerit. 2. quod unus ille Princeps & inceperit eam, & intra vix decem lustrorum spatium, ad tantam magnitudinem perduxerit. 3. Ipsa comparandi ratio: suis omnia sumtibus comparavit Princeps, ex Germania, Gallia, Hispania, Britannia, Belgio, addita accessione ex bibliothecis Marquardi, Freheri, Curionum, Patris & Filii, & Joachimi Clutenii. 4. Ingens numerus, habet enim volumina quasi vicesies octies mille. 5. Librorum delectus. 6. Accurata eorum dispositio. 7. Structura domicilii. *Hotting. loc. cit.*

Tigurina,

Tigurina, in collegio Carolino, in qua multa ex Conradi Pellicani scriptis servantur, præsertim, quæ ex Hebræis vertit. Item epistolæ Paulinæ Græce manu Huldrici Zwinglii exaratæ, ejus enim tota bibliotheca a Bullingero coëmta, & publicæ addita est. *M. Adam.* multa præterea αὐτόγραφα ἀνέκδοτα. Ipsa civitas quoque bibliothecam habet. *Hotting. loc. cit.*

Wittebergensis insigniter donata a Joh. Frederico Saxoniæ Duce Electore, cujus etiam imago, septemvirali habitu: singulis libris præfixa fuit. De his est epigramma Joh. Stigelli, poëm. lib. 9.

Et patris, & patrui famam virtutibus æquat,
Qui patris, & patrui nobile nomen habet.
Asserit in victo divinum pectore verbum,
Et Musas omni dexteritate juvat.
Hinc etiam ad promtos studiorum contulit usus,
Inspicis hoc præsens quod modo, lector, opus.

Hi libri deinceps, sub exitum belli Germanici, anno 1547. Jenam translati sunt.

Tubingensis Academiæ bibliothecæ a Duce Christophoro primum institutæ, suam legavit Ludovicus Grempius JCtus, *M. Adam. in ejus vita.* Celebrantur præterea, *Jenensis* in Thuringia; *Lavingana* in Suevia; cui Hieronymi Wolfii inserta est; *Uratislavica* a senatu instituta. *Script. Acad. Witteb. tom. 3. fol. 121.*

Ratisbonæ dicitur servari, in quondam monasterio, Novum Testamentum aureis literis scriptum, *Basileæ* fuit itidem tale Nov. Testamentum Græcum aureis literis conscriptum, cujus Erasmus mentionem facit, quia eo usus est in emendatione Novi Testamenti: utrumque viderat Melanchthon, hoc etiam adolescens usus erat. *Manl. collect. loc. comm.*

Georgius Heltus Vorhemensis, cunctas facultates suas libris coëmendis impenderat, ejus bibliothecæ æstimatæ pretium Anhaltini principes, post ejus obitum, munifice persolverunt, secundum voluntatem & sententiam testamenti ipsius. Obiit Anno 1545. *Camer. in vita P. Melancht. pag. 214.*

Petrus Lotichius Johanni Sambuco Pannonio, gravissimo morbo laborans Bononiæ, bibliothecam suam legaverat, *lib. 3. eleg. 9.* verba ejus lectu non injucunda:

Pro quibus officiis, heres abeuntis amici,
Accipe fortunæ munera parva meæ.
Non mihi sunt Baccho colles, oleisque virentes,
Prædiave Æmiliis conspicienda jugis.
Tu veterum dulces scriptorum sume libellos,
Attritos manibus quos juvat esse meis.
Invenies etiam viridi quæ lusimus ævo,
Dum studiis ætas mollibus apta fuit.
Illa velim rapidis sic uras carmina flammis,
Ut vatem ipse suis ignibus ussit amor.

Viennensis a Maximiliano II. Imp. instructa, magnum sui apparatum debet Johanni Sambuco Medico. *Lipsius præf. ad Tacit. Mittendorp. de Acad. lib. 5. Hotting. l. cit.* Instaurata a Leopoldo I. Imp. in eum statum restituta est, ut & ævo nostro & posteritati incredibili utilitate inservire possit: siquidem vel ex solo mille loculamentorum numero, si singulis loculamentis octogena tantum volumina assignentur, apparet bibliothecam hanc continere minimum octoginta millia voluminum. In hac restitutione insignis fuit industria Petri Lambecii. *vid. Spizel. dissert. prælim. ad sacr. biblioth.*

In colligenda bibliotheca Norinbergensi egregium Nobilissimi senatoris Norici Bilibaldi Pirckameri emicuit studium, qui nulli vel sumtui vel labori parcens, libros non solum excusos, sed & mss. multo plures, maxime Græcos, SS. Patrum Basilii, Nazianzeni & aliorum monumenta, nec non melioris notæ authores, & librorum editiones de omnis generis disciplinis & artibus comparavit. Statim post reformationem Evangelicam Hieronymus Baumgartnerus ecclesiarum Scholarumque præfectus, de bibliothecæ alicujus publicæ serio cogitare cœpit initiis: itaque ex cœnobiis translatos primum in museo Ægidiano (quod jam auditorium nominant) deinde in monasterio prædicatorum, loco valde idoneo quidem, sed angustiore, ædique contiguo, locari jussit. Fundamenta bibliothecæ a patre feliciter jacta filius, defuncto subrogatus, porro stabilire & augere cœpit, & post eum scholarum curatores, qui authoritate sua effecerunt, ut Senatus-Consultum de accumulandis libris publicis ederetur, & doctoris Gabrielis Morderi ipsiusque Prætorii bibliothecæ magnam partem Norimbergensi publice adjungerentur. Quinam vero in ea librorum mss. thesauri reconditi sint, verbis Sauberti narrat Spizelius, *dissert. prælim. ad sacr. biblioth.* quæ, nisi prolixitas vetasset, hic inseruissem.

Valens

Valens Acidalius *Matthæi Wolfii*, Martinus Bruſchius *Pappi*, Johannes Poſthius *Fichardi* bibliothecas epigrammatis ſuis illuſtrarunt, quæ legere eſt apud Hottingerum, *biblioth. quadrip. part. 1. cap. 7.* De biotheca Monaviana Conradinus, *delit. poët. Germ. part. 2. pag. 1041.*

GERMANIÆ inferioris

Bibliothecas, quas ordine alphabetico recenſebimus, ex Guicciardino, Pontano, aliisque rerum Belgicarum ſcriptoribus, collegimus.

Affligemenſe cœnobium in Brabantia, tertia fere leuca a Bruxella, bibliothecam omne genus libris inſtructam habet, adeo quidem, ut quoad libros antiquos, pro locupletiſſima in illo tractu habeatur, qui, inter alias dotes, bibliothecis quoque luculenter inſtructus eſt.

Amſtelodamum, pro tantæ urbis dignitate, bibliothecæ theſauro non caret; catalogus, non omnium, ſed præcipuorum majoris formæ voluminum, editus eſt Anno 1668.

Antverpiæ, in domo ſocietatis profeſſæ, & apud Andream Schottum S. I. MSS. codices Græci, *Swertius in calce Athen. Belgicarum.* Item apud Franciſcanos: Urbs hæc, Belgii ſingulare ornamentum, tumultibus illis bellicis & iconomachicis, multis cladibus affecta eſt, quarum non minima eſt, quod etiam bibliothecarum libri, butyro inuncti, a ſeditioſis incenſi fuerint.

Abrahamus Ortelius Coſmographus celebris in hac eadem urbe bibliothecam habuit, non tam librorum copia, quam numiſmatum inſigniorum, rerumque rariorum, etiam ex alio orbe advectarum ornamentis inſignem. Ibidem *bibliotheca publica* fundamenta jacta ſunt, in quem plurimorum ſe effundit liberalitas. Edicto ſereniſſ. Belgii principum omnibus hic typographis injunctum, ut omnium librorum quos evulgarent unicum exemplar huic bibliothecæ ſuppeditarent. *Beyerl. theatr. vit. hum.*

Bellenſis: in monaſterio quod ex prioratu in abbatiam Carolus V. extulerat, & hæc flammis ab iconomachis abſumta eſt, ut & *Blandinienſis* teſte *Surio* ad annum, 1566.

Bredana, in quam tranſlata bibliotheca principis Auriaci, & Joh. Polyandri Theologi. *Schoock. fæd. Belg. lib. 16. cap. 10.*

Brugæ, inter præcipuos nobiles, habuerunt *Marcum Laurinum*, qui pulcherrimam bibliothecam collegit: conquiſivit inſuper maximam numiſmatum veterum ex auro, argento, ære conflatorum vim, eaque de cauſa ſummo favore proſecutus eſt *Hubertum Goltzium* ſcul-

 ptorem,

ptorem, pictorem atque antiquarium maximum: qui, impensas subministrante Laurino, magno conatu, Germaniam omnem, Galliamque & Italiam perlustravit, conquisitis undique & delineatis, quotquot usquam nancisci potuit, nummorum veterum typis: post octodecim menses Brugas ad mecoenatem suum reversus, magnanimi hujus Laurini impensa, thesaurum hunc publici juris fecit.

Bruxellensis: Jesuitarum.

Daventriensis: cui locum dispexit, & annuos reditus assignavit ejus urbis magistratus anno 1597. die 17. Januar. indies etiamnum succrescit *Rev. Davent. illustr.*

Doccomii in Frisia Occidentali asservatur MS. euangeliorum codex, quo usus est Bonifacius, antea dictus Winfridus, post Clementem in his terris fidei Christianæ præco, martyrio, cum 52. sodalibus affectus, in ea Hollandiæ regione, quam Westfrisiam vocant. Superesse dicuntur parricidarum posteri, qui omnes nascantur canescenti in capite cirro insignes. Fides penes Guicciardinum.

Dordracena.

Dionysius Villerius canonicus Tornaci, apud Nervios, bibliothecam (qualem fortasse nemo privatus in Belgio) possedit, numismata item Rom. & exotica cimelia, ex alio orbe allata.

Drusiburgensis, in asceterio Fratrum, publicis in foro flammis, Angli militis petulantia, anno 1586. in cineres abiit. *Lindeborn. hist. Episc. Daventr. cap. 10.*

Dunensis, in cœnobio inter Neoportum & Duinkerkam, omne genus, tum & mss. instructissima.

Franckerana, *Groningana*, *Grunendalensis*.

Gandavum hoc tam honesto thesauro supra omnes Belgicæ urbes floret; habet bibliothecam in abbatia D. Petri in monte Blandinio, apud Dominicanos, Carthusianos, Carmelitas.

Gemblacensis: (ex hoc monasterio prodiit Sigebertus, Historiographus celebris) habet veteres plurimos mss. libros; ad quos Erasmus Roterodamus, aliique scriptores sæpe confugerunt.

Servantur autem præcipue qui rem Theologicam tractant, & S. Scripturam latine sunt interpretati: Græci non item. Adsunt & poëtarum & oratorum opera, & quicquid ad latinas facit literas: aliquorum & diversa exemplaria. Historiarum præterea videre est longo ex ordine disposita volumina, & inter ea Sigeberti sui memoriam sancte conservat, qui in hoc cœnobio Chronicon suum concinnavit, atque

atque ab imperio Valentin. Jun. & Gratiani Augg. exorsus, ad sua usque perduxit tempora. Vixit sub Henrico III. obiit anno M C XII. Scripsit & alios libros, qui itidem hic extant, nonnullos prosa, alios & metro, *Ortel. itiner. Gallo-Brabant.*

Hagensis: a *Johanne Hario* Goricomiensi olim congesta. Hic non admodum literatus, ea tamen pietate, & in literas affectu fuit, ut per omnem ætatem, summa cum diligentia, nec minori impensa, admirandam plane omne genus librorum bibliothecam congesserit. Erat in patria canonicus, sed, beneficio Cæsaris, cooptatus fuit in collegium canonicorum Hagensium, quo cum larem suum transferret, & una tot libris instructam bibliothecam; populus mirari, stupere, fateri denique nunquam se credidisse, vel in toto terrarum orbe tot volumina reperiri, quare & inditum homini cognomentum, *Johanni de libris.* Hagæ postmodum complures annos vixit, bibliothecam eodem studio auxit, quam moriens anno 1532. testamento Carolo V. Imp. legavit. Ornavit eam hoc epigrammate Johannes Secundus Hagiensis, poëta celebris:

Ecquid adhuc sacri virides Heliconis ad undas
Quæritis Aonias, nescia turba, Deas?
Hic nunc Musarum domus est, hic doctus Apollo,
Hic posuit sedes Dorica Diva suas.
Hoc meruit sacrique chori, Christique sacerdos
Harius, in libros qui bene vertit opes.

Hardervicena, multis præclaris Syriacis, Arabicis, Sinicis libris instructa.

Ejusdem urbis Consul *Ernestus Brinckius*, qui Mercatoris Atlantem in linguam Belgicam transtulit, locupletem bibliothecam congessit, multis etiam κειμηλίοις, antiquitatibus item & novitatibus, ex veteri & novo orbe conquisitis, insignem, de quibus hoc epigramma scripsit Jac. Zevecotius:

Qui cupis immensi miracula cernere mundi,
Quæque vel occasus, quæque vel ortus habet.
Non procul hinc positas opus est te visere gentes,
Sive tuas Ganges, seu magis, inde, tuas.
Aspice vicinas, habitat quas Brinckius, ædes,
Nomine quæ tanti nobilitantur heri.

Hic quicquid vel mittit Arabs, vel China, vel Ormus,
Pluraque quæ nostris sunt male nota plagis
Invenies, dominumque simul quem Gelrica tellus
Inter magnates gaudet habere suos.
Qui res natura mutas jubet esse loquaces,
Quæque procul fuerant ante, propinqua facit.

Iprensis, Episcopi bibliotheca a tumultuantibus iconoclastis incensa.

Joachimus Polites Antverpiensis Reip. Graphiarius, Goesæ in Zelandia natus, vir eruditus, poëta insignis, ad quem epistolas quasdam scripsit Nic. Clenardus, inter alias elegantias bibliothecam habuit instructissimam.

Leodii: abbatiæ D. Jacobi, ut & D. Benedicti copiosis bibliothecis instructæ.

Leovardiana, erecta anno 1648. in quam Tobias Gutberlethus, scholarum ibidem rector, hæc epigrammata scripsit:

I.

Musarum hic domus est, montisque biverticis umbra,
Æmula, Palladii deliciumque chori.
Ingredere, Aonidum quisquis venerare sacella;
Esse procul stiva turba dicata rudi.

II.

Ventilat heic auras Helicon, procerumque favore
Structa Leonina bibliotheca scholæ.

Lovaniensi collegio Theologorum, Bessarion Card. cum pontificis in Belgium esset legatus, anno 1513. hic, hospitio exceptus, memoriam sui reliquit mss. biblia. Publicæ bibliothecæ suam legavit L. Beyerlinck: huic etiam insertæ Levini Torrentii, Caroli Langii, Francisci Craneveldii bibliothecæ. Collegium Jesuitarum hic mss. codices possidet, quos enumerat *Swweertius in calce Ath. belg.*

Lipsii bibliotheca, non tam copia, quam librorum præstantia commendata. Græcos & mss. codices Jesuitis Lovaniensibus, reliquos Guilielmo Grevio, suo e sorore nepoti, legavit. *Miræus in vit. Lipsii.*

Lugduni in Batavis bibliotheca Antonii Thysii privatis sumtibus erecta, dotata, publicata.

Imprimis vero illa *academiæ*; cui adornandæ primus causam dedit *Guilielmus Auriacus princeps*, qui biblia regia, seu opus Complutense,

tenſe, Philippi II. Hiſpaniæ regis juſſu editum, illi loco donavit. Cujus liberalitatem imitati alii, imprimis *Johannes Holmannus Secundus*, Stadenſis, Philippi Melanchthonis, Lutheri, ac Lotichii diſcipulus, in acad. Leidenſi Theologiæ profeſſor, qui moriens totam ſuam bibliothecam academiæ legavit, quam ejus liberalitatem Nob. *Janus Douſa* his verſibus, in ejus elogio, celebrat.

Indicio fuerit librorum extructa ſupellex,
Verſatos manibus quos juvat eſſe tuis.
Hanc academiæ voluiſti cedere in uſum,
Prodeſſe orbi etiam poſt tua fata ſtudens.
Nec pietas obſcura tua hæc, ſed in acta relata,
Publica nunc quo ſtat bibliotheca loco,
Ingenii hic quoque multa tui monumenta leguntur,
Signata archetypis illa voluminibus.

Repoſita eſt in eo conclavi, quod quondam muſeum fuit Philippi a Leidis JCti ſeculo XIII. ſummi, ac primo Guilielmo Bavaro, Hollandiæ, Zeelandiæ, atque Hannoniæ comiti a conſiliis, & poſtea Arnoldi Hornani Ultrajectenſium epiſcopi vicarii, quod jam olim, ob bibliothecam ibi reconditam *Templum Salomonis* vocari ſolitum. *Schoock. Belg. Fœder. lib. 16. cap. 2.*

Eſt in ea legatum *Joſeph. Scaligeri*, quod variis, iiſque ad 208. mss. libris conſtat, Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Æthiopicis, Perſicis, Armeniacis, Ruſſicis, quorum catalogum exhibet Hottingerus ſmegm. orient. append. pag. 18. &c. D. Heinſius ſequenti epigrammate eam celebravit.

Ψυχέων παμβασίλειαν ἱερᾶς σοφὰ μηπιοώτων,
Γαίης Αὐσονίης, ξεῖνε, καὶ ἑλλαδικῆς,
Ἡσυχίης πρυτανεῖον, ἕδος νόου, ὅρμον Ἀθήνης,
ἱρὸν γηθοσύνης, ναὸν ἐλευθερίης.
Θνητοὶ αἰεὶ ζώοντες, ἀεὶ λαλέουσι σιωπῇ
Ἀνδρῶν οἰχομένων ἐνθάδε ναιετάει.
Οὔπω τοίην Κροῖσος ἄναξ βασιλείαν ἔναιεν,
Αὐτὰρ ὁ Φανταρέτης παῖς καὶ Ἀρισονίδης.

Hoc epigramma ſic in Latium e Græcia tranſtuli:

Regna vides, hoſtes, ſapientum corda virorum,
Itala quot tellus, quotquot & Hellas habet.

 Hic

Hic sua templa, quies; sedes mens; atria Pallas;
Hic libertatem, delitiasque vides;
Mortales vivunt semper, tacitique loquuntur
Hi, quorum structos effugit umbra rogos.
Nunquam rex habuit tam clara Palatia Crœsus,
Socratis ast hæ sunt, atque Platonis opes.

Effigies Principum Guilielmi, Mauritii, tum etiam aliorum præstantium virorum & professorum hic conspiciuntur.

Itala quos tellus, quos quondam Græcia novit,
Hos omnes doctos hic locus unus habet.

In Scaligeri effigiem in hac bibliotheca servatam sic lusit Hugo Grotius:

I.

Inter mille libros (nec sedes dignior ulla)
Quæ tulit immensus Scaliger ora vides.
Mille libros, hospes, nimium ne respice, major
Hic tibi quem monstro bibliotheca fuit.

II.

Cum plutei doctis turgerent undique chartis
Quas velit æterno fama fovere sinu,
Exhæredavit moriturus Scaliger orbem
Et vetuit post se scripta videre diem.
Heu nimium duras e miti pectore leges,
Pro quibus impietas magna sit esse pium.
Digna sit hac pœna præsens qua vivitur ætas,
Nempe hæc quæ Titios Scoppiadasque tulit:
Sed quo posteritas meruit non posse doceri?
Aut quid fecerunt tam bona scripta mali?
Parce Pater, si nos recte tibi cuncta monenti,
Credere in hoc uno credimus esse nefas.
Publica sunt istæc, semel ut te fata dederunt
Omnibus, inde potest jam nihil esse tuum.
Sit tamen ut mandas: nequeunt vel pressa latere
Quæ tantum ex tanto nomine lucis habent.
Quicquid nescitur foliis quæretur in istis,
Hinc sibi responsum maxima turba petet.
Quanta nec Euboïca celebravit virginis antrum,

Nec

Nec tripodes medio quos habet orbe locus.
Quid juvat in populos has non dimittere chartas?
Scaligeri circum scrinia mundus erit.

Middelburgensis bibliothecæ fundamenta jacta a Matthæo Gallomontano ab Hesuwiick, ecclesiæ antistite.

Rutgersii bibliothecam hoc epigrammate celebrat Jacobus Zevecotius:

Musarum thalamus, divina Pallados aula,
Delitiæ domini, bibliotheca, tui:
Quo satis attonitus potero te dicere versu,
Dum nil Belgiacus par tibi mundus habet?
Majores alius, libris sed jactet egentes,
Tu minor, at nullo codice dives eges.

Septifontana, & *Tongerloana* in Brabantia.

Tilana, initium habuit anno 1554. dicata a *Rudolpho Kock* sive *Koeck*, cum enim ædiles in hujus Rudolphi usum elegans cubiculum ædificari curassent, quia templum egregie dotaverat, hic postea totam suam bibliothecam 300. florenis aureis æstimatam Reip. donavit. Hæc anno 1653. ab Ampl. urbis Magistratibus instaurata, oratione Jani Erasmii celebrata est.

Ucogniensis in Flandria, quam multis seculis cumulaverant monachi, incensa ab iconomachis. Alexander Farnesius, illam aliquando lustrans, affirmavit, nihil in Italia simile a se visum. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.*

Ultrajectina ad Rhenum in choro templi D. Johannis: Ejus dedicandæ occasionem præbuerunt testamenta *Huberti Buchellii* canonici D. Mariæ, & *Everhardi Pollionis* JCti, qui suas quisque bibliothecas usibus publicis legarunt. Librorum catalogus editus, anno 1608. Deinceps vero insigniter locupletata, cum præstantissimis Belgii bibliothecis hodie certat; Buchellii effigies in ea visitur.

D. Gisbertus Voetius, Theologiæ in academia Ultrajectina professor longe clarissimus, disp. 4. de Atheismo, quæ in primo volumine selectarum disputationum extat, testatur, se in hanc bibliothecam fœdissimum illud carmen Joh. Casæ, episcopi Beneventani, quod in laudem Sodomiæ scripsit, intulisse, ut publico loco, & peculiari in eo capsula, hoc sanctitatis Papisticæ monumentum servaretur, nec Pontificii, quamvis impudentiæ scuto armati, negare vel auderent vel pos-

poſſent, quod nec ipſe Caſa diffitetur, ſed tantum carmine quodam ad Germanos, apud quos propterea male audiebat, excuſare conatur. Verum cum anno 1672. & 1673. per Gallicum illum tumultum, quo aliquot fœderati Belgii provinciæ miſere vaſtatæ ſunt, etiam Ultrajectum occupatum teneretur, rerumque poteſtas penes Pontificios eſſet, hoc monſtroſiſſimum ſcriptum, una cum aliis carminibus Italicis, eodem volumine contentis, a neſcio, quo, per ſacrilegium ablatum eſt. Sed ipſa infamiæ nota ſublata non eſt, litura perpetuum extabit. Sed quo non progreſſa eſt iniquitas, horreſco hæc ſcribens, monſtroſus hic fœtus obſtetricante typographorum infrœnata licentia, rurſus in lucem prodiit.

Zutphanienſis: *una* quidem in curia, eo loco, ubi ſenatus congregari ſolet, ex JCtis maxime conſtans; *Altera* ad latus auſtrale templi majoris, non tam copia, quam librorum delectu conſpicua. In ea multi ſunt ex bibliotheca *Mag. Bernhardi Bavvhuſii*, baccalaurei juris, bonarum literarum profeſſoris, hominis, ut apparet diligentiſſimi, in Latinis, Græcis, Hebræis literis verſatiſſimi, nullus enim eſt, ad quem non multa notaverit. Theocriti idyllia, & Demoſthenis ac Æſchinis λόγους ἀντιπάλους elegantiſſimo charactere Græco, ad exercendam orthographiam deſcripſit, qui hic ſervantur. Eſt in ea tabulæ penſili inſcripta elegia Arnoldi Noviomagi, Hieronymiani Druſiburgenſis, quam, quia bibliothecarum commendationem continet, & lectu non injucunda nec indigna videtur, hic addere viſum eſt.

Congeſſere libros Ptolemæus, Julius, & qui
Forte ſuum a Veſpis nomen habere poteſt.
Magna quidem his habiti peperere encomia faſces,
Et tot victrici regna ſubacta manu.
At majora tamen ſtudiorum his protulit ardor,
Auctaque magnificis bibliotheca libris.
Expetit imperium vis ſæpe tyrannica, & auſus
Approbat auſpiciis ſors male cæca ſuis.
Nam ſolet iſta bonis plerumque obſiſtere, & illos
Evehere, improbitas quis ſcelerata placet.
At ſtudia amplecti, ſtudiiſque fideliter uti,
Virtutis proprio non niſi fonte ſcatet.
Hiſtoriæ unde ferunt tales viguiſſe probatis
Moribus, & fama conſenuiſſe bona.
Gaudendum ex animo, quod & iſta ætate videmus,

Quos

Quos juvat illorum splendida facta sequi.
Aspice quam pulchra domus hac testudine circum
Pendeat, & niteat quot decorata modis.
Hinc fera flamma procul, procul importuna vetustas,
Floreat, augescat, tristia damna procul.
Omnino Aoniis sedes dignissima Musis,
Quas reor huc gressus accelerasse suos.
Neglectisque ultro sylvis, & fontibus, antrisque
Usque hic delicias quærere velle suas.
Hic tibi de variis præclara volumina rebus
Ordine perpulchro quæque locata jacent.
Omnia sunt syncera fide, seu sit novus author
Sive vetus, retinent schismata nulla locum.
Schismata quæ telis tot se discordibus edunt,
Ut satis inde scias frontis habere nihil.
Omniaque extremis tamen huc contendere caudis,
Ut verum obscurent, impietate duce.
Ergo hujus quoties pede transis limina tecti,
Submissa genium fronte verere loci.
Authores venerare etiam: deinde omnia raptim
Curarum ex animo tædia pelle tuo.
Ut, quæcunque leges, attente ea cuncta recondas,
Et studii pretium grande referre queas.
Hic scopus est, huc spectabant, qui clara pararunt
Divino ingenio tot monumenta viri.
Si secum mala nulla agitat, dictante Catone,
Qui concinnandis semper inerrat agris:
Quo minus id faciet libris qui gaudet honestis,
Et tali internam vomere versat humum?
Diligite, exclamat, sacra scripta, Hieronymus, & mox
Nullus erit scelerum, quæ caro gignit, amor.
Moribus huc ægri: sunt hic medicamina, lætis
Non unquam in herbis qualia Phœbus habet.
Huc quoque longa quibus confert fastidia tempus,
Lassata hic mentis dulce levamen adest.
Turpe locis levibus, poclisque madentibus horas
Fallere: quin istud perdere tempus erit.
Insudate libris: ita, quod remeabile non est

A tergo linquet commoda magna sui.
Nempe beatifico juvat indulsisse labori,
Intimaque æthereo nectare corda fovet.
Vos quoque quos pleno ditavit copia cornu,
O, adjutrices huc adhibete manus.
Multa quidem domus hæc & magna volumina servat,
Quæ tamen optantur plurima abesse liquet.
Fundamenta jacent, sed adhuc fastigia desunt,
Multorum hæc operam, subsidiumque petunt.
Quisque det, indulgens quantum fortuna ministrat,
Et sensim ex parvis grandis acervus erit.
Huc derivetur, quod sumptus inutilis, & quod
Alea damnipotens, quodque taberna vorat.
Sic demum emerget, tacito quasi fœnore, possis
Quod dare, pauperie non retrahente manum.
Nec dare pœniteat, non absorbebitur alvo
Quod datis: ante oculos mobile semper erit.
Nec cuiquam proprium, sed commune omnibus, hinc ut
Grandia venari commoda quisque queat.
Ista quasi irrigua manabunt fonte deinceps,
Dum dulcem strepitans Issela radet humum.
Nam decora ut florens serves Zutphania multa,
Adferet at summum bibliotheca tibi.
Cujus ut agnoscant exordia prima nepotes,
Asscribam certis carmina bina notis:
aVgVsto oCCVrrens CœLestI VIrgo sVb aXe
ad CVLMen faVsto pondere traXIt opVs.

Zutphaniam inter, proximumque pagum Warnsfeldium, monasterium fuit Franciscanorum, quod Galileæ nomen habuit; ejus exigua admodum rudera conspiciuntur, tempore enim belli Hispanici dirutum est. Locus duplici de causa insignis, tum quod, non longe ab hoc monasterio, vulneratus est, unde post Arnhemii mortem obiit, heros incomparabilis, belli pacisque artibus juxta clarus, Philippus Sidneius, Comitis Licestrii ex sorore nepos, anno 1586. *Meter. lib. 13. Strad. dec. 2. lib. 8.* tum quod in illo vixerit monachus ille, qui, anno 1572. Frederico, Albani ducis filio, exectandum illud consilium suggessit, ut, capta urbe, omnes jugularet; *ova confringeret, antequam pulli ex iis excluderentur:* In hoc monasterio quondam bibliothecam fuisse colligo

ex

ex scriptura, quæ in principio codicis mss. in bibliotheca Zutphaniensi (est autem Thomæ Aquinatis secunda secundæ partis summæ Theol:) legitur in hæc verba: *Istum librum dederunt ad librariam conventus Fratr. Minorum in Galilaa, prope Zutphaniam, germani fratres M. Hermannus, & M. Joannes Hervvin de Zutphania, ut pro ipsis & eorum parentibus oretur: qui in testamenti sui pagina desideraverunt, ut in prædicta libraria catenatus permaneat.* Eadem hæc verba leguntur in rationali divinorum Duranti, quod fuit penes Mallinkrotium, ut testatur *dissert. de art. typograph. cap. 8.* exemplar erat elegans & immaculatum, in pergameno, regalis fere folii magnitudine, 20. quaternionibus, nullis numerorum literarumve indiciis distinctum, quod in infantia artis typographicæ moris necdum erat. Hoc enim exemplar excusum erat Moguntiæ anno 1459. per Johannem Fust, & Petrum Grensheim, quos primos hujus artis inventores fuisse demonstrare conatur Mallinkrotius.

GALLIÆ

Bibliothecas ex itinerariis, historiis, & quorundam vitis collegimus.

Initium faciemus a *Lutetia* totius regni metropoli. Monasterium hic est Franciscanorum, in quo aliquando 600. Monachi vivunt, fundatum a Ludovico V. vixit & hic Nicolaus de Lyra. In ejus capella, Hierosolyma dicta, bis quotannis missa Græce celebratur, comparentibus iis, qui Hierosolymis sepulchrum Christi visitarunt. Regia in eo est bibliotheca, duabus contignationibus constans, in qua supra decem millia librorum compactorum servantur. Prima contignatio continet libros mss. maximam partem Græcos, quorum plurimos Regina Catharina Medicea donavit. Altera ornata est mss. Latinis, præterea impressis apud Manutium & Stephanum. In hanc illata est bibliotheca insignis ducum Mediolanensium, quæ Ticini fuerat. Factum hoc a Ludovico XII. Galliæ rege, cum anno 1500. ducatum Mediolanensem occupasset, ut ex Laurentio Pignorio narrat Zeilerus, *cent. 3. epist. 18.* putatque hanc bibliothecam primo Blocsas aliaque in loca translatam, tandem Lutetiam pervenisse, bonamque ejus partem periisse: siquidem, teste Josepho Scaligero, *lib. 1. epist. 63.* Barnabas Brissonius bonam partem librorum regiorum domum suam transtulit. Post casum ejus, vidua avara, frusto panis, si ita loqui fas est, divendidit.

Extat in hac bibliotheca regia Oppianus Henrici II. tempori-

 bus

bus manu Angeli Bergitii Cretensis elegantissime scriptus, cujus in margine habentur animalium imagines, de quibus apud autorem mentio fit, ad vivum pictæ ab Angeli filia ex Scaligerianis Putean. pag. 9.

In hac urbe, imo orbe, vel orbis compendio bibliotheca quoq; est *Thuanorum*, ex quorum familia viri illustres plurimi prodierunt. Jacobus Augustus Thuanus Historiographus celebris, Puteanis fratribus literas, literatos, & bibliothecam (in qua præter multitudinem librorum impressorum, octingenti fere mss. visuntur) commendarat. Ipsa testamenti ejus verba adscribere visum, quæ sic habent: *bibliothecam meam* XL *amplius annorum spatio, magna diligentia ac sumptu congestam, quam integram conservari non solum familia mea, sed etiam rei literariæ interest, dividi, vendi ac dissipari veto, eamque communem, cum numismatis antiquis aureis argenteis & æreis inter filios, qui literis operam navabant, facino, ita ut etiam exteris, aliisque Philologis ad usum publicum pateat. Ejus custodiam Petro Puteano, cognato meo, & multis nominibus mihi caro, donec filii adolescant comitto, qui & libros mss. iis qui opus habebunt utendos dare poterit, modo de illis restituendis idonee caveatur.* Claudius Puteanus bibliothecam exquisitis mss. & impressis libris instruxerat: quam majores natu Christophorus & Augustinus Puteani assidue auxerunt: quorum operam deinceps Petrus & Jacobus fratres exceperunt, eamque tanta cura, sumtu, ac labore locupletarunt, ut cum maximis bibliothecis comparari, plurimis etiam præferri possit.

Olim ad *S. Dionysium* quoque bibliotheca fuit, sed bello civili devastata est.

Item in cœnobio *S. Germani*, ordinis Benedictinorum, in duobus conclavibus bibliotheca est: quorum superius mss. codices solos habet, præcipue opera Augustini, Lombardi sententias, biblia illa, quorum usus fuit in colloquio Possiaceno, inter cardinalem Lotharingum, & Theodorum Bezam. Librum arborum corticibus inscriptum. Librum characteribus plenum, cujus author putatur esse Cicero: & quo ipse Cyprianus dicitur esse usus. Librum Psalmorum membranis inscriptum, qui a Justino Imp. S. Germano donatus esse dicitur.

In celeberrimis illis collegiis *Navarræo & Sorbonico* bibliothecæ sunt: ubi etiam extare dicitur epistola Pauli ad Laodicenses in pervetusto codice.

Anno 1675. mense Martio, Lutetiæ *in collegio Montis acuti* excitatum

tatum incendium, prope S. Genovefæ ædem, quo tria quatuorve bibliopolia perierunt; damnum ultra quinquaginta coronatorum millia æstimatum. *Ex Mercur. Batav.*

Bibliotheca *Blesensis* a Ludovico XII. Franciæ rege, qui ea in urbe natus, constructa, libris præcipue Historicis insignis. *Spizel. sacr. biblioth. dissert. prælim.*

Rotomagi & *Tournonii* Jesuitæ bibliothecas habent.

Bibliotheca Aurelianensis; præsertim illa nationis Germanicæ.

Bituricensis: cui suam testamento legavit Boërius JCtus.

Lugdunensis, apud prædicatores: antea fuit Sanctis Pagnini, ubi librum quartum Macchabæorum Græce ms. vidit Sixtus Senensis.

Cluniacensis, cœnobii nobilissimi bibliotheca incendio periit, anno 1562. copiosissima fuit, & omni librorum mss. suppellectile instructissima. *Lundorp. contin. Sleid. lib. 3.*

Dolæ, in comitatu Burgundiæ, in collegio Hieronymiano, bibliotheca servatur multorum auctorum, & optimorum codicum. *Merul. Cosmogr. part. 2. l. 3.*

Nicolaus Thuanus Jacobi Augusti Thuani, Historici nobilissimi patruus, Carnutum episcopus, copiosissimam bibliothecam instruxit. *Thua. l. 1. de vit. sua.*

In cœnobio montis S. Michaëlis bibliotheca optimis libris mss. olim referta. *id. lib. 2.* & in Moisaco ad Tarnim oppido. *ibid.* Item Anicii quod Podium Velaunorum vulgo dictum, ubi antiquos bonæ notæ libros mss. vidit idem Thuanus, *ibid.*

In cardinalis Richelii bibliothecam sic lusit Constant. Hugenius in momentis desultoriis, *epigr. lib. 6.*

Mille libros, & mille libros, & mille librorum
Millia magnifici publica Richelii
Cura, bono patriæ, capsis ingesta superbis
Nominis æterni marmora viva locat.
Quoque voluminibus moles augusta coëmtis
Cresceret, intitulos auctior usque suos,
Mille libros, & mille libros, & mille librorum
Jussit adimpleri millia mille libris.
Desine posteritas ἀπορεῖν quo se agmine facto
Duplicet in multam massa voluta nivem.
Materiam liquit vestris qui scribitis aquam
Viribus; omnis ubi Gallia sudet habet.

Scribite Richelium, partos pro rege triumphos
Scribite, & aeternis gesta legenda typis.
Mille libros impletura est quae posthuma famam,
Unius capiet bibliotheca viri.

Cœnobii, prope Andagavensium urbem, *La Baumette* dicti, ordinis Franciscanorum.

Genevensis: ab antiquis & rarioribus libris authoritatem habet, est hic versio bibliorum Gallicorum CCC. annorum.

Peireskii bibliotheca late describitur a Gassendo in ejus vita: *pag. 558. & seqq.*

Julii Mazarini card. parem vix habuit. Studio *Gabriëlis Naudæi* structa & disposita, accessione auctorum in Gallia per Pithæum, Puteanum, Peireskium & alios collectorum locupletata, amplius 40000. volumina comprehendit. Multa in ea mss. præter cætera 150. etiam exterarum provinciarum, civitatumque mores, consuetudines: leges item & fundationes omnium Religiosorum, Collegiorum, Hospitalium &c. ut absolutæ bibliothecæ ideam brevi exhibere potuisset: (*Hotting. biblioth. quadrip. pag. 18.*) sed ex Parlamenti decreto vendita & distracta est, unde 150000. Floreni contracti illi sunt promissi, qui ipsum cardinalem, civilium turbarum tempore, cepisset. Restituta tamen, & regi Galliæ, una cum alia suppellectile, testamento legata: deinceps donata collegio Mazarineo, Sorbonæ doctoribus concredito.

Seguieria & *Thuana* cum celeberrimis conferuntur. *Hotting. ibid.*

Verdierii elegans bibliotheca ex Italicis, Gallicis, Hispanicis, Græcis ac Latinis libris celebratur in Scaligerianis pag. 353.

Jul. Cæsar Scaliger *Agenni* in Aquitania vivens, literatorum ac librorum inopiam describit in præfatione ad orationes pro Cicerone contra Erasmum: *Ne unus quidem, inquit, liber venalis habetur, præter Justiniani proventum, & Grammatices rudimenta: per octingenta amplius miliaria ab extremo usque orbe mihi petenda fuit interdum bibliotheca, Basilea, Florentia, Venetiis, atque Roma. Quibus libris fac me opulentissimum, qui cum tamen conferam caput miser? aut unde quicquam petam præsidii? tanta literarum hic vastitas, tanta solitudo.* Et Orat. 2. contra Erasmum: *Ego mihimet actor, ego scena, ego theatrum. Quippe tota provincia ægre reperias integra Ciceronis opera. Nam de Platone, Hippocrate, Aristotele, Galeno, Demosthene, Thucydide, cæterisque aliis talibus loqui mihi religio est. Contra præter eos omnes, quinquaginta amplius autorum volumina esse nobis: eorum*

majo-

majorem partem longinquis subvectam commeatibus, exiguam, quæ mihi meo studio atque diligentia superarat, domesticæ rei attenuasse mediocritatem.

Philippi Mornai, Plessiaci domini: de hoc viro merito quis dubitet, utrum belli an pacis artibus, Politicis an Ecclesiasticis negotiis clarior fuerit. Pro rege armis, pro ecclesia calamo pugnavit. obiit. 1623. septuagenario major. Sed, unumquemque diem ut supremum sibi illuxisse existimans, multo ante (vivente uxore Charlotta Arbalesta, quæ diem obiit anno 1606. cum, ex tristi nuncio de unici filii morte, in morbum incidisset, cum hic in occupatione oppidi Gelriensis periisset) testamentum condiderat, quo bibliothecam suam ecclesiæ Salmuriensi legaverat. Sed voti sui compos factus non est; cum enim anno 1621. Galliæ rex Reformatos bello persequeretur, Salmurio capto, tota nobilissimi hujus viri suppellex, maxime vero insignis ejus bibliotheca, a militibus direpta & devastata est, referente Baudartio. *Annal. 13.* Doctorum hominum mecœnas in Gallia *Foucquetus*, præter magnificum collegium Jesuitis extructum, bibliothecam quoque illis donavit, & mille libras annuas ad ejus conservationem assignavit.

Reformati, in Synodo Gapiensi, anno 1603. habita, decreverunt ut academiæ communes bibliothecas, & magna potissimum Antwerpensia biblia variis linguis exscripta habeant. P. Matth. hist. Henr. IV. lib. 6.

IN ANGLIA

Cumprimis bibliothecæ sequentes celebrantur.

In ecclesia cathedrali S. Pauli, apud Londinenses, bibliotheca est fundata anno 1458. a *Waltero Shiryngtone Clerico*, cujus catalogus, sive *Inventarium indendatum*, eorum quidem librorum, qui primo hic dicati sunt, exhibetur a *Wilhelmo Dugdale*, qui historiam templi Cathedralis S. Pauli Londinensis fuse descripsit: in append. pag. 276. Verum hæc una cum templo, imo tota urbe Londino in vastissimo illo incendio anno 1666. in cineres collapsa est. Præterea, *Regia*, quæ a loco *Westmonasteriensis* appellatur, in ea antiquissimum exemplar versionis 72. viralis, item regum, Eduardi VI. Elisabethæ, Jacobi I. varia sunt scripta, styli exercitia, libri usuales. Eam a ruina præservavit Duræus.

Carmelitarum, quæ olim omnes alias Londinenses superavit, circa annum Christi, 1420. decem aureorum millibus æstimata nunc tota periit.

Ecclesia Belgica ibidem initium bibliothecæ fecit. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.*

Londinenses Augustiniani, seculo XV. authore Joh. Lowe, nulli cesserunt. Johannes Tipitotus Anglus, Italiæ bibliothecas spoliasse dicitur, ut pulcherrimis eam bibliorum monumentis exornaret, ex *Balæo*, *Hotting. hist. eccl. N. T. part. 4. pag. 39.*

Academiæ Oxoniensis & Cantabrigiensis de antiquitate certant, utraque suas bibliothecas habet. Manuscriptorum catalogum concinnavit Thomas Jamesius. Apud *Oxonienses* sunt bibliothecæ collegii Mertonensis: Wintoniensis novi, in quo Richardus Angervile, episcopus Dunelmensis, φιλόβιβλος dictus, bibliothecam in usum studiosorum dedicavit. *Middend. de Acad. Christ. lib. 2. Bzov. ad annum 1332. num 12.* Humfredus Glocestriæ dux, bonarum literarum admirator maximus, scholam Theologicam exstruxit, & in ejus superiori parte bibliothecam instituit, centumque viginti novem selectissimis libris, quos magnis impensis ex Itaiia comparaverat, exornavit. Sed hos quorundam privata avaritia publico usui jam pridem invidit. *Cambdenus.*

Thomas Bodlæus eques hic bibliothecam condidit, quæ inter reliquas omnes caput tantum exeruit, quantum lenta solent inter viburna cupressi. *Const. Hugenius otior. lib. 1. ad acad. Oxon.* sic canit:

„Et modo Bodlejas congesta volumina Gazas,
„Rufe, tuis pariles, vel, Philadelphe, tuis:
„Pulpita Lutetiis tam nil debentia capsis,
„Quam Vaticano proxima, Roma, tuo.
„Et Martialis Britannicus Owenus, lectores alloquens:
„Quæritis authores? coram quem quæritis adsum,
„Quisque in classe sua classicus author ait.
„Tanti operis, quantum reliquo vix extat in orbe,
„Quæritis authorem? Bodleus author erat.

Item ad ipsam Oxoniensem academiam:

„Nulla tuæ par bibliothecæ est altera: nulla
„Ingenio par est bibliotheca tuo.

Cæpisse dicitur anno 1450. per Eduardum, sed temporis injuria adeo collapsa ut per Th. Bodleum, instituta potius, quæ restituta sit.

Describit eam Il. Casaubonus *epist. 745.* his verbis: *Opus vel rege dignum, nedum privato. Constat Bodleum ducenta millia librorum Gallicarum aut vivum aut morientem contulisse ad ornatum illius bibliothecæ. Locus est elegantissimus, qui figuram literæ T. exprimit. Partem, quæ stipitem erectum exprimit, olim princeps aliquis e saxo ædificaverat, opere satis magnifico, alteram partem Bodleus adjecit magnificentia parem priori. Inferior pars auditorium est Theologicum, cui, haud scio, an sit aliquod comparandum in Europa, opus est fornicatum, sed singulari artificio confectum. Superior pars est ipsa bibliotheca, valde affabre facta, & ingenti librorum copia referta. Noli cogitare similem hic reperiri librorum mss. copiam, atque est in regia. Sunt sane & in Anglia mss. non pauci, sed nihil ad regias opes. At librorum editorum admirandus est numerus, & qui incrementum quotannis est accepturus. Reliquit enim Bodleus annuos reditus in eam rem libri efferri non possunt. Patet vero bibliotheca per horas septem aut octo quotidie.* Hactenus Casaubonus.

Exteriori bibliothecæ frontispicio hæc inscripta: *Regnante Jacobo regum doctissimo, munific. optimo, hæ Musis extructa moles, congesta bibliotheca, & quæcunque adhuc deerant ad splendorem academiæ feliciter tentata, cœpta, absoluta. Soli Deo Gloria.*

In interiori bibliotheca occurrunt I. statua Bodlejo erecta, cum hac inscriptione: *Thomas Sackvilius, Comes Dorset, summus Angliæ Thesaurarius & hujus Academiæ Cancell. Thomæ Bodlejo Equiti Aurato, qui bibliothecam hanc instituit, Honoris gratia P. P.* II. pictura Bodlei suspensa, in cujus summa tabula hæc inscriptio:

Posteris & æternitati sacrum.

Thomæ Bodlæi, quicquid mortale, tabella,
Ingentemque animum bibliotheca refert.

A latere vero uno hoc ejus symbolum: DOMINUS ILLUMINATIO MEA. Ab altero ejus insignia. At in ima tabula hæc subscriptio:

Hospes rogatus siste,
Bodleumque loci genium, & Musarum
Mæcenatem, ultra Cæsares Augustum,
Qui bibliothecam, molemque hanc stupendam
Condidit, intuere.
Hoc volebam, nescius ne esses, Vale.

Auctaria quæ huic bibliothecæ accesserunt, docent hæ inscriptiones: *bibliothecam JOH. SELDENI, nitore ingenii, candore morum, præcellentia doctrinæ imparilis viri, heic repositam, Joh. Vaughan, Matt. Hale, Rolandus*

landus Jucks, Armigeri (quibus testamenti sui fidem mandavit) in duraturam tanti viri memoriam, & rei literariæ bono, amplissima huic Academiæ sacratum voluere.

Codices MSS. P. M. cIɔ ccc. *Hebr. Syr. Chald. Ægypt. Æthiop. Armen. Arab. Pers. Turc. Russiaci. Chin. Japan. Græc. Lat. Ital. Gall. Sax. Angl. Hibern. Ex dono reverendiss. in Christo Patris D. Gul. Laud. Cantuariensis Archiepisc. Academ. Oxon. honoratiss. Cancellarii.*

Codd. mss. diversi generis, ex dono Kenelmi Digbii Equitis Aurati. Anno 1634.

Codd. mss. Græci bibliotheca Barrocciana, ex dono Gul. Herbert, Comitis Pembroc. Honoratissimi academiæ Cancellarii. Anno 1629.

Cantabrigia tot bibliothecas habet, quot Collegia, duæ tamen excellunt, Publica Academiæ, quam Buckingamiæ Dux, occasione bibliothecæ Erpenianæ distractæ, auxit, multos possidet codices Arabicos. Ibidem antiquus Bezæ codex quatuor evangeliorum, cum epistola, custoditur. Altera collegii Benedicti; vastum & capax conclave, ubi nullis nisi mss. codicibus hospitium præbetur. Veteri Saxonicæ linguæ multa ibi documenta. Vetus exemplar Virgilii, archiepiscopi cujusdam manu exaratum. Fasciculus epistolarum Calvini, Zwinglii, Oecolampadii, Carolostadii, Melanchtonis, Buceri. Præterea in collegio Johannis, ubi prima pars historiæ Elmacini, Syriacis exarata literis: in collegio Trinitatis, monumenta Arabica plura impressa, quam mss. In aula Claræ, major Hebraicorum, quam Arabicorum numerus. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.*

HOLSATIA.

Henricus Ranzovius, vir illustris, in arce sua Bredenburga, insignem instruxit bibliothecam, in ea sex millia, & treccnti libri præter æneas tabulas diversi generis, statuas marmoreas, globos, mappas geopraphicas, astrolabia, horologia, & alia id genus mathematica instrumenta. *Beyerl. theatr. vit. hum.* in eam, ut & in armamentarium Bredenburgense, hoc epigramma scripsit Petrus Lindebergius: *delic. Poët. Germ. part. 3. pag. 1205.*

Non satis est armamentaria condere magna,
Bibliotheca etiam condita pulcra tibi est.
Pacis ut & belli, Ranzoi, munia cures,
Utrumque & subeas Martis & Artis opus.

DANIA

In academia Hafniensi bibliothecam habet, cui suam totam legavit

gavit Andreas Lymvicus Medicinæ ibidem professor; insigni copia librorum Theologicorum, Medicorum, & Philosophicorum instructissima. Anno 1603. *Bart. Cist. Med. Hafn. pag. 136.* Henricus Fuirenius ejusdem academiæ medicus eidem universitati bibliothecam Medicam, in palatio supra templum SS. Trinitatis collocandam, legavit. Ejus catalogum edidit Thomas Fuiren. Henrici frater, Hafniæ 1660. qui ex sua quoque bibliotheca supplevit, quæ desiderari videbantur, ita ut in universum bibliotheca hæc jam constet voluminibus 1205. medicis publico usui dedicatis. Sub-bibliothecario autem publico, 300. imperiales idem Henricus legaverat. *Barth. lib. cit. pag. 615.* Anno 1679. 14. Martii st. novo, Hafniæ insignis bibliotheca Greiffenfeltii conflagravit. *Merc. Batav.*

SUECIA

In academia Upsaliensi insignem bibliothecam habet, cura Christinæ reginæ congestam; ubi servatur exemplar Alcorani, quod quidam putant ab imp. Turcarum, Romanorum imperatori dono missum esse. In urbe Gothlandiæ *Wisbii* bibliotheca quondam asservata, quæ duo millia codicum vetustissimorum, præter ingentem aliorum continuit. *Loccen. antiq. Sueogoth. l. 2. c. 15.*

POLONIÆ

Reges *in arce Vilnensi* pretiosissimam bibliothecam erexisse, ex Mart. Cromero, & Th. Bozio probat *Middent. de acad. lib. 5. pag. 333.*

Anno 1611. Jesuitarum discipuli, Vilnæ, non tantum evangelii ministros male tractarunt, sed etiam bibliothecas, tam ecclesiæ, quam ministrorum splendidas, partim combusserunt partim asportarunt. *Regenv. hist. eccl. Slavon. lib. 2. cap. 16.*

Anno 1623. 28. Augusti, oppidum Ostrorogum potiori parte exustum, cum ædibus parochialibus, & insigni bibliotheca Matthiæ Rybinii senioris, ante e vivis sublati, & Martini Gratiani Gertichii, itidem senioris, quæ supra quatuor millia fuit æstimata, templo tamen, quod ignivoma flamma undique cinctum fuerat, integro manente. *ibidem cap. 14.* Memoria dignum, quod narrat Anonymus ille, qui annotationibus illustravit visiones Stephani Melisch Pragensis, civis Lesnensis in Polonia: ad visionem XII. Lesna a Suecis capta & incensa, cum cives Czirnam Silesiæ opnidum 4. horas inde dissitum se recepissent, atq; inde patriæ suæ fumos spectarent, quos cum boreas nubibus permixtos super Silesiam agebat, decidebant etiam cum favillis ambusta bibliothecarum folia. Interque alia ex bibliis Bohemicis unum,

semiambustum, cui verba hæc (ex Matth. 7. 2. *Qua mensura mensi fueritis, eadem rementientur vobis*, præ cæteris illæsa evidentissime legi poterant. Multi hujus rei oculati testes. Folium ipsum generosus D. A. S. loci dominus ad se perferri curavit, asservandumque inter sua cimelia reposuit. Hujus rei meminit & ipse Melischius epistola, data 24. Julii. 1666. ubi addidit, alio in folio fuisse lectum: *Dominus judicabit terram*. Item in alio: *Verbum Domini manebit in æternum*.

Anno 1668. orta Dantisci seditione, Carmelitarum monasterium una cum bibliotheca, direptum est. *Merc. Batav.*

In *academia Cracoviensis* collegio Theologico-Philosophico majore (duo enim sunt) bibliotheca insignis est. *Cellar. descript. Polon. pag. 143.*

BORUSSIA

In arce Regiomontana bibliothecam habet: in ea repositorium quoddam libros in folio & quarto complectitur; cunctos argento circumclusos, ex quibus unus ab Alberto primo, Duce Borussiæ, propria manu scriptus, in gratiam filii, cui subditos suos bene & christiane regendi modum & rationem præscripsit. *ex Olear. Itiner. Cellar. descript. Polon. p. 561.* Huic bibliothecæ multum se debere profitetur Chemnitius.

Apud *Thorunienses* rem literariam summis viribus promovit *Henricus Strobandus* erecto gymnasio, secutus rationem a Jacobo Sturmio, libellis editis monstratam: intra hujus gymnasii limina, publicam bibliothecam, cum plerisque Europæis certantem dedicavit, ejusque σκιαγραφίαν, si quis forte imitari velit, delineavit. Ex qua alia postea nata est, ipsius itidem auspiciis, in curia civitatis constituta, Historicis ac Juridicis libris referta: in qua selectissimam partem privatæ suæ bibliothecæ servare solitus erat. Idem pro pio erga orthodoxas ecclesias Polonicas affectu, editionem bibliorum Polonicorum, ex Hebraicis Græcisque fontibus versorum, animo conceperat, & rationem sumtus, ad hoc opus conficiendum, tam pro interpretibus, quam pro typographis necessarios, comparandi, jam prope assecutus fuerat, nisi mors immatura huic christiano instituto manus injecisset: quæ tanto magis Polonis est lugenda, quod etiamnum bibliis orthodoxis carere illos vulgo oporteat, postquam illa quæ illustrissimus Princeps *Nicolaus Razivvil, dux Olicæ & Niesvvicensis*, magnis sumtibus, (*Regenvolsc. hist. eccl. Slav. pag. 142.*) Polonis dederat, malitia adversariorum coëmta, & Vulcano sunt tradita: quam sortem etiam Novum Testamentum,

mentum, Henrici Strobandi impensis, in ecclesiarum Polonicarum usum, secundum Vilnense exemplar impressum, expertum est. *M. Adam. in vita Henr. Strobandi. JCti.* In eadem urbe, Augustanæ confessioni addicti suam habent bibliothecam, in qua duæ Ciceronis epistolæ, cereis tabulis inscriptæ, ostenduntur. *Cellar. descript. Polon. pag. 505.*

HISPANIA.

Sicuti Europæ terminos claudit, ita & hujus catalogi finis futura est. Scholas & academias habet florentissimas. Earum catalogus editus est in 4. Francof. 1608. hoc titulo: *Bibliotheca Hispaniæ, seu de academiis & bibliothecis, item elogia & nomenclator clarorum Hispaniæ scriptorum.* Mihi nondum visus, cjus meminerunt *Draudius & Bolduanus.*

Corduba olim Mauri regiam scholam & insignem bibliothecam habuerunt, ubi Arabicæ literæ tradebantur. Postquam vero 600. annos ibi regnassent, a Ferdinando Hispaniæ rege exturbati sunt. *Middend. de acad. lib. 2. Surius pag. 285.*

Ferdinandus Colon, filius Christophori, cui debemus repertas Indias, *Hispali* adornaturus bibliothecam, Clenardi opera usus est. *Clenard. epist. 21. 22. lib. 2.* In ea duodecim millia librorum fuerunt: postea Seviliam translata, in monasterium Dominicanorum. *Verdier. lect. var. lib. 4. cap. 30.*

Ferdinandus Nonius comparatis, magno pretio, in Italia, Græcis exemplaribus, primus linguæ illius usum in Hispaniam intulit. Primo Compluti, deinde Salmanticæ literas Græcas & Latinas professus est, atque huic scholæ cælebs moriens bibliothecam legavit. *Thuan. hist. lib. XI.*

Fr. *Franciscus Ximenes* archiepiscopus Toletanus, bibliothecam insignem *Compluti* instituit. Universitatem Complutensem erexit. Biblia Complutensia edidit. anno 1510. Præterea in Hispania celebrantur bibliothecæ *Ben. Ariæ Montani*; *Antonii Augustini*, *archiepiscopi Tarraconensis*: *Michaëlis Thomasii episcopi Ilerdensis. Angelus Rocch. append. biblioth. Vatic. pag. 386.*

Non omittendum superbum illud *D. Laurentii monasterium in Escuriali*, quinto a Madritio milliari. Opus Philippi II. in memoriam victoriæ adversus Gallos, ad S. Quintinum in Picardia, anno 1557. ipso die Laurentio sacro, obtentæ, quo viso.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus jactet nec Babylona labor.

Quod ut omnibus numeris perfectum esset, bibliotheca hic quoque dedicata est, quam verbis Claudii Clementis sic describit Spizelius, *dissert. prælim. ad sacr. biblioth.* Prima semina fundi hujus librarii Philippus II. rex regia & felici manu jecit, missa huc privata sua bibliotheca, in qua, si quid interdum feriarum & otii nactus esset ab regiis occupationibus, illud dedicabat librorum lectioni. Est in bibliotheca Escuriali librorum index, in quo ipsius regis manu deleti sunt illi libri, quos identidem ab se donatos huc mittebat, in prioribus paginis hæc ab eo sunt scripta: *Libri mss. selectiores ac majoris momenti, quos ad S. Laurentii bibliothecam misimus, ut sollicite in sacrario una cum pretiosiori suppellectile asserventur: in primo margine indicis designantur nota* ∽ ═ S. Deinde paulo inferius: *Libri qui nostra scutaria insignia præferunt in tegumento (quæ est compactio Salamenticensis) habent in fine lineam transversam in postremo margine. Libri qui feruntur ad S. Laurentii bibliothecam notantur in primo margine hoc signo* — S. Aliæ ejusmodi observationes sunt in illo indice regio. Regiorum autem illorum librorum numerus fere duum millium fuit: illati ex iis in hanc ædem amplius mille ducenti: quorum plerique quod essent vetustioris editionis, per religiosorum cellas ipsius regis jussu distributi, reliqui bibliothecæ addicti, velut bene ominata munera & fundamenta illius literariæ apothecæ. Haud ita multo post accessit bibliotheca *Jacobi de Mendoza*, doctrina simul & gentilitio splendore clari, fratris Marquionis de Mondejar. is ubicunque vixit non solum in Hispania, verum etiam Venetiis 20. annis, & Romæ catholici regis legatus, memoriam singularem suæ eruditionis reliquit. Quo temporo in splendida familia doctorum hominum gregem, quos undique acciverat, atque in his Arnoldum Atlenium Græce peritissimum similiter alebat. Græcis exemplaribus partim conquirendis, in media Græcia, partim e Bessarionis Card. Nicæni bibliotheca describendis operam sumtusque impendit. Navem præterea Græcis calamo exaratis libris onustam a Turcarum imp. obtinuit: moriens legavit regi suam bibliothecam refertam plurimis & vetustis illis codd. Græcis, Latinis, Arabicis, tam impressis, quam mss. quas linguas egregie callebat. Eam rex accepit, in seque recepit nominum solutionem, quæ in testamentarias tabulas demortui relata erant. Subsequuta est *Antonii Augustini* archiep. Tarraconensis bibliotheca optimorum mss. exemplarium Latinorum & Græcorum locuples, nec non plurima ejusdem antiqua monumenta, & erudita rudera. Collata quoque a *Petro Pontio* episc. Legionensi, omnis quidem antiquitatis, sed præsertim Ecclesiasticæ studi-

ſtudioſo manuſcripta. Inſuper longe lateque miſſi a rege viri docti in Italiam, Germaniam, Belgium, Hiſpaniam, qui librario huic theſauro locupletando res eximias ejuſdem generis perveſtigarent. *Ambroſius de Morales*, *doctor Johannes Paes*, *Julius Clarus*, & plurimi alii viri docti præclara ſui monumenta hic reliquerunt, quorum alia non abſolverant, alia jam abſoluta in lucem nondum ediderant: præterea certos alios peculiares libros quos habebant clariſſimos. *Arias Montanus* præclaros codd. mss. Græcos, Hebræos, & Arabicos in hoc Sophiæ templo dedicavit, ac inprimis volumen legis maximo ſtudio & cura ſcriptum, ea forma, qua volumina eſſe conſueverant, tantaque fide, ut nec puncto defectum ſit vel abundet, quod proinde *ſacrum* ab illis appellatur. Pugillar Hebræum gemini uſus, e quo nimirum recitabantur ſolennes lectiones ſacræ per omne ſabbathum. Erat præterea inſtar manualis codicilli, in quem referebatur ſi quid peculiare perſcribendum eſſet, de hujuſmodi tabellis intelligendus locus Luc. 1. 63. Siclum Judaïcum, de quo ipſe Arias diſputat eo libro, quem *Tubalcain* inſcripſit, ibidemque expoſuit quam mirabili caſu in ipſius manus venerit, &c. Non commemoro quæ hic habentur ſacra biblia pervetuſta, ſcripta literis Goticis & Longobardicis, luculentum teſtimonium ſinceritatis lectionis antiquæ. Rara res eſt, & plane eximia primigenius quidam codex ipſius D. Auguſtini manu ſcriptus, & inſcriptus *de baptiſmo parvulorum*; literarum forma & ſpecies majuſcularum noſtrarum ſimilis eſt, qualis eo tempore in uſu erat apud Vandalos late in Africa dominantes. Diu librum hunc Philippus II. inter ſacras reliquias habuerat, cum eum juſſit in abaco ſcriptorio in bibliotheca cum rebus pretioſioribus recondi. Interrogatus aliquando, unde conſtaret re vera eſſe D. Auguſtini? reſpondit, id ſe ita accepiſſe ab amita ſua Caroli V. Imp. ſorore, a qua illum habuerat tanquam rem percaram & antiquiſſimam. Aliud volumen habuit ab eadem amita regina, quod D. Joh. Chryſoſtomi olim fuiſſe creditum eſt: in eo perſcripta ſunt evangelia, quæ totius anni decurſu pro more in eccleſia recitari ſolent. Eſt & aliud exemplar mss. Apocalypſeos, auraria & argentaria pictura ſatis eleganter illuminatum, adſcriptis miniato charactere commentariis, ducentis annis (ut quidem videtur) haud vetuſtius. Item alius quatuor evangeliorum liber, aureis literis in pereleganti membrana pergamena ſcriptus, compactus tabulis, atque attalico texto opertus; ſic eum ſcribi juſſit Henricus II. imp. uti fuerat inchoatus Conradi imp. juſſu, longus eſt ulmæ dodrantem, juſta proportione latus. Sacer ille textus euangeliorum cum præfationibus & epiſtolis D. Hieronymi, & cano-

canonibus Eusebii Cæsariensis 165. foliis continetur, circiter 600. anni sunt cum scriptus est, nusquam tamen pictura, scripturave evanuit: imo adeo integra, florida & splendida est, ut opus nudius tertius absolutum credas: in primo folio pictus in mediis nubibus Christus vindex noster circumfusus angelorum multitudine, in solio sedens, sinistra manu librum tenet, dextera Conrado & Gilesiæ uxori ad ipsius genua provolutis benedicit: in paginæ ambitu sunt quidam versus pro inculti seculi elegantia. Altera pagina Deiparam Virginem exhibet in solio sublimem, ac supplices Henricum & Agneten genibus nixos, regio tamen habitu & titulis, videlicet nondum imperatoria inauguratione consecratos; nec etiam desunt versus in ora paginæ majore pietate quam elegantia. Erasmus Roterod. codicem hunc, quem *aureum* appellat, mirifice extollit, ac profitetur se legitimas ac germanas quasdam lectiones inde eruisse, quas in aliis exemplaribus haud repererat, nec nisi solenni quadam pompa, & accensis tædis sibi monstratum refert. Eum tunc possidebat Margarita Maximiliani filia, Johannis principis uxor, venit postea in manus Mariæ reginæ, quæ illum cum tribus aliis, de quibus mentio superius facta est, dedit Philippo II. Caroli V. fratris sui filio. Plura Ambrosius de Morales de hoc codice aureo, in vita comitissæ Mathildis de Canosa, qui commentarius hic quoque inter alia ejusdem monumenta habetur. Item biblia Græca imp. Cantacuzeni, valde consentientia cum versione LXX. interp. quæ prodiit opera Card. Carafæ. Itidem duo grandia volumina Gothico charactere, in quæ relata sunt concilia & decreta a primo Nicæno ad undecimum Toletanum, cum multis aliis operibus eximiis, quæ referre longum sit. Alterum scriptum est æra millesima a Sibuto episcopo: alterum anno 979. a Vigila Presbytero S. Martini de Alvelda, ob id codex Vigilanus dictus: continet etiam multa concilia a primo Nicæno ad 17. aut 18. Toletanum, additis plurimis literis pontificum, & sanctorum, nec non antiquitatibus Ecclesiasticis. Est præterea alius tomus conciliorum eadem scriptura, anno 911. scriptus. Præter hæc monumenta venerandæ antiquitatis sunt alia quædam mss. exemplaria SS. patrum Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, atque aliorum; inter quæ opera extant non paucæ homiliæ, orationes, aliique tractatus nunquam in lucem editi; grandes & pervetusti tomi vitæ Sanctorum eadem lingua; tabellæ nobilium artificum, aliæ ex formarum planæ scalpturæ prototypis; aliæ penicillo pictæ in libris ingenti numero compactæ; plurimaque id genus rara & curiosa, atque hujus

hujus literariæ apothecæ propria servantur in arculis & abacis scriptoriis, quæ referre infinitum esset. Prisca scribendi ratio in papyro Ægyptiaca hic visitur. Quin & illa antiquior in arborum extima cute subtilissima & pertenui, quam Philyram vocant; illorum corticum, alii sunt ensium, alii pugionum longitudine; præter literas in iis non ineleganter exaratas, nescio quid atramenti aut pulvisculi plurimum venustatis addidit, argumentum scripturæ est integra quædam historia, in limine geminæ hæ voces præfixæ sunt, *Lingua Malabarica*, compactio bella est, inseritur per singula folia funiculus: exteriores quoque tabulæ videntur esse ex eodem ligno. Sunt hic etiam Chinensis editionis libri, nostris tum in elegantia, tum in commoditate longe inferiores; licet chartæ subtilitas mirabilis sit, nosque in hac arte chaliographica excogitanda natio illa anteverterit. Hæc ex Claudio Clemente Spizelius. Bibliothecæ hujus ostium instrato opere variatum, ex Germania huc delatum est. Pavimentum marmore splendet; arcuatum tabulatum variis picturis, librorum subjectorum materiæ, quam continent, respondet. Repositoria & plutei cuncti ex ligno Indico parati, & marginum extremitas in libris deaurata. Quinque ordines pluteorum sibi invicem impositi libros recipiunt, quisque centum passuum longitudine se extendens. Cernuntur hic Caroli V. Philippi II. III. & IV. effigies, ac aliquot globi, præcipue vero unus cœlestem & terrestrem globum cum planetarum cursu admirando artificio ante oculos ponens. Nulli monacho librum ex bibliotheca secum in conclave suum sumere licet, sed in bibliotheca ipsa studiis operam & tempus impendere unicuique integrum est. Ex hac in aliam bibliothecam deducuntur spectatores, hæc libris MSS. in suos pluteos dispositis referta est, inter quos Augustinus de sacro baptismate propria manu scriptus. Carolo cæsari, pro omnibus his libris quinquaginta mille coronatos oblatos fuisse narratur. Adest hic etiam papæ Pii V. mensa, qua in scribendo uti solebat: Et vetus Hierosolyma, ut tempore Christi fuisse creditur, ex ligno opere sectili artificiose confecta. Totum reliquum conclave effigiebus meris tectum inter alias, inspiciendum præbet Johannis Austriaci imaginem, cum duabus laternis, quibus in magno illo prælio navali anno 1571. usus est. *Hisp. descript. nov. pag. 165. 166. Ang. Rocch. app. biblioth. Vatic. pag. 386.* In hac bibliotheca sunt CCLXI. Arabici codices MSS. quorum catalogum *in appendice smegmatis Orientalis* exhibet *Hottingerus*: Græcorum vero MSS. catalogum habet *Possevinus in appendice apparatus sacri. & Spizel. sacr. biblioth.*

Maxima horum Arabicorum, ut & mss. librorum multitudo, incendio periit, anno 1671. nuntiante Mercurio Batavo, mense Junio.

Apud *Cæsaraugustam*, in monasterio Hieronymiano, bibliotheca est. *Hisp. descript. nov. pag. 321.* Atque hæc hactenus.

CAPUT. XI.

De variarum aliarum gentium bibliothecis.

Bibliothecas Christianorum per Europam lustravimus, superest ut apud alias gentes idem etiam conemur. Sunt sane populi, quorum historia aut nobis plane incognita, aut quorum tenuem admodum cognitionem habemus, qui quamvis extra orbem Europæum, imo & Christianum habitent, literas tamen & humanitatem, quantum in se est, colunt.

In hac classe primum se offerunt Chinenses, gens solers & industria, nec liberalium artium expers. Multi apud eos inveniuntur eruditi, qui post multos & improbos labores, ad solennes gradus & honores admittuntur, qui etiam prævio examine dignis conferuntur, & illis, qui apud Europæos frequentantur, respondent.

Primus *Sieucai* Baccalaureatum repræsentat. Isto gradu insigniti examini tamen & censuræ obnoxii sunt, adeo ut qui nullos progressus fecerunt, aut etiam defecerunt, aut publice vapulent, aut Baccalaureatus insignibus exuantur, & in vulgi ordinem rejiciantur, ne isto honore ornati in otio delitescant, & quod didicerint oblivioni tradant. Secundus literatorum gradus *Kiugin* appellatur, & cum nostrorum Licentiatorum ordine comparatur. Eorum examine legitime ad exitum perducto, regii, qui interfuerunt, præsides librum evulgant, quo totius examinis successus, licentiatorum nomina, & insigniores de qualibet proposita materia scriptiones in regnum immittuntur. Sed maxime illius scriptiones typis excuduntur, qui primum inter Licentiatos nomen sortitus est; hic liber eleganti imprimis charactere excuditur, ejusque aliquot exemplaria regi, & reliquis Palatinis offeruntur. Tertius ordo *Cinsu* appellatur, & Doctoratui nostrati respondet. Hujus quoque ordinis Renuntiatorum successus, peculiari volumine, ab examinantibus excuditur. Præter hunc librum alius etiam quotannis in lucem editur, quo doctorum omnium nomina, patria, parentes, officia, & quo in loco ea gerant, describuntur. Singulis mensibus bis excuduntur quinque aut sex volumina justæ magnitudinis, in quibus aliud legitur nihil, præter nomina, patriam & gradum eorum, qui

toto

toto regno id temporis magiſtratus gerunt, quæ toties recudi neceſſe eſt, propter quotidianas rerum viciſſitudines. Hæc gens ſcriptionibus magis quam eloquentia delectatur, adeo ut familiares etiam nuncii non verbo, ſed ſcripto, etiam intra eandem urbem fere tranſmittantur. Scribendi modum habent inſignem: ſingulis rebus ſingulos appingunt characteres, quod etſi memoriæ permoleſtum ſit, ingentem tamen affert commoditatem. Nam nationes, alioqui inter ſe diverſiſſimæ, hoc pacto, librorum literarumque commercio communicant, tametſi alia aliam alloquendo minime aſſequatur. Ita Japones, Corai, Cauciniæ, Leuhiæi communes habent libros, tametſi eos efferendo, ita inter ſe diſcrepent, ut alter alterius, ne verbum quidem intelligat, eundem tamen librorum ſenſum omnes aſſequantur. In ipſo quoque regno Chinæorum provinciæ ſingulæ ita fere ſermone inter ſe diſcrepant, ut nihil habeant omnino commune; & tamen librorum & literarum eſt omnibus commune commercium. Viguit etiam apud veteres, Græcos & Romanos, notarum uſus, quem periiſſe dolet Lipſius *epiſt. ad Leon. Leſſium, quæ eſt 27. Cent. 1. ad Belgas.* Multiplicis hujus ſcriptiones, & per hanc librorum multitudinis, triplex omnino cauſa eſſe videtur: quarum prima eſt copia æquivocationum; characterum, quibus utuntur, plurimum idem eſt ſonus, figura non eadem, uti neque ſignificatio. Unde fit, ut nullum aliud idioma æquivocum æque reperiatur, neque a loquentis ore ſcriptio aliqua excipi poteſt ab audientibus exſcribenda, nec ullus liber ab audientibus, cum prælegitur, intelligi, niſi librum eundem pro oculis habeant, & æquivocos vocum ſonos, quos aurium judicio minime diſtinguunt, oculorum fide, figuras intuentium, internoſcant. Imo etiam inter loquendum non raro evenit, ut alter alterius conceptum, accurate alioqui proferentis, & polite loquentis, minime aſſequatur, ita ut non ſolum repetere cogatur, ſed etiam ſcribere; ac ſi non ſit ad manum ſcriptorius apparatus, vel aqua ſupra menſam, vel digito in aëre, audientiſve manu characteres effinguntur, idque maxime inter literatos, vel eloquentes alioqui viros accidit, quo purius oraatiuſque & ad librorum ſcriptionem propius colloquantur. Secunda ratio, quia a cogendis cœtibus abhorrent, ideoque ſcriptis potius voluminibus, quam habitis ad populum ſermonibus, omnia neceſſaria evulganda ſunt. Tertia ratio, uſus typographiæ, quæ apud Chinenſes antiquior eſſe creditur, quam apud Europæos. Quomodo vero a noſtra differat, oſtendit *Salmuth. in Panciroll. lib. 2. tit. 12.* de his omnibus plura diſſeruntur a *Nicolao Trigantio*, *de Chriſtiana expeditione*

apud Sinas, lib. 1. capp. 4. 5. 6. & lib. 5. cap. 2. Hæc omnia dubitare nos non ſinunt, quin apud Chinenſes ab omni ævo bibliothecæ fuerint. Verum imperator eorum Chingus, ſeu Xius, extremæ ambitionis homo, quo priorum imperatorum omnium extingueret memoriam, famamque apud poſteros ſolus obtineret, edicto publico omnes libros Sinicos exuri juſſit, quo ſcelere inſigne dedecus apud poſteros invenit, unde præclaram ſibi famam ſperaverat. Exuſtionis hujus (quæ ante Chriſti epocham anno 215. contigit) authorem etiam Liſuum faciunt, qui oratione peculiari, in concilio quodam, in hunc finem inſtituto, igni huic oleum addiderit: Olim cum in plures dominos diviſa eſſent regna, non abnuebat neceſſaria fuiſſe literarum ſtudia, ut, quæ ad cujusque regni gubernationem pertinerent, ex libris promerentur. Nunc eviluiſſe hanc rationem, cum ſub unius imperio totus orbis conquieſcat, unius omnes nutum intueantur, unus ordo, una lex ſervanda, cui rei plura ſcire opus non ſit, at obeſſe potius. Non eſſe opus otioſis litigioſiſque literatoribus regnum oppleri, monetque impenſius imperatori invigilandum, ne quis libros habeat domi vel ſuæ vel alienæ, neve abſcondat, ſed quamprimum flammis addicat, etiam ſub mortis pœna denuntiandum; ſalvis tamen illis, qui de agricultura, medicina, & divinatione agunt. Exitioſa literis oratio hæc fuit, omnium quippe extemplo Sinenſium opera periere, nec ullam in indagandis libris diligentiam deſiderari patiebantur præfecti. Nihilominus tamen ſtudio & ingenio libri nonnulli Philoſophici ſervati, & ab interitu vindicati ſunt. Qua in re laudabilem operam, anum quandam librorum amantem collocaſſe, & Confutii ac Mentii, aliorumque ſcripta, paginis diviſis ad domus parietes agglutinaſſe referunt. Atque inde patet, qua ratione a quibuſdam libri Confutiani Sinicarum bibliothecarum antiquiſſimi nominentur, cum enim illi fere ſoli ab interitu fuerint vindicati, pro vetuſtiſſimis utique poſtea haberi potuerunt. Parum autem hac ratione in innocentes chartas ſeviiſſe ſe tyrannus credebat, ni ſupplicio ſimili, voluminum quorundam poſſeſſores, ſtudioſos & librorum tenaces, in montibus repertos exſtinxiſſet, & in forum protractos 460. cum libris cremari juſſiſſet. Propter hoc vero imperatoris in literarum ſtudia odium, quingentos philoſophos e Thienheng inſula in mare ſe præcipites dediſſe perhibent. *Spizel. de re liter. Sinenſ.* Confutius, cujus modo mentionem fecimus, quatuor antiquorum Philoſophorum volumina concinnavit, ipſeque quintum ſuo marte conſcripſit: hos libros quinque doctrinas appellavit. In his Ethica bene viven-

vivendi præcepta, veterumque exempla, ritus, ac sacrificia, quin & varia veterum poëmata, aliaque hujusmodi continentur. Præter hæc quinque volumina, e duobus pluribusve Philosophis, Consutio scilicet, ejusque discipulis in unum volumen redacta sunt varia nullo ordine præcepta, similia, sententiæ ethicæ, œconomicæ, politicæ. Id volumen, quia libris quatuor continetur, tetrabiblion vocatur. Hi novem libri sunt bibliothecarum Sinensium antiquissimi, & e quibus reliqui prope omnes prodierunt. Ab antiquissimis regibus lata lex est, multorum seculorum usu confirmata, ut qui literatus apud Sinas & esse & haberi velit, ex his libris suæ doctrinæ fundamenta habeat, in quibus non satis est, genuinum ut textus sensum assequantur, sed etiam, quod difficilius, subito de singulis possint sententiis apte scribere, ideo omnibus illud tetrabiblion ediscendum, ut hoc præstare possint. *Trigaut. lib. 1. cap. 5.* Deinceps vero librorum copia succrevit, adeo ut nobilis quidam ad Christum conversus, bibliothecam suam per totum triduum expurgaverit, ut omnes libros superstitiosos inde eximeret, quos emendaturis ignibus ipse daret, *id. lib. 4. cap. 20.* In monte *Lingmuen* bibliotheca est 30000. auctorum Sinicorum, quæ *Syuli* dicta est, quod præfectus ille eam inchoaverit. In fano *Venchung* ingens asservatur ad musæum regium librorum copia, quo in loco e vetustissimis regibus plurimi literarum studiis operam dederunt. *Spizel. de re liter. Sinensium.*

Martinus de Herrada cum sociis, *Anchei* in provincia *Ochiam*, vidit instructissimas bibliothecas, unde libros plures coëmtos secum in Europam advexit, emissetque plures, nisi prorex vetuisset. Timebat forte, ne, eorum lectione, in secretorum regni, quæ studiosissime externos celare satagunt, notitiam deveniret; humanitate tamen prohibitionem texit, asserens supervacaneos esse illos, in alieno regno, sumtus, se gratis, quoscunque voluissent, tributurum, quod postea non præstitit. Prius vero quam proregis mandatum ad eos deferretur, non exiguum librorum numerum comparaverant, *Mendoz. hist. Sinens. part. 1. lib. 3. cap. 16, 17.* Habent & calendaria sive ephemerides, in quibus illis dies læti aut atri prædicuntur, atque his non consultis nihil incipere solent. *vide Joh. Nienhof*, qui societatis Indicæ Orientalis ad regem Sinensium legationi interfuit, totamque historiam, tam itineris, quam ipsius regni Sinensis Belgico idiomate edidit, *descript. regn. Sinens. cap. 1. & 2. item 7. & 8.*

De urbe *Canta*, in regione *Cataia* narratur, esse ibi typographos arti-

Ecclesia Belgica ibidem initium bibliothecæ fecit. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.*

Londinenses Augustiniani, seculo XV. authore Joh. Lowe, nulli cesserunt. Johannes Tipitotus Anglus, Italiæ bibliothecas spoliasse dicitur, ut pulcherrimis eam bibliorum monumentis exornaret, ex *Balæo, Hotting. hist. eccl. N. T. part. 4. pag. 39.*

Academiæ Oxoniensis & Cantabrigiensis de antiquitate certant, utraque suas bibliothecas habet. Manuscriptorum catalogum concinnavit Thomas Jamesius. Apud *Oxonienses* sunt bibliothecæ collegii Mertonensis: Wintoniensis novi, in quo Richardus Angervile, episcopus Dunelmensis, φιλόβιβλος dictus, bibliothecam in usum studiosorum dedicavit. *Middend. de Acad. Christ. lib. 2. Bzov. ad annum 1332. num 12.* Humfredus Glocestriæ dux, bonarum literarum admirator maximus, scholam Theologicam exstruxit, & in ejus superiori parte bibliothecam instituit, centumque viginti novem selectissimis libris, quos magnis impensis ex Italia comparaverat, exornavit. Sed hos quorundam privata avaritia publico usui jam pridem invidit. *Cambdenus.*

Thomas Bodlæus eques hic bibliothecam condidit, quæ inter reliquas omnes caput tantum exeruit, quantum lenta solent inter viburna cupressi. *Const. Hugenius otior. lib. 1. ad acad. Oxon.* sic canit:

„Et modo Bodlejas congesta volumina Gazas,
„Rufe, tuis pariles, vel, Philadelphe, tuis:
„Pulpita Lutetiis tam nil debentia capsis,
„Quam Vaticano proxima, Roma, tuo.
„Et Martialis Britannicus Owenus, lectores alloquens:
„Quæritis authores? coram quem quæritis adsum,
„Quisque in classe sua classicus author ait.
„Tanti operis, quantum reliquo vix extat in orbe,
„Quæritis authorem? Bodleus author erat.

Item ad ipsam Oxoniensem academiam:

„Nulla tuæ par bibliothecæ est altera: nulla
„Ingenio par est bibliotheca tuo.

Cæpisse dicitur anno 1450. per Eduardum, sed temporis injuria adeo collapsa ut per Th. Bodleum, instituta potius, quæ restituta sit.

De scri-

Describit eam II. Casaubonus *epist. 745.* his verbis: *Opus vel rege dignum, nedum privato. Constat Bodleum ducenta millia librorum Gallicarum aut vivum aut morientem contulisse ad ornatum illius bibliothecæ. Locus est elegantissimus, qui figuram literæ T. exprimit. Partem, quæ stipitem erectum exprimit, olim princeps aliquis e saxo ædificaverat, opere satis magnifico, alteram partem Bodleus adjecit magnificentia parem priori. Inferior pars auditorium est Theologicum, cui, haud scio, an sit aliquod comparandum in Europa, opus est fornicatum, sed singulari artificio confectum. Superior pars est ipsa bibliotheca, valde affabre facta, & ingenti librorum copia referta. Noli cogitare similem hic reperiri librorum mss. copiam, atque est in regia. Sunt sane & in Anglia mss. non pauci, sed nihil ad regias opes. At librorum editorum admirandus est numerus, & qui incrementum quotannis est accepturus. Reliquit enim Bodleus annuos reditus in eam rem libri efferri non possunt. Patet vero bibliotheca per horas septem aut octo quotidie.* Hactenus Casaubonus.

Exteriori bibliothecæ frontispicio hæc inscripta: *Regnante Jacobo regum doctissimo, munific. optimo, hæ Musis extructa moles, congesta bibliotheca, & quæcunque adhuc deerant ad splendorem academiæ feliciter tentata, cœpta, absoluta. Soli Deo Gloria.*

In interiori bibliotheca occurrunt I. statua Bodlejo erecta, cum hac inscriptione: *Thomas Sackvilius, Comes Dorset, summus Angliæ Thesaurarius & hujus Academiæ Cancell. Thomæ Bodlejo Equiti Aurato, qui bibliothecam hanc instituit, Honoris gratia P. P.* II. pictura Bodlei suspensa, in cujus summa tabula hæc inscriptio:

Posteris & æternitati sacrum.
Thomæ Bodlæi, quicquid mortale, tabella,
Ingentemque animum bibliotheca refert.

A latere vero uno hoc ejus symbolum: DOMINUS ILLUMINATIO MEA. Ab altero ejus insignia. At in ima tabula hæc subscriptio:

Hospes rogatus siste,
Bodleumque loci genium, & Musarum
Mæcenatem, ultra Cæsares Augustum,
Qui bibliothecam, molemque hanc stupendam
Condidit, intuere.
Hoc volebam, nescius ne esses, Vale.

Auctaria quæ huic bibliothecæ accesserunt, docent hæ inscriptiones: *bibliothecam JOH. SELDENI, nitore ingenii, candore morum, præcellentia doctrinæ imparilis viri, heic repositam, Joh. Vaughan, Matt. Hale, Rolandus*

landus Jucks, Armigeri (quibus testamenti sui fidem mandavit) in duraturam tanti viri memoriam, & rei literariæ bono, amplissima huic Academiæ sacratum voluere.

Codices MSS. P. M. cIɔ ccc. *Hebr. Syr. Chald. Ægypt. Æthiop. Armen. Arab. Pers. Turc. Russiaci. Chin. Japan. Græc. Lat. Ital. Gall. Sax. Angl. Hibern. Ex dono reverendiss. in Christo Patris D. Gul. Laud. Cantuariensis Archiepisc. Academ. Oxon. honoratiss. Cancellarii.*

Codd. mss. diversi generis, ex dono Kenelmi Digbii Equitis Aurati. Anno 1634.

Codd. mss. Græci bibliotheca Barrocciana, ex dono Gul. Herbert, Comitis Pembroc. Honoratissimi academiæ Cancellarii. Anno 1629.

Cantabrigia tot bibliothecas habet, quot Collegia, duæ tamen excellunt, Publica Academiæ, quam Buckingamiæ Dux, occasione bibliothecæ Erpenianæ distractæ, auxit, multos possidet codices Arabicos. Ibidem antiquus Bezæ codex quatuor evangeliorum, cum epistola, custoditur. Altera collegii Benedicti; vastum & capax conclave, ubi nullis nisi mss. codicibus hospitium præbetur: Veteri Saxonicæ linguæ multa ibi documenta. Vetus exemplar Virgilii, archiepiscopi cujusdam manu exaratum. Fasciculus epistolarum Calvini, Zwinglii, Oecolampadii, Carolostadii, Melanchtonis, Buceri. Præterea in collegio Johannis, ubi prima pars historiæ Elmacini, Syriacis exarata literis: in collegio Trinitatis, monumenta Arabica plura impressa, quam mss. In aula Claræ, major Hebraicorum, quam Arabicorum numerus. *Hotting. biblioth. quadrip. proleg. cap. 2.*

HOLSATIA.

Henricus Ranzovius, vir illustris, in arce sua Bredenburga, insignem instruxit bibliothecam, in ea sex millia, & trecenti libri præter æneas tabulas diversi generis, statuas marmoreas, globos, mappas geopraphicas, astrolabia, horologia, & alia id genus mathematica instrumenta. *Beyerl. theatr. vit. hum.* in eam, ut & in armamentarium Bredenburgense, hoc epigramma scripsit Petrus Lindebergius: *delic. Poët. Germ. part. 3. pag. 1205.*

Non satis est armamentaria condere magna,
Bibliotheca etiam condita pulcra tibi est.
Pacis ut & belli, Ranzoi, munia cures,
Utrumque & subeas Martis & Artis opus.

DANIA

In academia Hafniensi bibliothecam habet, cui suam totam legavit

gavit Andreas Lymvicus Medicinæ ibidem professor; insigni copia librorum Theologicorum, Medicorum, & Philosophicorum instructissima. Anno 1603. *Bart. Cist. Med. Hafn. pag. 136.* Henricus Fuirenius ejusdem academiæ medicus eidem universitati bibliothecam Medicam, in palatio supra templum SS. Trinitatis collocandam, legavit. Ejus catalogum edidit Thomas Fuiren. Henrici frater, Hafniæ 1660. qui ex sua quoque bibliotheca supplevit, quæ desiderari videbantur, ita ut in universum bibliotheca hæc jam constet voluminibus 1205. medicis publico usui dedicatis. Sub-bibliothecario autem publico, 300. imperiales idem Henricus legaverat. *Barth. lib. cit. pag. 615.* Anno 1679. 14. Martii st. novo, Hafniæ insignis bibliotheca Greiffenfeltii conflagravit. *Merc. Batav.*

SUECIA

In academia Upsaliensi insignem bibliothecam habet, cura Christinæ reginæ congestam; ubi servatur exemplar Alcorani, quod quidam putant ab imp. Turcarum, Romanorum imperatori dono missum esse. In urbe Gothlandiæ *Wisbii* bibliotheca quondam asservata, quæ duo millia codicum vetustissimorum, præter ingentem aliorum continuit. *Loccen. antiq. Sueogoth. l. 2. c. 15.*

POLONIÆ

Reges *in arce Vilnensi* pretiosissimam bibliothecam erexisse, ex Mart. Cromero, & Th. Bozio probat *Middent. de acad. lib. 5. pag. 333.*

Anno 1611. Jesuitarum discipuli, Vilnæ, non tantum evangelii ministros male tractarunt, sed etiam bibliothecas, tam ecclesiæ, quam ministrorum splendidas, partim combusserunt partim asportarunt. *Regenv. hist. eccl. Slavon. lib. 2. cap. 16.*

Anno 1623. 28. Augusti, oppidum Ostrorogum potiori parte exustum, cum ædibus parochialibus, & insigni bibliotheca Matthiæ Rybinii senioris, ante e vivis sublati, & Martini Gratiani Gertichii, itidem senioris, quæ supra quatuor millia fuit æstimata, templo tamen, quod ignivoma flamma undique cinctum fuerat, integro manente. *ibidem cap. 14.* Memoria dignum, quod narrat Anonymus ille, qui annotationibus illustravit visiones Stephani Melisch Pragensis, civis Lesnensis in Polonia: ad visionem XII. Lesna a Suecis capta & incensa, cum cives Czirnam Silesiæ oppidum 4. horas inde dissitum se recepissent, atq; inde patriæ suæ fumos spectarent, quos cum boreas nubibus permixtos super Silesiam agebat, decidebant etiam cum favillis ambusta bibliothecarum folia. Interque alia ex bibliis Bohemicis unum,

semiambustum, cui verba hæc (ex Matth. 7. 2. *Qua mensura mensi fueritis, eadem rementientur vobis*, præ cæteris illæsa evidentissime legi poterant. Multi hujus rei oculati testes. Folium ipsum generosus D. A. S. loci dominus ad se perferri curavit, asservandumque inter sua cimelia reposuit. Hujus rei meminit & ipse Melischius epistola, data 24. Julii. 1666. ubi addidit, alio in folio fuisse lectum: *Dominus judicabit terram.* Item in alio: *Verbum Domini manebit in æternum.*

Anno 1668. orta Dantisci seditione, Carmelitarum monasterium una cum bibliotheca, direptum est. *Merc. Batav.*

In *academia Cracoviensis* collegio Theologico-Philosophico majore (duo enim sunt) bibliotheca insignis est. *Cellar. descript. Polon. pag. 143.*

BORUSSIA

In arce Regiomontana bibliothecam habet: in ea repositorium quoddam libros in folio & quarto complectitur; cunctos argento circumclusos, ex quibus unus ab Alberto primo, Duce Borussiæ, propria manu scriptus, in gratiam filii, cui subditos suos bene & christiane regendi modum & rationem præscripsit. *ex Olear. Itiner. Cellar. descript. Polon. p. 561.* Huic bibliothecæ multum se debere profitetur Chemnitius.

Apud *Thorunienses* rem literariam summis viribus promovit *Henricus Strobandus* erecto gymnasio, secutus rationem a Jacobo Sturmio, libellis editis monstratam: intra hujus gymnasii limina, publicam bibliothecam, cum plerisque Europæis certantem dedicavit, ejusque σκιαγραφίαν, si quis forte imitari velit, delineavit. Ex qua alia postea nata est, ipsius itidem auspiciis, in curia civitatis constituta, Historicis ac Juridicis libris referta: in qua selectissimam partem privatæ suæ bibliothecæ servare solitus erat. Idem pro pio erga orthodoxas ecclesias Polonicas affectu, editionem bibliorum Polonicorum, ex Hebraicis Græcisque fontibus versorum, animo conceperat, & rationem sumtus, ad hoc opus conficiendum, tam pro interpretibus, quam pro typographis necessarios, comparandi, jam prope assecutus fuerat, nisi mors immatura huic christiano instituto manus injecisset: quæ tanto magis Polonis est lugenda, quod etiamnum bibliis orthodoxis carere illos vulgo oporteat, postquam illa quæ illustrissimus Princeps *Nicolaus Razivvil, dux Olicæ & Niesvvicensis*, magnis sumtibus, (*Regenvolsc. hist. eccl. Slav. pag. 142.*) Polonis dederat, malitia adversariorum coëmta, & Vulcano sunt tradita: quam sortem etiam Novum Testamentum,

mentum, Henrici Strobandi impensis, in ecclesiarum Polonicarum usum, secundum Vilnense exemplar impressum, expertum est. *M. Adam. in vita Henr. Strobandi. JCti.* In eadem urbe, Augustanæ confessioni addicti suam habent bibliothecam, in qua duæ Ciceronis epistolæ, cereis tabulis inscriptæ, ostenduntur. *Cellar. descript. Polon. pag. 505.*

HISPANIA.

Sicuti Europæ terminos claudit, ita & hujus catalogi finis futura est. Scholas & academias habet florentissimas. Earum catalogus editus est in 4. Francof. 1608. hoc titulo: *Bibliotheca Hispaniæ, seu de academiis & bibliothecis, item elogia & nomenclator clarorum Hispaniæ scriptorum.* Mihi nondum visus, ejus meminerunt *Draudius & Bolduanus.*

Corduba olim Mauri regiam scholam & insignem bibliothecam habuerunt, ubi Arabicæ literæ tradebantur. Postquam vero 600. annos ibi regnassent, a Ferdinando Hispaniæ rege exturbati sunt. *Middend. de acad. lib. 2. Surius pag. 285.*

Ferdinandus Colon, filius Christophori, cui debemus repertas Indias, *Hispali* adornaturus bibliothecam, Clenardi opera usus est. *Clenard. epist. 21. 22. lib. 2.* In ea duodecim millia librorum fuerunt: postea Seviliam translata, in monasterium Dominicanorum. *Verdier. lect. var. lib. 4. cap. 30.*

Ferdinandus Nonius comparatis, magno pretio, in Italia, Græcis exemplaribus, primus linguæ illius usum in Hispaniam intulit. Primo Compluti, deinde Salmanticæ literas Græcas & Latinas professus est, atque huic scholæ cælebs moriens bibliothecam legavit. *Thuan. hist. lib. XI.*

Fr. *Franciscus Ximenes* archiepiscopus Toletanus, bibliothecam insignem *Compluti* instituit. Universitatem Complutensem erexit. Biblia Complutensia edidit. anno 1510. Præterea in Hispania celebrantur bibliothecæ *Ben. Ariæ Montani*; *Antonii Augustini*, *archiepiscopi Tarraconensis*: *Michaëlis Thomasii episcopi Ilerdensis. Angelus Rocch. append. biblioth. Vatic. pag. 386.*

Non omittendum superbum illud *D. Laurentii monasterium in Escuriali*, quinto a Madritio milliari. Opus Philippi II. in memoriam victoriæ adversus Gallos, ad S. Quintinum in Picardia, anno 1557. ipso die Laurentio sacro, obtentæ, quo viso.

Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
Assiduus jactet nec Babylona labor.

 Quod

ſtudioſo manuſcripta. Inſuper longe lateque miſſi a rege viri docti in Italiam, Germaniam, Belgium, Hiſpaniam, qui librarıo huic theſauro locupletando res eximias ejuſdem generis perveſtigarent. *Ambroſius de Morales*, *doctor Johannes Paes*, *Julius Clarus*, & plurimi alii viri docti præclara ſui monumenta hic reliquerunt, quorum alia non abſolverant, alia jam abſoluta in lucem nondum ediderant: præterea certos alios peculiares libros quos habebant clariſſimos. *Arias Montanus* præclaros codd. mss. Græcos, Hebræos, & Arabicos in hoc Sophiæ templo dedicavit, ac inprimis volumen legis maximo ſtudio & cura ſcriptum, ea forma, qua volumina eſſe conſueverant, tantaque fide, ut nec puncto defectum ſit vel abundet, quod proinde *ſacrum* ab illis appellatur. Pugillar Hebræum gemini uſus, e quo nimirum recitabantur ſolennes lectiones ſacræ per omne ſabbathum. Erat præterea inſtar manualis codicilli, in quem referebatur ſi quid peculiare perſcribendum eſſet, de hujuſmodi tabellis intelligendus locus Luc. 1. 63. Siclum Judaïcum, de quo ipſe Arias diſputat eo libro, quem *Tubalcain* inſcripſit, ibidemque expoſuit quam mirabili caſu in ipſius manus venerit, &c. Non commemoro quæ hic habentur ſacra biblia pervetuſta, ſcripta literis Goticis & Longobardicis, luculentum teſtimonium ſinceritatis lectionis antiquæ. Rara res eſt, & plane eximia primigenius quidam codex ipſius D. Auguſtini manu ſcriptus, & inſcriptus *de baptiſmo parvulorum*; literarum forma & ſpecies majuſcularum noſtrarum ſimilis eſt, qualis eo tempore in uſu erat apud Vandalos late in Africa dominantes. Diu librum hunc Philippus II. inter ſacras reliquias habuerat, cum eum juſſit in abaco ſcriptorio in bibliotheca cum rebus pretioſioribus recondi. Interrogatus aliquando, unde conſtaret re vera eſſe D. Auguſtini? reſpondit, id ſe ita accepiſſe ab amita ſua Caroli V. Imp. ſorore, a qua illum habuerat tanquam rem percaram & antiquiſſimam. Aliud volumen habuit ab eadem amita regina, quod D. Joh. Chryſoſtomi olim fuiſſe creditum eſt: in eo perſcripta ſunt evangelia, quæ totius anni decurſu pro more in eccleſia recitari ſolent. Eſt & aliud exemplar mss. Apocalypſeos, auraria & argentaria pictura ſatis eleganter illuminatum, adſcriptis miniato charactere commentariis, ducentis annis (ut quidem videtur) haud vetuſtius. Item alius quatuor evangeliorum liber, aureis literis in pereleganti membrana pergamena ſcriptus, compactus tabulis, atque attalico texto opertus; ſic eum ſcribi juſſit Henricus II. imp. uti fuerat inchoatus Conradi imp. juſſu, longus eſt ulmæ dodrantem, juſta proportione latus. Sacer ille textus euangeliorum cum præfationibus & epiſtolis D. Hieronymi, & cano-

canonibus Eusebii Cæsariensis 165. foliis continetur, circiter 600. anni sunt cum scriptus est, nusquam tamen pictura, scripturave evanuit: imo adeo integra, florida & splendida est, ut opus nudius tertius absolutum credas: in primo folio pictus in mediis nubibus Christus vindex noster circumfusus angelorum multitudine, in solio sedens, sinistra manu librum tenet, dextera Conrado & Gilesiæ uxori ad ipsius genua provolutis benedicit: in paginæ ambitu sunt quidam versus pro inculti seculi elegantia. Altera pagina Deiparam Virginem exhibet in solio sublimem, ac supplices Henricum & Agneten genibus nixos, regio tamen habitu & titulis, videlicet nondum imperatoria inauguratione consecratos; nec etiam desunt versus in ora paginæ majore pietate quam elegantia. Erasmus Roterod. codicem hunc, quem *aureum* appellat, mirifice extollit, ac profitetur se legitimas ac germanas quasdam lectiones inde eruisse, quas in aliis exemplaribus haud repererat, nec nisi solenni quadam pompa, & accensis tædis sibi monstratum refert. Eum tunc possidebat Margarita Maximiliani filia, Johannis principis uxor, venit postea in manus Mariæ reginæ, quæ illum cum tribus aliis, de quibus mentio superius facta est, dedit Philippo II. Caroli V. fratris sui filio. Plura Ambrosius de Morales de hoc codice aureo, in vita comitissæ Mathildis de Canosa, qui commentarius hic quoque inter alia ejusdem monumenta habetur. Item biblia Græca imp. Cantacuzeni, valde consentientia cum versione LXX. interp. quæ prodiit opera Card. Carafæ. Itidem duo grandia volumina Gothico charactere, in quæ relata sunt concilia & decreta a primo Nicæno ad undecimum Toletanum, cum multis aliis operibus eximiis, quæ referre longum sit. Alterum scriptum est æra millesima a Sibuto episcopo: alterum anno 979. a Vigila Presbytero S. Martini de Alvelda, ob id codex Vigilanus dictus: continet etiam multa concilia a primo Nicæno ad 17. aut 18. Toletanum, additis plurimis literis pontificum, & sanctorum, nec non antiquitatibus Ecclesiasticis. Est præterea alius tomus conciliorum eadem scriptura, anno 911. scriptus. Præter hæc monumenta venerandæ antiquitatis sunt alia quædam mss. exemplaria SS. patrum Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Chrysostomi, atque aliorum; inter quæ opera extant non paucæ homiliæ, orationes, aliique tractatus nunquam in lucem editi; grandes & pervetusti tomi vitæ Sanctorum eadem lingua; tabellæ nobilium artificum, aliæ ex formarum planæ scalpturæ prototypis; aliæ penicillo pictæ in libris ingenti numero compactæ; plurimaque id genus rara & curiosa, atque hujus

hujus literariæ apothecæ propria servantur in arculis & abacis scriptoriis, quæ referre infinitum esset. Prisca scribendi ratio in papyro Ægyptiaca hic visitur. Quin & illa antiquior in arborum extima cute subtilissima & pertenui, quam Philyram vocant; illorum corticum, alii sunt ensium, alii pugionum longitudine; præter literas in iis non ineleganter exaratas, nescio quid atramenti aut pulvisculi plurimum venustatis addidit, argumentum scripturæ est integra quædam historia, in limine geminæ hæ voces præfixæ sunt, *Lingua Malabarica*, compactio bella est, inseritur per singula folia funiculus: exteriores quoque tabulæ videntur esse ex eodem ligno. Sunt hic etiam Chinensis editionis libri, nostris tum in elegantia, tum in commoditate longe inferiores; licet chartæ subtilitas mirabilis sit, nosque in hac arte chaliographica excogitanda natio illa anteverterit. Hæc ex Claudio Clemente Spizelius. Bibliothecæ hujus ostium instrato opere variatum, ex Germania huc delatum est. Pavimentum marmore splendet; arcuatum tabulatum variis picturis, librorum subjectorum materiæ, quam continent, respondet. Repositoria & plutei cuncti ex ligno Indico parati, & marginum extremitas in libris deaurata. Quinque ordines pluteorum sibi invicem impositi libros recipiunt, quisque centum passuum longitudine se extendens. Cernuntur hic Caroli V. Philippi II. III. & IV. effigies, ac aliquot globi, præcipue vero unus cœlestem & terrestrem globum cum planetarum cursu admirando artificio ante oculos ponens. Nulli monacho librum ex bibliotheca secum in conclave suum sumere licet, sed in bibliotheca ipsa studiis operam & tempus impendere unicuique integrum est. Ex hac in aliam bibliothecam deducuntur spectatores, hæc libris MSS. in suos pluteos dispositis referta est, inter quos Augustinus de sacro baptismate propria manu scriptus. Carolo cæsari, pro omnibus his libris quinquaginta mille coronatos oblatos fuisse narratur. Adest hic etiam papæ Pii V. mensa, qua in scribendo uti solebat: Et vetus Hierosolyma, ut tempore Christi fuisse creditur, ex ligno opere sectili artificiose confecta. Totum reliquum conclave effigiebus meris tectum inter alias, inspiciendum præbet Johannis Austriaci imaginem, cum duabus laternis, quibus in magno illo prælio navali anno 1571. usus est. *Hisp. descript. nov. pag. 165. 166. Ang. Rocch. app. biblioth. Vatic. pag. 386.* In hac bibliotheca sunt CCLXI. Arabici codices MSS. quorum catalogum *in appendice smegmatis Orientalis* exhibet *Hottingerus*: Græcorum vero MSS. catalogum habet *Possevinus in appendice apparatus sacri. & Spizel. sacr. biblioth.*

Maxima horum Arabicorum, ut & mss. librorum multitudo, incendio periit, anno 1671. nuntiante Mercurio Batavo, mense Junio.

Apud *Cæsaraugustam*, in monasterio Hieronymiano, bibliotheca est. *Hisp. descript. nov. pag. 321.* Atque hæc hactenus.

CAPUT. XI.

De variarum aliarum gentium bibliothecis.

Bibliothecas Christianorum per Europam lustravimus, superest ut apud alias gentes idem etiam conemur. Sunt sane populi, quorum historia aut nobis plane incognita, aut quorum tenuem admodum cognitionem habemus, qui quamvis extra orbem Europæum, imo & Christianum habitent, literas tamen & humanitatem, quantum in se est, colunt.

In hac classe primum se offerunt Chinenses, gens solers & industria, nec liberalium artium expers. Multi apud eos inveniuntur eruditi, qui post multos & improbos labores, ad solennes gradus & honores admittuntur, qui etiam prævio examine dignis conferuntur, & illis, qui apud Europæos frequentantur, respondent.

Primus *Siencai* Baccalaureatum repræsentat. Isto gradu insigniti examini tamen & censuræ obnoxii sunt, adeo ut qui nullos progressus fecerunt, aut etiam defecerunt, aut publice vapulent, aut Baccalaureatus insignibus exuantur, & in vulgi ordinem rejiciantur, ne isto honore ornati in otio delitescant, & quod dedicerint oblivioni tradant. Secundus literatorum gradus *Kiugin* appellatur, & cum nostrorum Licentiatorum ordine comparatur. Eorum examine legitime ad exitum perducto, regii, qui interfuerunt, præsides librum evulgant, quo totius examinis successus, licentiatorum nomina, & insigniores de qualibet proposita materia scriptiones in regnum immittuntur. Sed maxime illius scriptiones typis excuduntur, qui primum inter Licentiatos nomen sortitus est; hic liber eleganti imprimis charactere excuditur, ejusque aliquot exemplaria regi, & reliquis Palatinis offeruntur. Tertius ordo *Cinsu* appellatur, & Doctoratui nostrati respondet. Hujus quoque ordinis Renuntiatorum successus, peculiari volumine, ab examinantibus excuditur. Præter hunc librum alius etiam quotannis in lucem editur, quo doctorum omnium nomina, patria, parentes, officia, & quo in loco ea gerant, describuntur. Singulis mensibus bis excuduntur quinque aut sex volumina justæ magnitudinis, in quibus aliud legitur nihil, præter nomina, patriam & gradum eorum, qui

toto

toto regno id temporis magistratus gerunt, quæ toties recudi necesse est, propter quotidianas rerum vicissitudines. Hæc gens scriptionibus magis quam eloquentia delectatur, adeo ut familiares etiam nuncii non verbo, sed scripto, etiam intra eandem urbem fere transmittantur. Scribendi modum habent insignem: singulis rebus singulos appingunt characteres, quod etsi memoriæ permolestum sit, ingentem tamen affert commoditatem. Nam nationes, alioqui inter se diversissimæ, hoc pacto, librorum literarumque commercio communicant, tametsi alia aliam alloquendo minime assequatur. Ita Japones, Corai, Cauciniæ, Leuhiæi communes habent libros, tametsi eos efferendo, ita inter se discrepent, ut alter alterius, ne verbum quidem intelligat, eundem tamen librorum sensum omnes assequantur. In ipso quoque regno Chinæorum provinciæ singulæ ita fere sermone inter se discrepant, ut nihil habeant omnino commune; & tamen librorum & literarum est omnibus commune commercium. Viguit etiam apud veteres, Græcos & Romanos, notarum usus, quem periisse dolet Lipsius *epist. ad Leon. Lessium, quæ est 27. Cent. 1. ad Belgas.* Multiplicis hujus scriptiones, & per hanc librorum multitudinis, triplex omnino causa esse videtur: quarum prima est copia æquivocationum; characterum, quibus utuntur, plurimum idem est sonus, figura non eadem, uti neque significatio. Unde fit, ut nullum aliud idioma æquivocum æque reperiatur, neque a loquentis ore scriptio aliqua excipi potest ab audientibus exscribenda, nec ullus liber ab audientibus, cum prælegitur, intelligi, nisi librum eundem pro oculis habeant, & æquivocos vocum sonos, quos aurium judicio minime distinguunt, oculorum fide, figuras intuentium, internoscant. Imo etiam inter loquendum non raro evenit, ut alter alterius conceptum, accurate alioqui proferentis, & polite loquentis, minime assequatur, ita ut non solum repetere cogatur, sed etiam scribere; ac si non sit ad manum scriptorius apparatus, vel aqua supra mensam, vel digito in aëre, audientisve manu characteres effinguntur, idque maxime inter literatos, vel eloquentes alioqui viros accidit, quo purius ornatiusque & ad librorum scriptionem propius colloquantur. Secunda ratio, quia a cogendis cœtibus abhorrent, ideoque scriptis potius voluminibus, quam habitis ad populum sermonibus, omnia necessaria evulganda sunt. Tertia ratio, usus typographiæ, quæ apud Chinenses antiquior esse creditur, quam apud Europæos. Quomodo vero a nostra differat, ostendit *Salmuth. in Panciroll. lib. 2. tit. 12.* de his omnibus plura disseruntur a *Nicolao Trigautio, de Christiana expeditione*

apud Sinas, lib. 1. capp. 4. 5. 6. & lib. 5. cap. 2. Hæc omnia dubitare nos non ſinunt, quin apud Chinenſes ab omni ævo bibliothecæ fuerint. Verum imperator eorum Chingus, ſeu Xius, extremæ ambitionis homo, quo priorum imperatorum omnium extingueret memoriam, famamque apud poſteros ſolus obtineret, edicto publico omnes libros Sinicos exuri juſſit, quo ſcelere inſigne dedecus apud poſteros invenit, unde præclaram ſibi famam ſperaverat. Exuſtionis hujus (quæ ante Chriſti epocham anno 215. contigit) authorem etiam Liſuum faciunt, qui oratione peculiari, in concilio quodam, in hunc finem inſtituto, igni huic oleum addiderit: Olim cum in plures dominos diviſa eſſent regna, non abnuebat neceſſaria fuiſſe literarum ſtudia, ut, quæ ad cujusque regni gubernationem pertinerent, ex libris promerentur. Nunc eviluiſſe hanc rationem, cum ſub unius imperio totus orbis conquieſcat, unius omnes nutum intueantur, unus ordo, una lex ſervanda, cui rei plura ſcire opus non ſit, at obeſſe potius. Non eſſe opus otioſis litigioſiſque literatoribus regnum oppleri, monetque impenſius imperatori invigilandum, ne quis libros habeat domi vel ſuæ vel alienæ, neve abſcondat, ſed quamprimum flammis addicat, etiam ſub mortis pœna denuntiandum; ſalvis tamen illis, qui de agricultura, medicina, & divinatione agunt. Exitioſa literis oratio hæc fuit, omnium quippe extemplo Sinenſium opera periere, nec ullam in indagandis libris diligentiam deſiderari patiebantur præfecti. Nihilominus tamen ſtudio & ingenio libri nonnulli Philoſophici ſervati, & ab interitu vindicati ſunt. Qua in re laudabilem operam, anum quandam librorum amantem collocaſſe, & Confutii ac Mentii, aliorumque ſcripta, paginis diviſis ad domus parietes agglutinaſſe referunt. Atque inde patet, qua ratione a quibuſdam libri Confutiani Sinicarum bibliothecarum antiquiſſimi nominentur, cum enim illi fere ſoli ab interitu fuerint vindicati, pro vetuſtiſſimis utique poſtea haberi potuerunt. Parum autem hac ratione in innocentes chartas ſeviiſſe ſe tyrannus credebat, ni ſupplicio ſimili, voluminum quorundam poſſeſſores, ſtudioſos & librorum tenaces, in montibus repertos exſtinxiſſet, & in forum protractos 460. cum libris cremari juſſiſſet. Propter hoc vero imperatoris in literarum ſtudia odium, quingentos philoſophos e Thienheng inſula in mare ſe præcipites dediſſe perhibent. *Spizel. de re liter. Sinenſ.* Confutius, cujus modo mentionem fecimus, quatuor antiquorum Philoſophorum volumina concinnavit, ipſeque quintum ſuo marte conſcripſit: hos libros quinque doctrinas appellavit. In his Ethica bene viven-

vivendi præcepta, veterumque exempla, ritus, ac sacrificia, quin & varia veterum poëmata, aliaque hujusmodi continentur. Præter hæc quinque volumina, e duobus pluribusve Philosophis, Confutio scilicet, ejusque discipulis in unum volumen redacta sunt varia nullo ordine præcepta, similia, sententiæ ethicæ, œconomicæ, politicæ. Id volumen, quia libris quatuor continetur, tetrabiblion vocatur. Hi novem libri sunt bibliothecarum Sinensium antiquissimi, & e quibus reliqui prope omnes prodierunt. Ab antiquissimis regibus lata lex est, multorum seculorum usu confirmata, ut qui literatus apud Sinas & esse & haberi velit, ex his libris suæ doctrinæ fundamenta habeat, in quibus non satis est, genuinum ut textus sensum assequantur, sed etiam, quod difficilius, subito de singulis possint sententiis apte scribere, ideo omnibus illud tetrabiblion ediscendum, ut hoc præstare possint. *Trigaut. lib. 1. cap. 5.* Deinceps vero librorum copia succrevit, adeo ut nobilis quidam ad Christum conversus, bibliothecam suam per totum triduum expurgaverit, ut omnes libros superstitiosos inde eximeret, quos emendaturis ignibus ipse daret, *id. lib. 4. cap. 20.* In monte *Lingmuen* bibliotheca est 30000. auctorum Sinicorum, quæ *Syuli* dicta est, quod præfectus ille eam inchoaverit. In fano *Venchung* ingens asservatur ad musæum regium librorum copia, quo in loco e vetustissimis regibus plurimi literarum studiis operam dederunt. *Spizel. de re liter. Sinensium.*

Martinus de Herrada cum sociis, *Auchei* in provincia *Ochiam*, vidit instructissimas bibliothecas, unde libros plures coëmtos secum in Europam advexit, emissetque plures, nisi prorex vetuisset. Timebat forte, ne, eorum lectione, in secretorum regni, quæ studiosissime externos celare satagunt, notitiam deveniret; humanitate tamen prohibitionem texit, asserens supervacaneos esse illos, in alieno regno, sumtus, se gratis, quoscunque voluissent, tributurum, quod postea non præstitit. Prius vero quam proregis mandatum ad eos deferretur, non exiguum librorum numerum comparaverant, *Mendoz. hist. Sinens. part. 1. lib. 3. cap. 16, 17.* Habent & calendaria sive ephemerides, in quibus illis dies læti aut atri prædicuntur, atque his non consultis nihil incipere solent. *vide Joh. Nieuhof*, qui societatis Indicæ Orientalis ad regem Sinensium legationi interfuit, totamque historiam, tam itineris, quam ipsius regni Sinensis Belgico idiomate edidit; *descript. regn. Sinens. cap. 1. & 2. item 7. & 8.*

De urbe *Canta*, in regione *Cataia* narratur, esse ibi typographos

 arti-

artifices, qui libros, historias & sacrorum cæremonias continentes, more nostro imprimant, quorum longissima folia introrsus quadrata serie complicentur, cujus generis volumen, a Lusitaniæ rege dono missum, Leo X. Pontifex ostendit P. Jovio, vide ejus *hist. l. 14.*

Apud Apabes primus scripturæ repertor fuit *Moramerus filius Morra Anbariensis.* Ab Anbariensibus in reliquam Arabiam hæc ars manavit. *Hamyarensibus* tamen scribendi artem jam antea notam fuisse in confesso est. Horum characteres ab illis, quibus utuntur Arabes multum diversi, quod genus scripturæ Al Mosnad vocabant, literis inter se implexis minimeque distinctis, quas tamen vulgo discere non permittebant, nec cuipiam, nisi post impetratam ab ipsis veniam, iisdem utendi facultatem. Ita *calamus Hamyarensis & calamus Arabicus* distincti fuerunt. Arctis tamen hoc Morameri inventum inclusum fuit limitibus. Ipse Muhamedes legendi scribendique imperitus, ideoque Propheta illiteratus dictus est. Judæos & Christianos populum libri vocant, non solum quod ipsis libri, religionis eorum præcepta continentes, dati sint, sed & quod literas didicissent, contra ac Arabes Meccenses, qui ea, qua nati sunt, ignorantia, totam vitam ducebant. Chadijiæ Muhammedis uxori cognatus fuit Warakah nomine, qui Christianus, & Hebraice scribendi peritus fuit. Mira est Muhammedis fabula de mensa, in principio a Deo creata, cui omnia inscribantur, & penna, qua Deus utitur, longitudinis quingentorum annorum itineris, latitudinis octoginta. Cum in lucem prodiret Alkoranus, ac inter homines dispergeretur, in tota regione Yaman nullus fuit, qui Arabice legere aut scribere nosset. Ex ipsius, Muhammedis sociis (sive ante vel post promulgatam ipsius doctrinam scribere didicerint) qui scribendi rationem callerent, recensentur inter cæteros *Othman*, *Ali*, *Zeid*, *Abu Ebn Caab:* cui misisse dicitur Othman scapulam ovis in qua essent] literæ, quas ille concinnavit. Scapula autem est os latum ad radicem humeri animalis, in quo, ob inopiam chartæ apud ipsos, scribere solebant. Hanc artem *Koraishita* a *Basharo* quodam *Cendiensi Anbiarensium* jam memoratorum discipulo acceperunt, qui Meccam profectus, & sorore *Abu Sofyani* in uxorem ducta, hoc illis inventum communicavit, quod non multis, ante institutam a Muhammede religionem, annis contigit. Post excessum vero Muhammedis tanta copia diversarum narrationum, legum, librorumque de gestis, dictisque Muhammedis fuit, ut rex ipsorum omnes doctores omnia sua exemplaria Damascum comportare jusserit,

rit,

rit, exploratum quæ ſervari, quæ aboleri oporteret. Ubi primum ex ducentis doctoribus ſex electi, qui librum *Zuna* componerent de dictis & factis Muhammedis, cui omnes in poſterum acquieſcerent; quod & factum, nam hi ſex ejus libros, ſinguli unum, confecerunt: cætera exemplaria quæ advexerant omnia, tot numero ut ducentos facile camelos oneraſſent, in profluentem demerſa. Interim characteres a Moramero effictos, ac diu apud Arabes retentos ſatis rudes fuiſſe conſtat, quales ſcil: *Kufienſes* vocant, quos in librorum titulis ac lapidibus inſculptos videre eſt, nec aliis deſcriptum olim Alcoranum teſtantur folia aliquot antiqua, literis ſemiuncialibus in pergameno exarata, quæ *Johannes Gravius* ſecum ex Ægypto detulit. Elegantiores iſti, quibus jam utuntur, non niſi trecentis fere poſt Muhammedem annis ad *Ebn Moklah* concinnati, deinde ab *Ali Ebn Bovvab* celebri calligraphias artifice ad perfectionem perducti ſunt. Quod interim ſarta tecta ſervaretur lingua, ſine literarum præſidiis, poëſi ſuæ debuiſſe videtur. Cujus inter laudes hoc quoque beneficium enumerant, quod & linguæ Arabicæ conſervatio, & ſermonis proprietas ac elegantia ei debeatur. Poëmata illis erant vice commentariorum, quorum beneficio imperturbatæ ſervabantur genealogiarum ſeries, &, ne oblivioni traderentur res geſtæ memoratu dignæ, cavebatur. Poëmata illis olim erant, ἐγκυκλοπαιδείας pandectæ, ultimus ſapientiæ eorum terminus, unde quæ illis uſui depromebant, & quo omnia deferebant. Magna ergo contentione hanc alii aliis palmam præripere ſtudebant, nullum illis certius nobilitatis, & ingenui ortus argumentum, nihil quod ſibi magis gloriæ ducerent, quam carmine animi conceptus expedite ac eleganter exprimere. In celebri iſta πανηγύρει, *Forum Ocadhi* dicta, ubi quotannis per menſem integrum conveniebant, id fere agebant, ut hoc certamine famam ſibi compararent, imo ab hoc eorum facto, magis quam a rebus venum expoſitis nomen foro inditum eſt, quod ibi gloriando certarent. Si quæ cæteris anteferrentur poëmata, a regibus inter κειμήλια ſua reponi, ac appendi; inde ſeptem illa notiſſimæ famæ poëmatia, nomen ſortita Al Moallekat, ſcil. quaſi appenſa dicas. Alii, quod in templo Meccano, honoris gratia appenderentur, dicta eſſe volunt. Forum ac conventus iſti ſub Muhammede ſublata, quare tot veterum poëtarum carmina, quæ non aliis antea, quam fidis hominum memoriis, apothecis ſervabantur, perierunt. Apud Arabes autem, pſeudopropheta antiquiores, tanto in honore fuit poëſis, ut ſi in tribu aliqua inclareſceret poëta,

cta, gratulatum illis concurrerent aliæ, ipsæ epulas instituere, mulieres tympana pulsantes, omniaque nuptiali pompa ornantes, felicitatem tribus suæ viris puerisque obviis palam decantare, beatos jam suos, quibus contigisset ἀμυντής, qui honorem eorum sartum tectum conservaret, præco qui præclare eorum gesta memoriæ proderet. *Ex notis Pohokii ad Abul-Farajum. pag. 153. —— 160. & Hoornb. summ. controvers. lib. 3.*

Johannes Philoponus, qui Grammaticus vulgo dictus, ac sub Muhammedanismi primordiis floruit, cum apud Amrum, exercitus Arabum ducem, qui Alexandriam ceperat, ob insignem, qua inclaruerat, eruditionem, magnam consecutus esset gratiam, ab eo petiisse fertur, ut libros Philosophicos, qui in bibliothecis regiis inveniventur, concederet. Amrus hac in re gratum ei facere cupiens, nec tamen illud absque impatrata ab Omaro Imperatore venia, ausus, cum per literas ipsum consuluisset, hoc tulit responsum: utique libros istos, vel cum Alcorano convenire, atque ita opus iis non esse; sufficere siquidem Alcoranum: vel illi contrarium aliquid continere, atque eo nomine penitus tollendos: in balnea itaque comburendi, jussu imperatoris distributi, iis calefaciendis post semestre demum spatium absumti sunt: quod satis mirari non poterit, qui ex historia Saracenica didicerit, Alexandriæ quatuor balneorum millia tunc temporis fuisse. *Pocock. ibid. pag. 165.*

Primus, qui artium nobiliorum fautorem se præbuit, fuit *Abu Gaafar Al Mansor*, qui legis, qua excelluit, peritiæ, Philosophiæ etiam ac præcipue Astronomiæ studium adjunxit. *Pocock. pag. 166.* in Maroco, oppido regni Tunetani, scholas & bibliothecas condidit. *Peuc. Orat. de stud. vet. Philos. inter declam. Melancht. tom. 4.*

Sub Califatu *Almamonis* Arabes omnem Græcam pariter & Latinam Philosophiam ad se traduxerunt, cujus rei occasionem fuisse ferunt spectrum quoddam, Aristotelis persona Almamoni in somnio oblatum; unde quasi divinitus impelli se ad sapientiam Græcorum amplectendam promovendamque sentiebat. In quem finem, victo Imp. Michaële III. inter alias pacis conditiones, etiam hanc tulit, ut copiam obtineret quicquid vellet petendi de scientiis veterum, quæ in Romano orbe incultæ jam jacerent. Quo concesso missi a Mamone in Romaniam Hagagh Matri filius, Ibn Batrick Sullama præses domus sapientiæ, & alii, qui libros attulerunt, & verterunt. Non deerant tamen quibus hæc peregrinitas

tas displiceret, tanquam Islamismo noxia, unde Almamonem statuebant damnatum. *Horn. hist. Philos. lib. 5. cap. 9. Pocock. not. ad Abulfar. p. 166.*

Averroës & Avicenna clarissimi Arabes Aristotelicam Philosophiam valde propagarunt, & suis commentariis illustrarunt, an intricarunt magis? Selymus Imp. Bajazetis filius Cæsaris commentarios in vernaculam linguam transferri curavit. Codicem Justinianeum suo sermone descriptum, Arabes hodie in pretio habere narrantur.

In una *Fesana bibliotheca*, triginta duo millia voluminum Arabicorum asservari, Erpenius ex testibus oculatis, & fide dignissimis, retulit. Item apud eos reperiri, quæ apud nos desiderantur, scriptorum monumenta, Titi Livii libros omnes, Pappi Alexandrini Mathematici, Hippocratis, Galeni & aliorum.

Apud *Babylonios* volumina multa servantur.

Est & *bibliotheca Gazensis*, plena libris antiquis, ex quibus multi a sacerdotibus Ægyptiis scripti, per figuras animalium, qui putantur esse reliquiæ bibliothecæ Ptolemaicæ.

In *bibliotheca Damascena* Aristotelis Philosophiam mysticam Arabice versam invenit, & publicavit Franc. Rosæus Ravennas. *Kirch. Oedip. Ægypt. in propylao. Neandr. Erotem. ling. Hebr. pag. 558.* Huc profectus est Andræas Mongajus medicus, codices Avicennæ ubique depravatos ad antiquos ejus auctoris libros collaturus & correcturus. *Pier. Valer. de infelic. literat.*

Ante aliquot annos Nearcha quidam Massiliensis *Arabicam regis Mauritaniæ bibliothecam* in Hispaniam avexit, & bibliothecæ regis Hispaniæ inseruit, circa annum Christi 1610. constabat, teste regis Mauritaniæ legato, septem millibus & octingentis elegantissimis voluminibus.

Constantinopoli bibliotheca Arabica tres sunt. Prima dicitur esse antiqua illa Imp. Constantini M. in qua multi in charta pergamena calamo exarati libri, item Vetus & N. Testamentum, more veteri, auro & gemmis ornatum. *Altera* in usum nobilium & servorum. *Tertia* non procul a cubiculo Imperatoris Turcarum, rarissimis & ornatissimis libris plena, quæ *imperatoria*, *& Ottomannica* vocatur. *Hoornb. summ. controv. lib. 3. Simon. Oom. tractat. Belg. cui titulus, Turcismus revelatus.* Petrus della Valle, Nobilis Romanus, itinerarii sui *part. 1. cap. 9.* in hac bibliotheca Titum Livium integrum extare testatur. Se,

 &le-

& legatum regis Galliarum cum bibliothecario egisse, ut pretio decem millium coronatorum eum venderet, sed nihil obtinuisse dicit, quia licet aliquot menses quæsitus, magno tamen ipsius Livii infortunio, inveniri non potuit. Magnum etiam Florentiæ ducem de isto libro, quinque piastrorum millibus emendo, egisse narrat. Sed, eheu! mense Novembri, 1665. tristis Constantinopoli nuntius advolavit: excitatum scilicet fuisse in urbe horrendum incendium 28. die Julii, anni supra memorati, quo & palatium Imp. & gynæceum, præcipue vero augusta hæc bibliotheca conflagraverit, quo innumeri quarumvis linguarum libri in cineres redacti sint.

Persæ in urbe *Ardovil*, veterum sophorum sede, ex Persicis & Turcicis libris bibliothecam habent. *Olear. itiner. Persic. pag. 166. Sabii* tres præcipue libros habere dicuntur, 1. Adami, 2. Divanum, 3. Alcoranum. *Boullaye le Gouz. itiner. p. 149.*

In arcis Tunetanæ direptione rex Muleasses, a Carolo V. victus, inter alias jacturas bibliothecam suam deploravit, Arabicorum præsertim voluminum; in ea asservabantur antiquissimi codices non disciplinarum modo omnium præcepta, sed superiorum etiam regum res gestas, & Muhamedanæ superstitionis interpretationem continentes, quos rex ipse postea, audiente P. Jovio, se unius urbis pretio, si fieri posset, avide redemturum disserebat. *P. Jovius, histor. lib. 34.* Cum autem Mena Æthiopiæ imperator bibliothecam hanc direptam audivisset, mercatoribus Ægyptiis & Venetis negotium dedit, quocunque tandem pretio quoscunque libros redimerent, Mathematicos, Medicos, Physiologos, &c. mittere ad Menam imperatorem amplius tria millia, quos statim ipse ad regiam Abyssinorum bibliothecam ablegavit. *Spizel. sacr. biblioth. dissert. prælim.*

In urbe *Argirio* Jesuita quidam instructissimam vidit bibliothecam, in qua ipsi rex varios codices visendos obtulit, atque in his libellum Thomæ a Kempis de imitando Christo, vulgari Turcarum lingua conversum. Adjecit autem; pluris se unum illum facere, quam reliquos omnes Muhammedanorum, fuerat autem hic rex aliquando Christianus. *Sommal. præfat. ad libr. Thomæ a Kempis. Hotting. hist. Eccl. N. T. part. 4. pag. 74.* bibliothecæ *episcopi Nebiensis Arabicis libris* pulchre instructæ meminit *Clenardus, lib. 1. epist. 19.* In *templo Memphitico* inventa pars Alcorani, Cuphico charactere exarati, *Omnis lib. tit.*

In

In scholis Alcorani codex nusquam apparet. Sed ludimagister e memoria sua depromit pensum, & tabulæ ligneæ inscribit, id puer memoriæ mandat. Postridie alterum scribitur pensum, donec anni vel biennii spatio totum ediscat Alcoranum, etiam non intellectum, multo plures reperiuntur, qui sic teneant Alcoranum, quam qui ipsum domi habeant codicem. *Clenard.* Immane apud Turcas piaculum est, si quis eorum vel imprudens Alcorano insideat; homini vero Christiano etiam capitale. Busbeq. epist. 1. p. 51.

Verum hos librorum, eorum præsertim, qui scientias & artes tradunt, thesauros soli docti, tanquam dracones auro incubantes, possident, reliqui, ut profani, hinc arcentur, qui publice venduntur, fabulas continent, aut de lege Muhammedica agunt, aut rythmis ac poëmatibus constant. Nec apud eos hæc consuetudo obtinet, ut liber in fronte titulum præferat, unde fit ut bibliopolæ & nomen & pretium librorum ignorent. Si quis in bonum librum incidat, id fortunæ magis quam sapientiæ tribuendum. *P. della Valle itin. part. 2. cap. 27.* In ipsa urbe Fesa, ubi multi literarum studiosi, tabernæ tamen librariæ non habentur. Cæterum die Veneris, singulis hebdomadis, peracta oratione, ad summum templum est librorum auctio. Illuc conveniunt quotquot empturiunt, aut vendituriunt. Prodeunt autem codices vetusti, pauci admodum, propterea quod abhinc annos ducentos refrixerit scriptorum industria, & in desidiam lapsi sint Fesenses. Estque hæc merx cara, statimque ab omnibus magno pretio rapitur. Quod si quis sit author justæ magnitudinis, non eum reperias venalem, nisi per fragmenta: forte tota vita non consequeris aut Zemachserum, aut alium commentatorem Alcorani, sed nunc caput, nunc crus dimidiatum, nunc manus mutilas autoris in foro conspicias, adeo ut sæpius idem cogaris emere, si totum postules, idque vix post multos annos. In hunc auctionis locum Christianis aut Judæis licet intrare, una tantum lege, nempe ut obruti saxis pereant. Tam religiose suos codices invident a religione Muhammedis alienis. *Ex Clenard. lib. 1. epist. 9.*

Quin tamen apud Arabes multi scriptores fuerint dubitari nequit, de illis videri potest in his literis versatissimus Hottingerus *in biblioth. Orientali & biblioth. quadrip. lib. 2. c. 3.* Hoc præterire non possum, quod ipsi Turcæ in suis templis Psalmos Davidicos, sed depravatos, sua lingua cantillent, utpote a Muhammede ipsi in Alcorano commendatos, tanquam θεόπνευστα *Hoornb. disp. 2. de Psalmod. th. 1. Litg. itiner. pag. 80. P. della Valle itin. part. 3. cap. 14. 15.*

Multas Arabes in Asia & Africa habuerunt academias, quarum professores aut nihil omnino scripsisse, aut ex aliis linguis in suam nihil transtulisse verisimile non est. Audiamus rursus Clenardum *lib. 1. epist. ult.* „Nactus sum codicem evangeliorum Arabicorum, descri„ptum & versum annis abhinc sexcentis. Habeo & aliud exemplar „eadem translatione descriptum. Reperio pleraque omnia sic se ha„bere, ut hodie legimus in Græcorum codicibus, quos secutus „est Erasmus. Illud, *Joh. ult. si volo illum manere*, & illud in „Luca: *in terra pax, hominibus bona voluntas*: & reliqua, quæ „Erasmus restituit, omnia sic habent Arabes; ne putemus „olim aliter legisse Græcos, quam hodie sonant vulgata exemplaria. „Nullum uon moveo lapidem, ut epistolas Pauli consequar, & reli„quos sacros codices, omnia enim sunt apud illos jam olim versa. „Quin & scripta Thomæ quædam verterunt, & alia quam plurima.

Artem tamen typographicam non exercent, quamvis Judæi, Constantinopoli habitantes, officinas suas habeant, & varios variarum linguarum libros elegantissimis typis ediderint. Aliquem vero lingua Turcica, sive Arabica librum edere illis nefas est. Nicodemus etiam Metaxa libros & typos, quos secum ex Anglia attulerat, anno 1627. permissu superiorum, venales exposuit, & typographiam exercuit. Sed honestissimos hujus hominis conatus, solitis suis artibus disturbarunt Jesuitæ, quoniam Anglici legati præsidio tectus, cum patriarcha Cyrillo, reliquisque adeo ecclesiis Reformatis facere videbatur, ut latius videre est in Anonymi, sed αὐτόπτου narratione historica turbarum, quas Constantinopoli moverunt Jesuitæ adversus Cyrillum patriarcham: in qua etiam meminit bibliothecæ numerosæ, quam in urbe Galata sibi fratres Ignatiani collegerant 25. annorum spatio, & quibus turpis in innocentissimi Cyrilli persecutione, plusquam Turcica, ædes patriarchales antiquis manuscriptis, aliisque Ecclesiasticis ornamentis, & suppellectile fuerint expilatæ. Hactenus de Arabibus.

Apud *Abyssinos*, armis magis quam literis deditos, papyrus pridem ignota, rationes publicas pellibus consignabant, omnia vero judicia sine ullis actis aut scriptura conficiebantur. *ex Alvaresio Bodin. meth. hist. pag. 151.* Accedente præterea ingeniorum simplicitate, aliorum scripta vertere, quam sua componere satius habuerunt. Sacra a prisca Græcorum ecclesia acceperunt, his occupantur, Ethnicæ antiquitatis, & Philosophiæ incuriosi. *ex epist. Jobi Ludolphi, Hotting de biblioth. Orient. pag. 320. & seqq.* ubi librorum catalogus exhibetur.

Paulus

Paulus Jovius, *histor. lib. 18.* narrat, *apud Abyssinos rerum gestarum memoriam, perpetuasque regis stirpis successiones, fideli literarum custodia publico instituto demandari, tanta cura & religione, ut præfecti notariorum, cum oportet, annorum supra mille, nusquam intercisam memoriam ex archivis proferant: regem ipsum, cum negotiorum occupatione liberatur, reliquas horas evolvendis historiis, sacrisque item literis ferme totas impendere. Nam apud eos sunt veteris & novi instrumenti codices, cum divi Pauli epistolis, in Abyssinam, ex Chaldaica, translati linguam.* Typographia tamen carent, qui enim religionis causa Hierosolymis Romam veniunt, libros Abyssinorum lingua sed Chaldaicis elementis scriptos, Romæque impressos, pro insigni miraculo in patriam deferre solent, eodem Jovio teste, *ibid.* In Abyssinorum bibliotheca, nulla fere sanctorum (qui aliquid scripserunt) monumenta desiderari constat ex indice Antonii Grici & Laurentii Cremones, qui Cardinalis Zarleti rogatu, & Gregorii XIII. jussu miraculum illud librarium (quod Æthiopica lingua Assabraria vocant) inviserunt. *Spizel. sacr. biblioth. dissert. prælim*: Idem, *ibid.* Nec illud prætereundum, quod inter solennes ritus inaugurationis Abyssinorum imperatorum sit traditio clavium regiæ bibliothecæ, perinde ac si nihil in toto illo vastissimo regno sit libris augustius; ac testentur Æthiopes, se summopere desiderare, ut principes majestatem & regnandi peritiam e libris & literis sibi accersant.

In ipsa *Æthiopia imperatoris aula* multi libri figuris animalium scripti inveniuntur, qui ex Ægypto illuc translati esse perhibentur. In monte *Amara* bibliotheca est, quæ initium debere dicitur *reginæ Sabaa*. Depositi hic libri illi, quos Salomon reginæ ipsi in patriam discedenti, donasse, & postea singulis annis misisse perhibetur: item libri Enochi de elementis, & aliis rebus Philosophicis: libri Noëmi de rebus Mathematicis, ritibus item & cremoniis sacris: libri Abrahami, quos edidit cum in valle Mamre publice Philosophiam profiteretur, iis auditoribus, quorum opera quatuor illos reges, qui Lothum ceperant, profligavit: libri alii a Jobo, Esdra, Prophetis, summis Judæorum sacerdotibus, Sibyllis, partim soluta, partim ligata oratione conscripti, imo ab ipsa regina Sabæa, & ejus filio Melilecho compositi. Quamvis autem his narrationibus fides omnino adhibenda non sit, plurimos tamen eosque rarissimos libros ab ipsis servari dubitari non debet. *Ex Kircheri propyl. Oedip. Ægypt.* Amplius decies millies centena millia voluminum habent quæ in candidis scripta membranis, atque in thecis sericis reposita. *ex Urreta Spizel. sacr. biblioth. dissert prælim.*

Indos quosdam, ævo nostro, usque adeo demiratos fuisse scribendi inventionem referunt Indicarum rerum scriptores, ut audito primum scripturæ nomine, ad papyrum, ut ipsi arbitrabantur, loquentem audiendam accurrerent. *Incolæ Americæ*, ab Hispanis subacti, cum literarum usum primo vidissent, id esse certissimum divinitatis argumentum putarunt, quod chartis scriptis occulta vis inesset. Illud vero longe facetissimum, quod narratur de quodam mancipio Peruano, cum literis & ficuum fiscinula ablegato, cum enim hic servus earum partem abliguriisset, a literis proditus est. Cum aliquando idem facinus meditaretur iterum, literas sub saxum abdit, in quo sessum ibat, ne viderent delicias suas, nihilominus tamen contra eum testatæ sunt, Quamvis autem alicubi, & inter servos tam stupida fuerit ignorantia, non ubique tamen barbaries eadem.

Antropophagi funibus quibusdam, nodis multis diversissimis, certo intervallo dispositis, historiarum suarum perpetuitati consulere noverunt. Si enim e. g. rex moriatur, aut bello clades accipiatur, magnum in fune nectunt nodum, atque aliquod signum addunt, quo regem illum, vel illam cladem denotent. Si rursum decimo, puta, anno, rex alius moriatur, aut hostis fugetur, &c. ibi decem parvulis nodis, decem annos significantibus, interjectis, alium quempam nodum magnum, cum alio signo appenso subnectunt. Atque hujusmodi funium & nodorum computatione, 800. annorum memoriam eos habere constat. *Beyerl. theatr. vit. hum. tit. de Arithmetica.* Videndus Acosta hist. Ind. Occid. lib. 6. cap. 8.

In *Cozumel*, *Jucatan*, *Mexico*, *Nicaragua*, *Guabutemalla* innumeri libri reperti ab Hispanis, de agricultura, plantis, majorum rebus gestis agentes, ut variis testibus probat *Hornius de Orig. gent. Americ. lib. 4. cap. 14.*

Petrus Martyr in libro de novis insulis testatur *Collnacanæ* incolas libros habuisse, quorum folia, ex interiore arborum tenui cortice, bitumine compingunt, gypso liniunt, in illis scribunt, deinde spongia vel panniculo delent, ut denuo reiteretur. Ex ficuum tabellis fiunt libelli, quos magnarum domuum dispensatores per fora secum ferunt, styloque metallico merces coëmptas notant, delendas quando jam in computatorios codices traduxerint. Non foliatim libros concinnant, sed in longum distendunt ad plures cubitos, clausi a nostris nihil differre videntur. Characteres nostris valde dissimiles, lineatim exarati nostro more: inter lineas homines, animalia, reges præcipue ac princi-

principes depingunt, quare credibile eſt, eorum res geſtas illic deſcriptas eſſe. Legum quoque & ſacrificiorum, ceremoniarumque ritus, Aſtronomicas obſervationes, & computationes quasdam, ſeminandique rationes & tempora libris commendant.

Apud *Iaponios*, in civitate *Narad*, vel *Nara*, templum eſt auguſtiſſimum, quod *Cobocui* nominatur, *Xacæ* ſacrum, a cujus latere *Bonzii*, eorum ſacerdotes, ſua atria & cubicula habent, quorum unum, 24. columnis rotundis innixum, Bonziorum bibliothecam continet tanta librorum copia refertam, ut ipſæ etiam feneſtræ, libris, quaſi lateribus, obſtructæ ſint. *Carolin. tractat. Belg. de hodierno Ethnicismo art. 1. cap. 19.*

Hucxacam regis filium, doctrinæ opinione celebrem præ aliis ſapientibus colunt, qui multos poſteritati errorum ſuorum libros reliquit, ex quibus unum Quæquium appellatum adorant, aſſeruntque ſalvari ſine libri hujus præſidio nullum poſſe, quo & omne animantium genus, herbarum ac lignorum ſalutem conſecuturum arbitrantur. *ex parte 2. Japan. epiſt. 1.* ibid. *part. 1. epiſt. 1.* Scripta hominum quorundam aſſervant, qui uno, duobus, & tribus annorum millibus in ſummo totius vitæ rigore & aſperitate pœnitentiam egiſſe dicuntur; horum nomina ſunt Xaca & Amedia.

In eodem, regione circa urbem *Miako*, templa ſunt plurima, in quorum uno bibliotheca, artificioſis picturis, & innumeris libris ornata, unico axi tota inſiſtit, ita ut levi labore circumagatur, ut liber, quem quiſque vult, citiſſime & commodiſſime ſe offerat. *ex hiſtoria legationum Belgicarum ad Japoniorum imperatorem pag. 116.* ubi & *pag. 117.* Naradanæ bibliothecæ fit mentio.

Moſcovitæ Illyrica, ſive Slavonica lingua, quæ latiſſime patet, & Illyricis utuntur libris. In hanc linguam ingens multitudo ſacrorum librorum, induſtria maxime D. Hieronymi, & D. Cypriani translata eſt. Præter quoque patrios annales, Alexandri magni, Romanorum Cæſarum, itemque M. Antonii & Cleopatræ memoriam iiſdem literis deſcriptam tenent. Philoſophiam vero & ſideralem ſcientiam, cæteraſque artes, & rationalem Medicinam non attigerunt. *P. Jovius de legat. Moſcovit.* Cœperunt autem annales conſcribere, cum Michaël Imp. Conſtantinopolitanus literas Slavonicas in Bulgariam miſit. *Surius.* quod factum circa illa tempora, quibus Bulgari ad Chriſtum converſi ſunt opera ſororis regis eorum, quæ Conſtantinopoli, in captivitate, religionis Chriſtianæ myſteria recte didicerat. *vid. Sigiſm. Baron. Herberſt. comment. rer. Moſcovit.*

Cum

Cum autem tempore Johannis Basilii, magni Moscoviæ ducis typographi quidam, suam omnis generis supellectilem, in regionis illius metropolim, ipso duce conatus illos adjuvante, intulissent, monachi, totusque clerus incendium in urbe excitarunt, quo omnia hæc instrumenta, ad propagandam rem literariam unice facientia, conflagrarunt. Metuebant scilicet, ut patefacta crassissima Ecclesiasticorum ignorantia, clerus eo loco & pretio maneret, quo hactenus apud imperitum; & superstitione effascinatum vulgus, longo jam tempore fuisset. Ex *Fletchero* narrat *Abrahamus Corpnt. tract. Belg.* cui titulus *Tribunal divinum*, in vita *Borisii Feodorvicii.*

In arcis *Polottæ*, in Moscovia expugnatione a Polonis facta, bibliotheca inventa est, in qua præter annalium libros, plerique doctores Ecclesiastici Græci, ac in iis Dionysii Areopagitæ, de hierarchia cœlesti & ecclesiastica libri, Slavica omnes lingua, quorum plerosque a Methodio & Constantino in eam linguam e Græca traductos, eorum annales tradunt. *Beyerl. theatr. vit. hum.*

Post Constantinopolim a Turcis captam, miserrimus fuit *Græcarum ecclesiarum* status, vitam & religionem vectigalia habent, literarum doctrina interiit. D. Chytræus peculiari oratione statum ecclesiarum, suo tempore, in Græcia, aliisque regionibus descripsit, fretus epistolis Jeremiæ patriarchæ Constantinopolitani & aliorum, partim ad ipsum, partim ad Martinum Crusium scriptis. De doctrina in eorum ecclesiis vigente hic non agimus, de ea legi potest *Hoornb. summ. controv. lib. XI.* quod rem literariam & librariam attinet, ea, referente Chytræo, sic habet: Post exilium eorum, quorum opera in Italia & Germania, artes & literæ restitutæ sunt, ipsis Athenis, & in reliqua Græcia veteris Philosophiæ, & eruditionis doctrinæ studia plane frigent. Plerique sacerdotes & monachi veterem linguam Græcam ignorant, imo legibus episcoporum alicubi, ne quis veteres Poëtas, Oratores, Philosophos, aliosve scriptores Ethnicos legat, prohibitum est. Discunt igitur in scholis plerique Græce legere tantum, eo consilio, ut ὡρολόγιον Græcum, quod Latini breviarium vocant, seu horarias preces evolvere possint, cujus τροπάρια, στίχοι, κοντάκια, ἀπολυτίκια, καὶ λιτανείας εὐχὰς eleganti oratione Græca compositas ἀναγινώσκουσι μὲν, οὐκ ἐγινώσκουσι. Opera Stephani Gerlachii nacti sunt confessionem Augustanam, Græce a Melanchthone versam. Acta septem synodorum Græcarum, scripta Basilii, Chrysostomi, Damasceni, eorumque traditiones, tanquam divina oracula amplectuntur, ad eaque de fide & religione

ligione ipſorum ſciſcitantes remittunt. Lexicon & Grammatica in Barbaro-Græca lingua non extat, nec ullus biblicus liber. Puram linguam ab aliis diſcunt. Typographiam nunquam habuiſſe creduntur, ideo libri eorum plerique manuſcripti ſunt, & bibliotheca in monte ſancto ex mss. conſtat. Multi Venetiis importantur impreſſi, quorum in templis uſus eſt. Ex Germania nullos accipiunt, niſi ab oratoribus Cæſaris aliquibus donentur. Manuſcripta magis quam impreſſa legere amant. In Patriarchatu eſt Baſilius, Chryſoſtomus, & alii nonnulli Romæ, Veronæ, Venetiis excuſi: & niſi ipſis voluntas & induſtria deeſſet, a Turcis libros excudere non prohiberentur. Habent enim & Judæi prælum, ut ſupra diximus, ſed ut plurimum ceſſans. Habuerunt quoque in Themeſwar Ungariæ novi Arriani typographiam, cujus gratia cum Adamus Neuſerus, apoſtata turpiſſimus, eo Claudiopoli profectus eſſet, a Baſſa Themeſwarienſi, tanquam explorator captus, & Conſtantinopolim miſſus eſt. vide Wolf. lect. memor. tom. 2. pag. 902.

Stephanus Gerlachius, in calce literarum ad Martinum Cruſium, librorum MSS. qui Conſtantinopoli & in Patriarchatu extant catalogum contexit.

In monte Olympo monaſterium, cum optimorum librorum theſauro, reliquum eſſe dicitur. *Peuc. de ſtud. vet. Phil. inter declam. Melancht. tom. 4.*

Opera Auguſtini habuerunt Græci in inſula Rhodo: tranſtulerat ea Planudes, annis aliquot ante Conſtantinopolim captam. *Manl. collect. pag. 684.*

Alexandrinus patriarcha reginæ Navarræ pyxidem gemmis inſtructam miſit, addita epiſtola Græca, qua petebat, ut Baſilii, Chryſoſtomi, Nazianzeni exemplaria, quæ aliunde nanciſci non poterat, ſibi mitteret. Inde animos ſumſerat Joſephus Scaliger exemplaria Arabica, Æthiopica, Ægyptiaca, commutatione Græcorum, quorum inopia illi laborant, ſibi quærere. Sed obitu Meletii patriarchæ Alexandrini, cui magna cum Hollandis, illic negotiantibus, familiaritas intercedebat, res non ſucceſſit. *Scaliger. epiſt. 157.* Homeri Iliadem, in linguam Græcam, hodie vulgarem, translatam & excuſam vidit Geſnerus. *Mithrid. fol. 46.* Ordines fœderati Belgii, ſuis ſumtibus, Nov. Teſtamentum, & catechiſmum Heidelbergenſem, hic a Græcis in vulgarem ipſorum linguam converti curarunt, poſtquam conſenſum ſuum cum doctrina noſtratum eccleſiarum declaraſſent. *vide Hoornb.*

ſum. controv. lib. XI. & epiſtolas Cyrilli patriarchæ Alexandrini ad Joh. Utenbogardum, quæ inter epiſtolas Theologicas, a Remonſtrantibus editas, extant. *pag. 369. & 399.* Cyrillus hic, Alexandrinam cathedram relinquens, magnam librorum copiam ex Ægypto Conſtantinopolim ſecum aſportavit. Angliæ autem rex Carolus I. eidem Cyrillo magnam impreſſorum librorum ſupellectilem miſit, per Thomam Roë, equitem auratum, ejus Regis apud Turcarum imp. legatum: remiſit Cyrillus verſionem 72. Interpretum MS. circa tempora concilii Nicæni exaratam: item N. Teſtam. circa eadem tempora, manu Theclæ, nobilis ex Ægypto matronæ, deſcriptum: cui in fine addita erat epiſtola Clementis Romani ad Corinthios, quæ nunquam in Europa viſa per Junium Patricium in linguam Latinam, per alium Anonymum in Belgicam etiam translata eſt. *vid. Walton. diſſert. de ling. Orient. §. 65.* Poſſevinus, in appendice apparatus ſacri, exhibet catalogos Græcorum MSS. codicum, non ſolum eorum qui in Italia, Germania, Gallia; ſed etiam qui in ipſa Græcia inveniuntur, Conſtantinopoli, in Patriarchatu, item apud nobiles quoſdam Græcos, in inſula Patmo, in Ægæo mari, in monaſterio monachorum S. Baſilii, Theodoſiæ, hoc eſt, Caffæ, in Taurica Cherſoneſo.

Ruſſi, inter Chriſtianos βαρβαρώτατοι, libros Latinos & Græcos nunquam viderunt, quamvis de Græcorum religione multa glorientur. Libros aliquos a majoribus traditos habent: Pſalterium Davidis, quod etiam in ſcholis pueri diurna nocturnaque manu verſant, hoc in ipſorum linguam converſum apud Oſtorocenſes impreſſum eſt: Novum Teſtamentum: Apoſtolorum res geſtas: D. Pauli epiſtolas omnes: Item homilias Baſilii, Chryſoſtomi, Gregorii Nazianzeni ex Græco converſas & MSS. habent, cum preculis quibuſdam ad B. Dei genitricem, & S. Nicolaum dicendis. Et hos tamen libros fruſtra poſſident, cum non niſi aniles fabellæ populo a ſacerdotibus prælegantur. *Ex epiſt. ad D. Chytræum, de Ruſſor. relig. & moribus.*

De Tartaris populo maxime Barbaro Turcæ dictitant: reliquas quidem nationes ſcriptam in libris habere ſapientiam; Tartaros libros ſuos devoraſſe, ideo in pectoribus eam habere reconditam, quam promant cum opus ſit, & veluti divina fundant oracula. Busbeq. epiſt. 4. pag. 322.

CA-

CAPUT XII.

De singulorum quorundam librorum bibliothecis.

SÆpius vel honoris, vel certioris custodiæ gratia, vel aliam aliquam ob causam sigillatim libri thecis inclusi, & repositi fuerunt. *Jeremias Vates* cum a patruele Hanameële agrum Anathotanum sibi emisset, codicillos hac de re scripsit. Tres erant libelli: 1. liber contractus obsignatus annulo publico. 2. libellus המצוה mandati & constitutionis illius temporis, in quo scribebatur conditio venditionis & consuetudinum tunc in contractibus usitatarum. 3. libellus emtionis apertus, quem videre & legere poterant, manente altero obsignato. Sunt qui putant hos duos posteriores, jussu Dei, in urnam fictilem repositos esse, ut essent vaticinii monumentum & testimonium. *Jerem. 32. Schindl. Lexic. col. 1240. Sixt. Senens. biblioth. S. tom. 1. lib. 2.*

De Pauli penula: item, de editione bibliorum quinta, dolio inclusa, & septima Luciani, in turri inventa supra cap. 7. diximus.

Bibliotheca pauperis *Codri* describitur apud *Juvenal. Sat. 3.*

Jamque vetus Græcos servabat cista libellos,
Et divina Opici rodebant carmina mures.

Apud Romanos olim capsarii, servi, qui pueros ad ludum deducebant, capsas, quibus libri inclusi erant, portabant: *Juven. Sat. 10.*

Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.

Homeri Ilias membranæ literis exiguis adeo, inscripta, ut nucis cortici includeretur. *Plin. lib. 7. cap. 21. Alexander Magnus*, inter spolia Darii Persarum regis unguentorum scrinio capto, quod erat auro, gemmisque, ac margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus, imo, inquit, Hercule, Homeri librorum custodiæ detur: ut pretiosissimum humani ingenii opus, quam maxime diviti opere servaretur. Hujus regis pulvinar ejusdem poëtæ bibliotheca fuit. *Plutarch. in Alex. Plin. lib. 7. cap. 29.* Sicut lectus Ælii Veri amorum Ovidii. *Spartian.*

Historia belli Trojani, quam Dictys Cretensis Phœniceis literis conscripserat, in stannea arcula reposita est, & cum ipso in sepulchro recondita, inventa vero a pastoribus, circa illa loca errantibus, anno 13. Neronis, si vera narrat ejus opusculi præfatio, certe doctis hæc vero similia non videntur. Cl. Gronovius *observ. in script. eccles. cap. 25.* hunc Dictyn Constantini temporibus superiorem non existimat. *vid. Voss. de* *hist.*

hist. Lat. pag. 701. Semiramis ſepulchro ſuo inſcribi curavit: ὅστις ἂν χρημάτων δεηθῇ βασιλεὺς, διελόντα τὸ μνημεῖον, ὅσα βούλεται, λαβεῖν. Darius, cum ſepulchrum aperuiſſet, pecunias quidem nullas invenit, ſed in alias incidit literas, hoc indicantes: Εἰ μὴ κακὸς ἦσθ' ἀνὴρ, καὶ χρημάτων ἄπληστος, οὐκ ἂν νεκρῶν θήκας ἐκίνεις, id eſt, *niſi malus, & pecuniarum inexplebilis fores, mortuorum loculos non moviſſes. Plutarch. in apopht. Herod. lib. 1.* Nitocreos eſſe dicit. Xerxes cum Beli monumentum ingreſſus eſſet, vitream urnam reperit, in qua jacebat cadaver in oleo, adjacente columna exigua, in qua ſcriptum; *Eum qui ſepulchrum aperuiſſet, neque urnam repleviſſet, peſſime habiturum.* Xerxes ſemel atque iterum oleum juſſit infundi, cum implere non poſſet, mœſtus receſſit. *Ælian. de var. hiſt. lib. 13. cap. 3.* Sic in palatio Toletano, quod reſeravit Rodericus Gothorum in Hiſpania rex ultimus. *Lipſ. mon. & exempl. Pol. lib. 1. cap. 5. camer. hor. ſubceſ. cent. 1. cap. 60. & cent. 2. cap. 11.*

In Cypro Matthæi evangelium in tumulo Barnabæ inventum eſſe ex Theodoro lectore ait Chemnitius, *proleg. harmon. cap. 8.*

Circa mortem Julii Cæſaris, tabula ænea, in monumento, in quo dicebatur Capys, conditor urbis Capuæ, ſepultus, inventa eſt, conſcripta literis verbiſque Græcis, hac ſententia: *Quandoque oſſa Capyis detecta eſſent, fore ut Julo prognatus, manu conſanguineorum necaretur, magniſque mox Italiæ cladibus vindicaretur. Suet. Cæſ. cap. 81.* Libri Numæ, Latini Græcique in agro Petilii ſcribæ, ab agricolis inventi, *vid. ſupr. cap. 6.* anno primo imperii Irenes, & Conſtantini filii ejus, quidam, in longis Thrace muris fodiens, arcam invenit lapideam, quam cum expurgaſſet, & revelaſſet, virum in ea jacentem reperit, & literas arte conglutinatas, hæc continentes: *Chriſtus naſcetur ex Maria virigine & credo in eum: Sub Conſtantino vero & Irene impp. O Sol, iterum me videbis. Abb. Urſperg. Chron. ad annum 773.*

Tempore Juſtini, Edeſſa urbs, illuvione Scirti amnis, miſere fœdata eſt, & in ripa amnis inventa tabula lapidea, hieroglyphicis literis inſcripta, in hanc ſententiam: Σκίρτος σκιρτήσει κακὰ σκιρτήματα πολίταις. *Scirtus ſaltabit malo civium. ex Cedreno, Wolf. lect. memor. centen. XI. ann. 1059. Lycoſth. de prodig. & oſtent. ad annum Chriſti, 541.* Cui ſimile eſt quod narrat Baudartius, *annal. XI.* poſt excidium oppidi *Pleurs* in Rhætis, inventum eſſe lapidem Hebraïcis literis inſcriptum, in hunc ſenſum: *Sic ait Jehova, verbum meum erit inſtar ignis & mallei ſaxa conterentis. Exite ex Babylone, unusquiſque ſervet animam ſuam. Nemo taceat peccata ſua: Nam vindicta Jehovæ ventura eſt, & retribuetur ei ſecundum malitiam ſuam.*

Adde

Adde lapidem Moguntiæ repertum, cui inſcriptum: *Verte, & invenies.* Noctu a quibuſdam inverſus, hæc verba exhibuit: *Moguntia ab antiquo nequam. Peuc. in Chron. lib. 5. in Ruperto Bavariæ duce.*

Anno 1238. in Toleto Hiſpaniæ urbe, cum Judæus rupem villæ proximam, quæ vineæ imminebat, perfoderet, reperit concavitatem cameratam, inque ea librum ilignis foliis inſcriptum, ad longitudinem Pſalterii, ubi tribus linguis, Hebraica, Græca, Latina, de triplici mundo ab Adamo legebatur: quod initio tertii naſciturus eſſet Filius Dei: & quod, tempore Ferdinandi regis Caſtellæ, ſub lucem venturus eſſet liber. Judæus tanta vetuſtate comperta, mox cum omni domo ſua baptizatus eſt. *Paralip. ad Chron. Urſperg. Camer. hor. ſubciſ. cent. 3. cap. 14. Hotting. hiſt. eccl. N. T. cap. 13. ſect. 4.*

Richardus Armachanenſis, Hyberniæ primas, novum Teſtamentum in Hybernicum ſermonem translatum, anno uno aut altero ante ſuam mortem, in quodam eccleſiæ ſuæ muro occultavit, in cujus fine, quaſi vaticinans, hoc ſcripſit: *Cum hic liber inventus fuerit, veritas toti mundo manifeſtabitur, vel Chriſtus orbi mox apparebit.* Repertus eſt ille liber circa annum a nato Chriſto 1530. in reparatione ejuſdem eccleſiæ. Abdidit librum ann. 1358. mortuus enim dicitur anno 1360. *ex Balæo, Wolf. lect. memor. centenar. 14. ad annum 1355.*

Anno 1520. die tertio menſis Martii repertum eſt in Helvetia, in Tauri montis hiatu, monimentum quoddam, hoc modo inſcriptum: *Prophetia T. Sibyllæ Olvii Munne.* quibus literis quid ſignificetur, haud facile quis divinaverit. Ipſam autem prophetiam ænigmaticam, una cum explicatione, ſi tanti videatur, lege apud eundem Wolfium, *centen. 16. anno 1520.*

Idem, *ad annum 1540.* recitat aliam prophetiam inventam in marmore purpureo ſepulcri Conſtantini M. quam interpretatus Scholarius 30. patriarcha Conſtantinopolitanus. Præterea ad annum, 1593. tom. 2. pag. 1007. Vaticinium inventum in Italia, ſepulcro abbatis Werdini Hydruntini, ſepulti 6. Kal. Nov. anni 1279.

Hiſtoria evangelica rythmis Francicis, circa annum 833. conſcripta fuit, liber fortuito in ciſta quadam repertus, delatus ad Erneſtum Bavarum Trinſingenſem epiſcopum. *Dreſſ. iſag. hiſt. part. 4. pag. 296.*

Anno 1525. Emdæ, in Orientali Friſia, in pariete domus cujuſdam, quæ a vetuſtate nomen ſortita erat, inventum eſt vaticinium cujusdam Nicolai Arnoldi de Palude, Latinis verſibus, miſerias noſtri

Belgii, ex bello Hispanico præsertim orituras, complectens, quod ab alio quodam in Belgicos rythmos translatum legere est in historia Belgica Petri Borri. *lib. 1. fol. 22.* Latinum exhibetur a Wolfio, *lect. mem. tom. 2. pag. 811.*

Hæ narratiunculæ fidem vix merentur, cum multi sæpe sub his doli lateant, & ad augendas superstitiones, ab otiosis hominibus excogitatæ sint, quod manifestum evadit ex fabula de S. Cataldi, Tarentinæ urbis olim præsulis, nun præsidis apparitione, & libello, ab ipso certo quodam loco, recondito, quam serio narrant *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 15. Bzov. ad annum. 1492. n. 51. 52. Comin. de bello Neap. lib. 2.* Sed fraudem latentem aperit Jovian. Pontanus, *lib. 2. de serm. cap. 17.* Frater quidam Franciscus Hispanus, rudis quidem & indoctus, ambitiosus tamen & audax, cum Ferdinando regi nulla ratione persuadere posset, ut Judæos ex regni finibus exterminaret, exemplo Ferdinandi patruelis Hispaniarum regis, hoc commentus est: E plumbo tabulam, Cataldi nomine clanculum a se inscriptam, haud Tarento procul in sacello semidiruto sub parietem occuluit, quam triennio post eruendam curavit, corrupto sacerdote, qui diceret, in somnis astitisse sibi Cataldum, monstrantem quo in loco tabella esset abdita, commonentemque ut cum populo supplice, collegioque sacerdotum iret ad effodiendam illam, eamque ad Regem deferendam curaret, &c. Scriptum vero ipsum, per ambages quasdam, eo spectabat, ut Judæorum exterminatio indicaretur. Rex accepta tabula deprehendit fraudem, & rem ipsam summa cum taciturnitate dissimulavit. At Franciscus, re cognita, furore percitus, quod tantum commentum falsum eum habuisset, non populo, non regi, vix ipsi Cataldo in publicis prædicationibus pepercit, in tantumque incanduit, ut Italia ferme omnis, ipseque inprimis Rom. pontifex, de tabulæ hujus inventione fuerit sollicitus. Talia olim, sub Papatus tenebris, monachorum fuerunt commenta, in quibus diabolus eandem fabulam, quam olim inter Ethnicos, egit: simile enim est quod narrat Pausanias in *Messenicis*, & ex eo, Peucerus *de divinat. pag. 456.* de Epitele, qui in somno monitus est, ut in certo Ithonæ loco, inter taxum & myrtum, terra effossa, anum liberaret, quæ, æneo inclusa thalamo, jam pene animo deficeret. Cum illuxisset dies, invento loco, terraque egesta, in urnam incidit æneam, cujus operculo amoto, tenuissimas albi plumbi laminas; in libelli formam complicatas offendit, quibus sacrificia magnorum Deorum inscripta erant.

In historia de Lusitanorum primis in Indiam Orientalem navigationibus, hoc lectu non injucundum invenitur. Anno Domini 1505. 9. die Augusti, Emanuele jam annum tertium decimum regnante, circa promontorium *Rocha de Syntra*, tres lapides inventi, priscis literis Latinis inscripti, hoc vaticinium continentes:

Sibyllæ vaticinium occiduis decretum:
Volventur saxa literis, & ordine rectis,
Cum videas Occidens Orientis opes.
Ganges, Indus, Tagus, erit mirabile visu,
Merces commutabit suas, uterque sibi.
Soli æterno, ac Lunæ decretum.

Hoc vaticinium, ab exteris mercatoribus Ulyssipone commorantibus descriptum, multos, per Galliam, Italiam, Germaniam, Poloniam, sermones excitavit. Eruditi etiam explicationes commenti sunt. Fraudem vero detexit *Caspar Varrerius*: Scilicet, quo tempore Emmanuel Lusitaniæ rex, per *Vascum Gamam*, navigationes in Indiam Orientalem feliciter tentasset, Ulyssepone vixit *Hermicus Cajadus*, Poëta celebris, *Angeli Politiani* discipulus: hic tria marmora literis antiquis, hoc vaticinium continentibus, incidi, & clam circa oppidum *Syntra*, leviter terra tegi curavit. Postquam vero, tractu temporis, aliquam antiquitatis speciem contraxissent, amicos quosdam, in villa sua, circa quam hæc marmora occultata erant, convivio excipit; quibus strenue epulantibus nunciat villicus, fossores marmora, ignotis literis inscripta, invenisse, procul dubio thesaurum eo loco defossum esse. Advolant omnes, inveniunt lapides, mirantur vaticinium, non sane foliis inscriptum: rex, hujus fraudis conscius, stuporem tamen simulat, versus aulicis describendos tradit, ipsa vero marmora, tanquam sanctiora κειμήλια, in gazophylacio religiosa servat. *Montan. legat. Belg. ad Japan. pag. 15.* Sic *Annius* Viterbiensis lapides non procul a Viterbio vineæ infodi jusserat, cui ipse fabulosam ejus urbis antiquitatem insculpi curarat, unde manifestum, quid de reliquis hujus monachi, atque impostoris somniis judicandum sit. *Vid. Voss. de hist. lat. lib. 3. cap. 8. pag. 609. 610.*

CAPUT XIII.

De bibliothecarum præfectis.

Bibliothecæ quidem a primis fundatoribus dicantur, verum propter humanæ vitæ brevitatem ab iisdem in perpetuum curari non possunt.

sunt. Hoc onus doctis imprimis hominibus impositum semper fuit, qui collectas jam bibliothecas recto ordine disponere, & utilibus doctorum monumentis undiquaque congestis augere noverant. Eorum & nomina & vitas aliqua ratione indagasse & jucundum & utile est. Omnes & singulos recensere arduum esset & inutile. Innumerabiles sunt bibliothecæ; bibliothecarii multo plures. Eadem bibliotheca non tantum successive, sed etiam uno eodemque tempore aliquando plures habuit.

Apud Hebræos divinitus librorum sacrorum, imprimis autem αὐτογράφον pentateuchi, cura Leviticis sacerdotibus commissa erat, atque inde rex authenticum illud exemplar petere jubebatur, unde sibi aliud describeret *Deut. 17. 18.* Illud eum ἀντίγραφον in templo servabatur, cujus ipsi præfecti & custodes erant. his munus suum negligenter tractantibus & ipsa lex neglecta est. Hilkias Pont. Max. tempore Josiæ exemplar legis, diu non visum, in templo inventum in lucem protulit. *2. Reg. 22. 8.* Cum enim sacerdotibus docendi munus incumberet *Lev. 10. 11.* liber legis illis diurna nocturnaque manu versandus fuit. Quos ad docendum emiserat Josaphatus Rex, librum legis una circumferebant. *2. Chron. 17. 9.* Hujus officii neglecti Deus illos arguit. *Mal. 2. 7. 8. Labia sacerdotis custodient scientiam & ab ore ejus lex requiritur, quia ipse est angelus Jehovæ exercituum. Vos autem a vita deflexistis, multos in errorem abduxistis &c.*

Ipse rex, septimo quoque anno, primo de festi tabernaculorum, coram toto populo legebat, non quidem universam legem, sed præcipua quædam capita ex Deuteronomio *Schindl. lex. col. 172. Rad.* כון

Cum autem Ecclesia Judaica in deterius vergeret & in diversas sectas & studia scinderetur, scribæ quidem sapientiam ex lege scripta acquisitam jactabant, unde Pharisæis δυνατωτέροις meliores censentur; *vide Matt. 13. 52.* ubi Christus, Theologum doctum describens, eum scribam vocat. Optime tamen inter eos conveniebat, unde sæpe conjunguntur. *Act. 23. 9. γραμματεῖς τοῦ μέρους τῶν φαρισαίων. vide Alting. Schil. lib. 4. cap. 8.* At Pharisæi ἀκριβέστεροι in legis oralis & traditionum expositione, & scientia videri volebant, unde & nomen eos accepisse multi opinantur, פרש enim est explicare. Hi tamen hac arte populo se venditabant, ut hæc divina mysteria absconderent, & sibi solis legis cognitionem arrogarent, ut sic imperitis admirationi essent. Hoc est quod eis Christus exprobrat *Luc. 11. 52.* ἤρατε τὴν κλεῖδα

κλεῖδα τῆς γνώσεως, quod non eſt, ut Anglus quidam ſomniavit, quod puncta vocalia antea legi aſcripta, ſcribæ ſuſtulerint, eo conſilio, ut populum a lectione legis arcerent, & ipſi in Theologia monarchæ eſſent; hoc enim alia via fieri potuit, ut inter Pontificios videre eſt. Videtur quidem Chriſtus ad antiquiſſimum quendam inter Judæos ritum reſpexiſſe. Si verum eſt quod tradunt Hebraicarum rerum ſcriptores, clavis cum pugillaribus apud eos Doctoratus inſigne fuit. Itaque de quodam R. Samuele ſcripſerunt, eo mortuo claves & pugillares ejus reconditos fuiſſe in loculo, eo quod filium non haberet, cui ſcilicet relinqueret poſt ſe Doctoratus inſignia. In ſynagogis erant ὑπηρέται qui minora munia ex decreto archiſynagorum & presbyterorum obibant, quorum inter cætera erat librum legis cuſtodire, &, ſi opus, ex eo legere: quod in eccleſia Chriſtiana faciebant ἀναγνῶσαι, quæ erat ſpecies διακονιῶν. *Grot. ad Luc. 4. 20.* Hebr. חזנים Hos ſecuti Maſorethæ, de quibus lege Buxtorfii tiberiadem, ſive commentarium Maſorethicum.

Fuerunt & סופרים ſcribæ politici, Seraja. *2. Sam. 8. 17.* Seja. *2. Sam. 20. 25.* Jonathan. *1. Chron. 27. 32.* Elioreph, & Ahia. *1. Reg. 4. 3.* Sebna. *2. Reg. 18. 18.* Saphan. *2. Reg. 22. 12.* ספר שר הצבא· Scriba princeps exercitus. *2. Reg. 25. 19.* Eliſama. *Jer. 36. 12.* Poſteri Jethronis, Kinitæ. *1. Chron. 2. 55.* Semaja filius Nethaneëlis. *1. Chron. 25. 6.*

Apud Athenienſes erant ſcribæ, γραμματεῖς, quod multo apud Grajos honorificentius fuit, quam apud Romanos, nam apud hos mercenarii ſcribæ exiſtimabantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittebatur, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita, quod neceſſe eſt omnium conſiliorum cum eſſe participem. *C. Nep. Eum. cap. 1.* Horum munus ex J. Poll. *lib. 8.* Γραμματεὺς, ὁ κατὰ πρυτανείαν κληρωθεὶς ὑπὸ τῆς βουλῆς, ἐπὶ τῷ γράμματα φυλάττειν, καὶ τὰ ψηφίσματα. Καὶ ἕτερος ἐπὶ τοὺς νόμους ὑπὸ τῆς βουλῆς χειροτονούμενος. ὁ δὲ ὑπὸ τοῦ δημοσίου αἱρεθεὶς γραμματεὺς ἀναγινώσκει τῷ τε δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ. Ibid. γραμματεὺς inter τοὺς ἕνδεκα, XI. viros rerum capitalium præfectos numeratur.

Alexandrinæ Philadelphi bibliothecæ primus præfuit *Demetrius Phalereus*, Grammaticorum probatiſſimus a Tertulliano appellatus *Apol. cap. 18.* Orator & philoſophus excellens, unus ex Theophraſti diſcipulis, ut Cicero quoque indicat *1. de Officiis.* Extat hodieque ejus liber περὶ ἑρμηνείας, ſeu de elocutione. Eſt autem in eodem memorabile exemplum levitatis & inconſtantiæ fortunæ, auræque popularis. Primum enim in tantum honorem fuit Demetrius apud populum A-

 thenien-

thenienſem, ut ei trecentas ſtatuas virtutis & meritorum ergo poſuerit, quibus, alii LX. addunt, dies enim CCCLX. annus habere credebatur Athenienſibus *Voſſ. de Phil. lib. cap. 16. §. 21.* Tandem vero usque adeo flagravit invidia, ut & ſolum vertere coactus ſit fugiens in Ægyptum, & CCC. illæ ſtatuæ omnes uno die everſæ atque conflatæ fuerint. *Plut.* πολιτικ. παραγγελ. *Item* παρὰ φυγῆς, ubi ait, principe illum loco Alexandrinæ fuiſſe, inter amicos regis Ptolomæi; tantaque omnium rerum copia abundaſſe, ut non modo ipſe ſibi ſufficere & patria facile carere, ſed etiam Athenienſibus munera mittere potuerit. Ita nimirum, artem quævis terra alit, &

Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor,
Ut volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Edoctus igitur propriis eventis, quanta eſſet fortunæ inſtabilitas, ſcite corrrexit quoſdam de ea verſus Euripidis, ut annotavit Plutarchus παραμυθητικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον. Cum enim ita feciſſet philoſophus ille Scenicus:

ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος

&c. *Cætera quidem omnia*, inquit, *veriſſime dicta ſunt ab Euripide, rectius tamen feciſſet, ſi non unum diem, ſed punctum temporis omnia invertere dixiſſet.* Cum patria exulans apud Thebas obſcuram humilemque vitam ageret, accedente Cratete nonnihil moleſtiæ cepit, putans eum erga ſe cynica libertate, aſperiſque ſermonibus uſurum. Sed cum Crates, comiter ipſum allocutus, de exilio diſſeruiſſet, docuiſſetque, illi nihil mali, aut quod deberet ferre iniquius accidiſſe, negotiis liberato perículoſis, atque lubricis, hortatuſque ut in ſeipſo, animique affectatione, ſui omnem collocaret fiduciam, ibi tum Demetrius moleſtia abjecta, animoque recepto, amicis dixiſſe fertur. *Piget vero me actionum iſtarum atque occupationum, quarum culpa tantum virum videre non licuit. Plut. Differ. Adul. & Amici.* Hic Ptolomæo author fuit dedicandæ bibliothecæ Alexandrinæ, teſte eodem Plutarcho in Apophthegmetis regum & principum: παρῄνει γὰρ αὐτῷ, τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι, καὶ ἀναγινώσκειν, ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν οὐ θαρρῦσιν, παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται. Hic etiam apud eundem regem adjuvit laudatiſſimum illud inſtitutum transferendi biblia ſacra ex Hebræa in Græcam linguam. *Vide ſupra cap. 5. Voſſ. de hiſt. Græc. lib. 1. cap. 12.*

Zeno-

Zenodotus Ephesius Philetæ Critici auditor, insignis poëta, Philadelphi bibliothecæ præfuit, ejusque filios instituit.

Hunc & Aristarchum, qui Homeri versus, quos νόθους putaret ὀβελίσαι, jungit Ausonius *præfat. in ludum 7. Sapientum:*

Mæonio qualem cultum quæsivit Homero
Cultor Aristarchus normaque Zenodoti.

Et carmine 13. de professoribus Burdegalensibus;

Esset Aristarchi tibi gloria, Zenodotique.

Eosdem intelligit cum epistola ad Ursulum ait:

Quique sacri lacerum corpus collegit Homeri,
Quique notas spuriis versibus apposuit.

Primus enim Homeri libros in ordinem redegisse dicitur. *Zuving. Voss. de art. Gramm. tom. 1. lib. 1. cap. 6.* Item *de Histor. Græc. lib. 1. cap. 11.*

Callimachus Cyrenæus, Batti filius, inter Græcos poëtas nobilis, apud Ptolomæum Philadelphum bibliothecæ præfectus, usque ad Evergetem vixit, librum scripsit de gentium originibus, & migrationibus, & verterum urbium conditoribus, & legibus, quo libro amisso multæ veteres historiæ interciderunt. Fuit discipulus Hermocratis, scripsit ultra libros 800000. omne etiam poëmatis genus attigit, in adversarium poëma acerbissime scripsit, quem ficto nomine IBIN appellavit, unde Ovidius nomen & argumentum operis in Ibin mutuatus est, scripsit elegias, epigrammata & hymnos in Deos. Laudes Jovis decantans Cretenses accusat, & tanquam mendaces arguit, quod Jovis, qui Deus immortalis haberetur, sepulchrum apud se esse jactent. Horum versuum sententiam Paulus adversus Cretenses, *in epist. ad Titum cap. 1.* detorsit,

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί. *Sixtus Senensis biblioth. S. lib. 1. Possevinus biblioth. Select. lib. 17. cap. 19. Voss. de hist. Græc. l. 1. c. 15.*

Hunc secutus est *Erathostenes* etiam Cyrenæus Callimachi discipulus, qui primus sibi Philologi nomen vindicavit. *Sueton. de illust. Gramm. cap. X.* hic ambitum orbis terrarum 252. stadiorum esse prodidit, unde mensor orbis terrarum dictus est, item πένταθλος ob omnigenam doctrinam. *Voss. lib. cit. de hist. Græc. cap. 17.*

Apollonius Rhodius, genere Alexandrinus, fuit Gallimachi discipulus, cum Argonauticum carmen Græce scripsisset, non ferens invidiam & calumnias reliquorum poëtarum, Rhodum secessit, atque illic rhetorem agens, poëma suum limatius edidit, unde & Rhodius

dictus est, inde Alexandriam redux in summo honore fuit, & cum bibliothecæ præfuisset, mortuus, juxta Calimachum sepultus est: ut in ejus vita narratur. *Voss. de hist. Gr. lib. 1. cap. 16.* Eidem bibliothecæ præfuit *Aristonius* poëta.

Euphorion Chalcidicus poëta elegiographus in Syria apud Antiochum regem bibliothecæ præfectus fuit, & Antiochiæ vel Apameæ sepultus. *Zvving.* Ejus carmina latine reddidit Cornelius Gallus. Claruit 125. Olympiade.

Athenodorus Stoïcus bibliothecæ pergamenæ præfuit, inibi libros Zenonis interpolavit, sublatis quæ invidiam aut infamiam vulgo habebant, sed deprehensus in periculo fuit, Laërt. dr vitis Philos. lib. 7. *vide Lips. manud. ad Phil. stoic. lib. 1. dissert. 12.*

Apud Romanos *ædiles plebis* curabant, ut plebiscita in æde Cereris asservarentur, atque hanc ob causam potissimum creati sunt. Postea etiam senatus consultorum cura, ne proconsulum arbitrio supprimerentur, ipsis est mandata, quæ tamen ad extremum *quæstioribus urbanis*, ut in ærarium reponerentur, sunt commissa. *vid. Rosin. antiq. lib. 7. cap. 24.*

Augustus senatui tabularum publicarum præfectos deligere permisit; verum ambitu suffragiorum suspecto, inita mox ratio, sorte ducerentur ex prætorum numero qui præessent. Sed Claudius ad quæstores rediit. At quia robur deesse videbatur ætatis cum primum capessentibus magistratum, Nero præfectura perfunctis, ac usu rerum plurimo peritis comprobatisque onus injunxit. *Coel. Rhodig. lect. antiq. lib. 12. cap. 21.* Inscriptio apud Manutium de rat. Orthogr. p. 594.

C. CALPETANUS. STATIUS.
SEX. · · · · METRORIUS.
M. PEPENNA. LURCO.
T. SARTIUS. DECIANUS.
CURATORES. TABULARIOR.
PUBLICORUM, FAC. CUR.

Ædiles Curules solennes ludos edebant, eisque præerant, scripta & fabulas, quæ agendæ, examinabant. Sic Cæcilio Terentius Andriam recitavit. Donatus *in vita Terentii.* Ab hac scenica inspectione manasse videtur, ut jus quoddam judiciumque eis fuerit etiam in alios libros; apparet ex senatus decreto apud *Tacitum lib. IV. Annalium*, quo jubentur cremare Cremutii cordi scripta, quæ restituit, & sic

ſic patrem a morte vindicavit filia Marcia, quo nomine illam laudat *Seneca conſol. ad Marc. cap. 1.* Alias id *per Triumphiros* factum: *Tacit. in vita Agricolæ cap. 2. de legato Triumviris miniſterio, ut monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur.* Ex hoc tamen incendio libros Senecionis de vita Helvidiis compoſitos, quamvis ex neceſſitate, & metu temporum abolitos ſenatusconſulto, uxor Fannia, Thraſeæ filia publicatis bonis ſervavit, habuit, tulitque in exilium exilii cauſam. *Plin. lib. 7. epiſt. 19.*

Alias *per Prætorem*: Græcos Numæ libros Petilius prætor cremavit. *vide ſupra cap. 6.* In Labienum, qui, quod paſſim ordines hominesque laniaret, Rabienus vocabatur, primum excogitata eſt hæc pœna, ut libri ejus comburerentur, quod cum fieret, Caſſius Severus dixiſſe fertur: nunc me vivum uri oportet, qui illos edidici. Ejus qui hanc in ſcripta Labieni ſententiam dixerat poſtea viventis adhuc ſcripta combuſta. Eandem pœnam ex SC. ſeptem orationes Scauri ſubiere. *Senec. pater, controv. lib. 5. initio.*

Cenſores librorum etiam curam gerebant. *Feneſtella de Magiſtr. Rom. cap. 17.* hunc Magiſtratum talem fuiſſe dicit, cui ſcribarum miniſterium, cuſtodiæque & tabularum cura, arbitrium, formulæque cenſendæ ſubjicerentur. Hoc facit locus Ciceronis 3. *de legibus circa finem. Legum cuſtodiam nullam habemus, itaque hæ leges ſunt quas apparitores noſtri volunt: a librariis petimus: literis obſignatam memoriam publicam nullam habemus. Græci hoc diligentius: apud quos νομοφύλακες creantur: nec hi ſolum literas (nam id quidem etiam apud majores noſtros erat,) ſed etiam facta hominum obſervabant, ad legesque revocabant. Hæc detur cura cenſoribus &c.*

Sibyllinos libros ſervabant olim *Duumviri*, ex numero nobilium a Tarquinio creati, quibus addidit duos miniſtros publicos. Duumvirorum alterum, non bona fide rem gerentem, culeo inſutum projecit in mare. Expulſis poſtea regibus, Sibyllinorum cura pervenit ad populum, is nobiliſſimos viros cuſtodes eorum creavit, qui per totum vitæ tempus fungerentur eo munere, liberi alioqui ab omnibus militaribus & civilibus muniis, hosque libros publice accipiunt, nec ſine his cuiquam licet eos inſpicere. Deinde a Sextio & Licinio tribunis plebis cautum fuit, ut pro Duumviris *Decemviri* crearentur, quinque patrum, quinque plebis, manſitque hic numerus ad Cornelium fere Syllam, quo tempore Quindecimviri creati ſunt. *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 16. Roſin. antiq. Rom. lib. 3.*

Hæc tam accurata cura gerebatur tantum circa libros Sibyllæ Cumææ; cum reliquarum Sibyllarum carmina publice & ferrentur & haberentur. *Lactant. lib. 1. cap. 6.* Nec minor circa libros Pontificales cura: inscriptio ex ædibus Maffejorum, apud Manutium, de rat. Orthogr. pag. 304.

AGRIÆ. TRIPHOSÆ. VES
TIFICÆ. LIVIUS. THEONA. AB
EPISTULIS. GRÆC. SCRIBA.
A. LIBRIS. PONTIFICALIBUS.
CONJUGI. SANCTISSIMÆ.
B. D. S. M.

Julius Cæsar bibliothecas Græcas & Latinas publicare destinaverat: *M. Varroni* autem Romanorum doctissimo comparandarum ac digerendarum curam dederat. *Suet. Cæs. cap. 44.*

Item *Pompejo Macro* bibliothecas ordinandas delegavit *cap. 56.* sed *Augustus*, mortuo Lepido pontifex designatus, librorum præsertim fatidicorum curam suscepit.

C. Julius Hyginus Hispanus, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi, quidam historiam vocabant, bibliothecæ Palatinæ præfuit. *Suet. de illust. Gramm. cap. 20.*

Cajus Melissus Spoleii natus, curam gessit bibliothecarum in porticu Octaviæ.

Græca Palatina ut & *Latina* seorsim suum quæque custodem habuit, quod ex lapidibus probat Lipsius.

Ciceronis bibliothecam multorum librorum tractavit *Dyonysius servus*, sed parum videlicet, cum multos libros surripuisset, aufugit *Famil. lib. 5. epist. 9. & lib. 13. epist. 77.*

Romanis Imperatoribus quatuor erant scrinia sacra; memoriæ, epistolarum, libellorum & dispositionum, in quibus annotationes, vel pragmaticæ sanctiones, cognitiones, preces, vel rescripta principis eduntur, reponuntur & servantur, qui circa hæc versabantur *magistri scriniorum*, vel *principes scriniorum* dicebantur: *quorum alii magistri memoriæ*, hi annotationes omnes dictant & emittunt & precibus respondent, tales inter Hebræos erant המזכירים *2. Sam. 8. 16. Esai 36. vers. 3.* LXX. ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων ὁ ὑπομνηματογράφος. *Alii magistri epistolarum*, qui legationes civitatum, consultationes & preces tractant: *Alii libellorum* seu libellos agentes, *alii scrinium gerebant*: ab his diversi *referendarii*, qui supplicicum desideria principi exponebant, & jussio-

jussiones principum judicibus insinuabant. Erant præterea *referendarii* a registris & libellis. Item *chartularii & tractatores*, qui & *commentarienses* dicebantur, qui chartas & codices earum expensionum tractabant, quæ privato principis ærario illatæ, magna ex parte in largitiones insumebantur. *Cornicularius* erat & qui corniculo tribuni militum præerat, & *qui rationes principis corniculo*, rationum libello *inscribebat*, talesque Principatus libellos corrigebat & administrabat: explicante *Joh. Baptista Pio annot. poster. cap. 77.* De his consulendi JCti. *vide Gothofr. lib. 3. de Canone largit. titul. lib. 10. cod. idem de magistris sac. scrin. lib. 12. cod. Item ad lib. 1. de proximis sacr. scrin. lib. 12.*

Apud Christianos *idoneis hominibus de clero* bibliothecarum cura committi solebat. Extat constitutio Valentiniani, Valentis & Gratiani AAA. ad Clearchum. P. V. *lib. 14. tit. 9. cod. Theodosiano de studiis liberalibus urbis Romæ & Constantinopolitanæ: antiquarios ad bibliothecæ codices componendos vel pro vetustate reparandos, quatuor Græcos & tres Latinos scribendi peritos legi jubemus: quibus de caducis popularibus (& ipsi enim videntur e populo) competentes impartiantur annonæ, ad ejusdem bibliothecæ custodiam conditionalibus & requirendis & protinus apponendis. Dat. VIII. Muji. Modest. & Arinth. Coss.*

Castorii chartularii meminit *Gregorius M. epist. 4. lib. 7. indict. 2. Donatus* archidiaconus sacrorum voluminum curam egit. *Georgius* diaconus & Chartophylax codices esse bibliothecæ Constantinopolitanæ, Vigilii scilicet epistolam ad Menam & Menæ libellum patribus in synodo obtulit. *Magdeb. cent. 7. cap. 7. In concilio Nicano 2. act. 5. tom. 3. pag. 133. &c.* mentio fit *Stephani*, qui dicitur notarius, referendarius, bibliothecarius, librarius. *Demetrii* diaconi & armarii custodis. *Constantini* diaconi & chartophylacis ecclesiæ Constantinopolitanæ. *Tom. 2. pag. 435. conc. Constantinop. act. 1.* nominantur *Cosmas*, *Calonymus*, *Stephanus* & *Paulus* diaconi & chartophylaces, quibus mandatur, ut chartas, præsentem causam concernentes, manifestas faciant. *Lectores & notarii*, συμβολαιόγραφοι, eodem ordine censebantur in ecclesia Alexandrina. *Niceph. Callist. hist. eccles. lib. 12. cap. 24. cancellarii* etiam dicebantur. *Hotting. biblioth. quadrip. lib. 1. cap. 1. proleg.*

Antiquarii dicebantur, qui bibliothecæ codices, describebant, qui & ἀρχαιογράφοι & καλλιγράφοι vocabantur, ad discrimen ταχυγράφων, sive *notariorum* qui notulis quibusdam, sive abbreviaturis, & scripturæ compendiis utebantur, de quibus vide *Lips. cent. 1. ad Belg. epist. 27.*

Grego-

Gregorius II. sub Sergio papa, fuit custos bibliothecæ Romanæ. *Plat. Stephanus* custos librorum Patriarchatus *Magdeb. cent. 8. cap. 7. Pandulphus* Lateranensis ecclesiæ bibliothecarius, *Magdeb. cent. 11. cap. 7.* bibliothecarii illi duodecim, qui incendio una cum biblioth. Constantinop. perierunt, aliorum doctores erant, & tanta in opinione virtutis, ut ne ipsi quidem imperatores novi quicquam moliendum sibi putarent, illis in consilium non adhibitis. *Baron. ad annum 726. n. 10.*

Albinus sive *Alcuinus* diaconus Bedæ & Egberti archiepiscopi Eboracensis discipulus, Caroli M. præceptor Eboracensi bibliothecæ in Anglia primus præfuit. *Zvvingerus. vide supra cap. 7.*

Anastasius a munere quo fungebatur, dictus bibliothecarius S. R. E. & abbas Romanus floruit circe annum 860. tempore Ludovici II. scripsit (licet stylo parum Latino) historiam a Christo usque ad Michaëlam seniorem, imp. Constantinop. impulsu regis Caroli II. cui carus fuit. Concilium 7. generale vertit in linguam latinam. Similiter octavum, cui interfuit, vertit etiam in Latinum sermonem vitam sancti Johannis eleëmosinarii *Bellarm. de scrip. eccles. anno 858. Gordoni Chronol. part. 1. c. 20. Voss. de hist. lat. l. 2. c. 35.*

Sub regno pontificis librorum curam, potestatemque eos prohibendi, castrandi, cremandi ad suum tribunal traxerunt *hæreticæ pravitatis inquisitores*, quibus gradibus eo perventum sit docet *Petrus Soavis hist. conc. Trid. lib. 6.* cujus verba huc facientia ascribere non piget. „In veteri ecclesia, martyriis & persecutionibus exercita, nulla fuit „prohibitio Ecclesiastica, viris tantum piis religio fuit impios libros „legere, ne impingerent in unum e tribus legis divinæ præceptis, „quibus jubentur homines mali contagionem vitare, tenationibus, „nulla neque necessitate neque emolumento invitante, sese non ob„jicere & tempus rebus vanis non impendere. His legibus quippe „naturalibus tenentur & obligantur semper homines, ad vitandam „improbatorum lectionem, etsi eam lex nulla ecclesiastica vetaret. „Sed ut hæ considerationes cessent, successit exemplum Dionysii, e„piscopi Alexandrini, celeberrimi doctoris, qui circa annum Domi„ni 240. a sacerdotibus suis hoc nomine increpitus, & ob rationes „jam dictas titubans per visionem munitus fuit, ut quemvis librum „legeret, quod prava a rectis discernere peritus esset. Et tamen a „libris Gentilium plus periculi importari putabatur, quam a libris Hæ„reticorum, erantque libri hoc magis exosi, & eorum lectio repre„hensioni eo magis obvia, quo plures Christiani doctores nimia elo-

„quentiæ

quentiæ addiscendæ cupiditate & curiositate, assiduis eos manibus „ versabant, quam ob causam divus Hieronymus, sive per visionem, „ sive in somnis a satana virgis creditur cæsus. Inde sub hæc ipsa tem- „ tempora circa annum 400. concilium Carthaginense interdixit e- „ piscopis Gentilium librorum lectionem, Hæreticorum libros legen- „ di potestate facta, quod decretum extat inter canones a Gratiano „ consarcinatos. Atque hæc est prima prohibitio forma canonis. „ Atque sunt & aliæ apud Patres, consilii forma ad legis divinæ, quam „ supra citavimus, normam exigendæ. Jam Hæreticorum libri qui „ doctrinam complectebantur, damnatam a conciliis, sæpe ab ipsis im- „ peratoribus, civilis disciplinæ causa, legi vetabantur. Ad hunc mo- „ dum Constantinus libros Arrii, Arcadius Eunomiorum & Mani- „ chæorum; Theodosius Nestorii; Martianus Eutychianorum & in „ Hispania Ricaredus rex Arrianorum scripta prohibuit. Conciliis „ atque episcopis visum satis ostendere quorum librorum damnabi- „ lis atque apocrypha esset doctrina: quod factum a Gelasio, anno „ 404. neque ulterius pergere, sed cujusque conscientiæ liberum re- „ linquere, libros eos vitare, an boni cujusquam causa legere velit. „ Post annum vero 800. Romani pontifices, multis partibus civilis „ regiminis sibi arrogatis, & librorum lectionem prohibuerunt, & li- „ bros flammis mandari imperarunt, quorum auctores ipsi damnave- „ rant: ad hoc tamen usque seculum reperiuntur non nisi paucissimi „ libri in eum modum prohibiti. Universalis certe prohibitio, sub „ pœna excommunicationis, nulla alia sententia præcedente, ne quis „ libros legeret Hæreticam doctrinam continentes, aut hæreseos su- „ spectos, nondum inoleverat. Martinus V. papa diplomate suo „ omnes Hæreticorum sectas, Wiclefistas & Hussitas imprimis sacro- „ rum communione interdixit, sed de iis nullam facit mentionem, „ qui libros eorum evolvebant, licet multorum manibus tererentur. At „ Leo X. Martino Luthero damnato, libros simul ejus omnes, sub pœ- „ na excommunicationis legi vetuit. Et secuti eum pontifices, Hæ- „ reticis omnibus diplomate eo damnatis, atque excommunicatis „ quod vocant in cœna, eodem diris etiam devovent illos, qui in li- „ bris eorum versantur. Tum in aliis, contra Hæreticos in genere, „ diplomatis, eodem diro censurarum fulmine librorum lectores fe- „ riunt. Inde magna rerum confusio invecta: quandoquidem mini- „ me editis Hæreticorum, qui damnati essent, nominibus, potius ex „ doctrinæ qualitate, quam ex nominibus auctorum ad librorum co- „

„gnitionem erat veniendum, cumque diversa essent diversorum ju-„dicia, innumeri inde conscientiis hominum scrupuli injiciebantur. „Diligentiores quoque Hæreticæ pravitatis inquisitores sibi catalogos „conficiebant auctorum, qui ad eorum notitiam pervenerant, sed „nisi hi inter se componerentur, eadem adhuc restabat difficultas. „Philippus Hispaniarum rex primus forma tolerabili confusionem „hanc tollere aggressus est, lege lata, anno 1558. qua edictum, ut li-„brorum ab inquisitoribus Hispanis prohibitorum catalogus typis ex-„cuderetur. Hoc exemplo Paulus IV, edixit Romæ, ut ab iis, qui „inquisitionis officio inibi præpositi, index conficeretur & imprime-„retur, quod & brevi post factum, annno 1559. in eo multis parasan-„gis longius itum est quam superioribus seculis, jactaque fundamen-„ta tuendæ magnoque opere amplificandæ autoritati curiæ Roma-„næ, ademta hominibus ea cognitione, quæ necessario requiritur, ad „unumquemque ab injustis usurpationibus defendendum. Nam ad „eum usque diem, librorum prohibitiones nunquam excesserant ter-„minos librorum Hæreticorum: neque quisquam liber prohibitus, ni-„si cujus auctor damnatus esset. At vero hic index in tres classes fu-„it distributus, prima continet nomina eorum, quorum omnia o-„pera cujuscunque argumenti, etiam prophani, omnino vetantur. „Secunda parte continentur nomina librorum singulatim damnato-„rum, cum alii eorundem auctorum libri minime vetentur. Tertia „pars complectitur scripta quædam auctore anonymo, præterquam „quod clausula generali etiam vetantur libri omnes qui non præfe-„runt nomen auctoris, ab anno 1519. scripti, quo nomine multi au-„ctores damnantur, quos totis 300. 200. & 100. annis, literati omnes „in ecclesia Romana manibus versabant, pontificibus Romanis con-„sciis, nec contradicentibus tanti temporis spatio. E novitiis etiam „nonnulli damnati in Italia ipsa, imo Romæ excusi inquisitione ap-„probante, imo per diploma suum pontifice, quo ex genere sunt E-„rasmi annotationes in Novum Testam: ab Leone X. postquam eas „evoluisset, approbatæ, diplomate dato Romæ 10. Sept. 1518. Quæ hic præterea consideranda sunt & consilia hac de re in concilio proposita, apud ipsum auctorem legi possunt. Contra hanc Ecclesiasticis usurpatam magistratus civilibus ereptam potestatem disserit idem auctor in *historia inquisitionis Italice & Belgice edita, ad cap. 29.* ubi factum Philippi Hisp. regis, XI. tomum annalium Baronii damnantis, contra pontificis asseclas, solide defendit. Impudens est castratio, qua

Ponti-

Pontificii antiquorum præsertim patrum scripta corruperunt, quas artes detexit Tomas Jamesius, libros Romæ, ex bibliotheca Vaticana, editos, cum MSS. exemplaribus in Oxoniensi comparans. Lege hac de re *Dallaum de vero usu patrum. lib. 1. cap. 3. & 4. & insigne exemplum ex Fr. Junio apud Wolfium lect. memor. tom. 2. pag. 563. 564.* Nec occultant hanc fraudem Pontificii, in lucem editis indicibus expurgatoriis, & correctoriis, qui re vera factæ sunt tabulæ rerum expedendarum, & summo jure emendatissimi habiti sunt libri, qui minus essent ab illis emendati. Sed eo tandem erupit immanis illa impietas, ut egregia non tantum doctorum virorum monumenta Vulcano devoverint, sed neque a S. scriptura sacrilegas manus abstinuerint. In publico, per lictores publicos, biblia sacra combusta testatur *Hyperius lib. 1. delect. script. & Mellinus in martyrologio non uno loco.*

Idem in Gallia nostro seculo factum esse, declaratione publica, & protestatione, declararunt ecclesiæ reformatæ. *Baudart. annal. lib. 13.* Qui vero his abominationibus manus admoverunt, sæpius præsentissimo Dei judicio puniti sunt. In persecutione Bohemiæ, Georgius Nachod apostata libros sacros fœtidis cloacis sepeliverat, sed tetro gutturis morbo a Deo punitus fuit, quo & lingua illi computruit, & foramina aliquot infra mentum erosa, ut quicquid alimentorum, aut medicamentorum ingereretur, vel mox efflueret, vel sensim exstillaret: ita post unum & alterum mensem animam exhalavit. *histor. persecut. Bohem. cap. 106. §. 17. ibidem §. 9.* narratur, quomodo inter ingentem librorum ad ignem damnatorum multitudinem, reliquis absumtis, biblia sacra, solis marginibus aliquantum ambesis, remanserint, ut & alter cantionum Ecclesiasticarum liber. Uterque ab exulibus Zatecensibus Friburgæ Misniorum in rei memoriam asservatur.

In ecclesiis Reformatis per districtus *minoris Poloniæ*, superattendenti, sive seniori Ecclesiastico primario, bibliothecæ & typographiæ visitandæ ac ordinandæ cura incumbit. *Regen. hist. eccl. Slavon. pag. 122.*

Bibliothecæ Patavinæ curam nemine primum ambiente, eam *Alexander Syncliticus* JC. Prof. legum primarius, aucto sibi salario florenorum centum obtinuit, addito, custodis titulo, Paulo Frambolto bibliopola. Sed ut vir erat omnium literarum peritissimus, sic ad bibliothecæ calamitatem accessit, quod ille senectute & studiis occupatissimus, longo tractu a præfecti curia abesset, ut vix eam bis in anno inviseret. Ita sacrum hoc ærarium semper clausum frustra videbatur ere-

 ctum.

ctum. Anno 1647. defuncto Synclitico, plurimis viris clarissimis, munus id frustra petentibus, *Octavio Ferrario* artis oratoriæ Prof. celeberrimo oblatum fuit. In conservationem & augmentum hujus bibliothecæ decretum, ut quilibet laureæ candidatus, & præterea in collegium quodcunque universæ ditionis Venetæ recipiendus, duos solvat coronatos argenteos: Professores quoque recens acciti, aut in aliam cathedram translati, honorarii decimam in eundem usum pendeant. *Ex Thomasino Spizel. dissert. prælim. ad sacr. biblioth.*

In Jesuitarum collegiis bibliothecarum arbitrium *penes Rectorem* est. *Custodi* vero hæ leges præscriptæ sunt: *Indicem expurgatorium & librorum prohibitorum in promptu semper habeto: Libros vetitos non retineto: Bibliothecam omnibus, exceptis iis quibus adeundi facultas concessa est, claudito: Libros mundos custodito: Titulos iis inscribito: Catalogum eorum concinnato: Nullum librum aliis, inscio Rectore, utendum dato.* Nam ne patribus quidem, sine præscitu regentis, Hæreticorum libros ex bibliotheca eximere fas est. Junioribus autem ne petere quidem licet, nisi carmine prius, aut alio scripto, hunc ipsum authorem, cujus scripta cognoscere cupiunt, omni genere convitiorum proscinderint. *Hosp. hist. Jesuit. fol. 209. Russius de mundi religionibus edit. Belg. pag. 455.*

Leges bibliothecæ Vaticanæ, tabulæ marmoreæ insculptæ, hæ sunt, ex Cicarella, in vita Sixti V. Sweertio item ac Chytræo in suis delitiis:

Sixti V. P. M. perpetuo hoc decreto, de libris Vaticanæ bibliothecæ conservandis, quæ infra sunt scripta hunc in modum sancita sunto, inviolateque observantor.

Nemini libros, codices, volumina Vaticanæ hujus bibliothecæ ex ea auferendi, extrahendi, aliove asportandi, non bibliothecario, neque custodibus scribisque, neque quibusvis aliis, cujusvis ordinis & dignitatis, nisi de licentia summi Rom. Pontificis scripta manu, facultas esto. Si quis secus fecerit, libros partemve aliquam abstulerit, extraxerit, clepserit, rapseritque, concerpserit, corruperit dolo malo; illico a fidelium communione ejectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus esto. a quoquam, præterquam Rom. P. M. ne absolvitor.

In academia Aurelianensi, sola natio Germanica jus habet eligendi non tantum procuratorem, quæstorem, assessorem, consiliarium, sed etiam bibliothecarios, coram rectore sistendos & confirmandos ab illo. Hic *bibliothecæ præfectus* ex bibliothecario jusjurandum præstare debet ex usu, confirmato ab Henrico IV. anno 1603. Solus copiam introëundi in bibliothecam largiri potest; cæteri officiarii minime,

nime, sub pœna X. assium. Non nisi a pomeridiana hora prima, usque ad tertiam compellari potest. Extra urbem euntibus vel degentibus nullum librum usui dare potest. A doctoribus novis & licentiatis honorarium, in augmentum & ornamentum bibliothecæ exigere potest. Pecunia bibliothecæ in scrinio nationis recondi debet. In alios usus quam in augmentum bibliothecæ eam insumere non potest. Plurimis eundem librum volventibus, per alternas hebdomadas singulis ejus usum addicere potest. Qui in libris aliquid ruperit, arbitraria pœna plectitor. Qui clam librum asportaverit, eo libro & X. assibus multetur. Qui surripuerit libros vel vendiderit, vel plane restituere non vult, sacrilegi instar habetor. Si præfecto ante diem solennem abeundum sit, in seniorum conventu alius subrogator. Successori, librorum suis numeris & circumstantiis notatorum catalogum novissimum, item & alterum, tradere, & præsentibus reliquis officiariis pecuniarum rationem dicere debet. *Juramentum præfecto illius bibliothecæ præstandum, tale est:*
In nomine Domini juro. Me munus præfecti bibliothecæ inclutæ, „ Nationis Germanicæ, in hac urbe Aurelianensi, optima fide & dignitate, commodoque ejusdem nationis administraturum. Et imprimis „ nullam iniisse pactionem, vel coitionem de hoc munere vel recusando, vel adipiscendo. Me daturum esse operam, ut bibliotheca „ nostra, & ea quæ pertinebunt ad ipsam conserventur, augeantur &, „ floreant: sique alii libri, vel pecuniæ ad eam conferantur; diligenter „ conserventur, omniaque collatorum & conferentium nomina in „ acta mea conferantur. Me notas in libris collocandis conservaturum „ & in aliis libris, quicunque ad bibliothecam accesserint, continuaturum, eosque, servatis omnibus circumstantiis, rite in bibliothecæ „ catalogum, Italico charactere, consignaturum. Me, dum magistratu abiero, successoribus meis per octo dies in bibliotheca affuturum, illosque de omnibus necessariis instructurum. Me non permissurum, ut ullus ex prohibitis libris ex bibliotheca auferatur, nisi „ ipse procurator, aut exprocurator, aut reliqui quatuor officiarii præsentes sint, & cum venia procuratoris petant. Me, cum ab hoc munere, suo tempore, aut, præter spem, non finito spatio functionis, „ seu etiam legitimo & ordinario modo discessero, rationem redditurum, & claves, libros bibliothecarios, & si quæ erunt reliqua, traditurum. Ita me Deus adjuvet. Quin etiam omnes immatriculandi, procuratores, quæstores, assessores, seniorea & consiliarii præter alia juramenta, cujusque munus concernentia, etiam jusjurandum de

bibliotheca hac conservanda, augenda, & ornanda præstare tenentur. Ut latius ostenditur ab Abrahamo Golnitzio Dantiscano in *Ulysse Belgico-Gallico. Limn. notit. regn. Franc. lib. 5. cap. 10.*

Adjicio jambos Hypomnematicos Plempii & civis & poëtæ Amstelodamensis, quibus lectores bibliothecis ingressi, officii sui monentur.

Quisquis vir intras literas doctus bonas,
Tumultuosa ne move fores manu;
Nec turbulento fac solœcismum pede,
Musis molestus. Deinde si quem repperis
Intus sedentem, dic salutem cernuus,
Nutuque muto; nec capesse fabulas:
Hic occupatos alloquuntur mortui.
Mox lector acquiesce libro sedulus,
A quo magis surgas bonus, quam doctior,
Si sat sapis; si non; fero, sis doctior:
Doctrina multis digna res est laudibus.
Nescit latine, quisquis hic frangit nuces.
Nescit latine, quisquis hic agit nihil.
Mirare vincti cur catenis codices
Stent, ceu locis haud sponte contenti suis?
Hoc pulcher, haud turbandus ordo postulat:
Simul cavendum maxime est, fur ne domum
Exportet aut in auctionem perfidus;
Probi videntur sæpe, qui sunt improbi.
Quem volvis, illum codicem haud corrumpe, neu
Grassare penna, paginas contaminans
Doctas inepta barbara latinulas.
Hæc qui malus non audit, ex esto procul.

Longæ Illiades scribendæ essent, si omnes & singulos bibliothecarum præfectos recensere vellem; ex literatissimis, quibus ea cura demandari solet, clarissimos quosdam, prout menti occurrrerint enumerabo.

Bibliothecæ Siculæ, tempore Ruperti regis præfuit *Paulus Perusinus* philosophus & JCtus.

Augustinus Mostus, Ferrariæ.
Rigantius JCtus, Parisiis.

Pla-

Platina qui pontificum Romanorum vitas descripsit, a Paulo IV. P. R. diu in vinculis habitus, de conjuratione falso accusatus, a Sixto IV. qui Paulo successit, fortunis suis restitutus bibliothecæ Vaticanæ præfuit.

Ei successit *Bartholomæus Aristophibus*.

Eidem præfuit *Augustinus Steuchus Eugubinus* Chisami episcopus. Tempore Hadriani VI. P. M. eam curavit *Hieronymus Aleander*, vir multarum linguarum peritus. *Onuphr. ne vita Hadr. VI.*

Item *Cæsar Baronius* cardinalis, celebris annalium Ecclesiasticorum scriptor.

M. Antonius Sabellicus annuo stipendio bibliothecæ D. Marci Venetiis præfuit.

Budensi bibliothecæ in Hungaria a Matthia Corvino excitatæ, præfuit *Bartholomæus Fontius*, regis familiaris, bibliothecæ augendæ studiosissimus. Item *Galeotus Martius*, qui primum Bononiæ, hinc in Pannoniæ privatis scholis bonas literas docuit. Post regis Corvini domesticus atque epistolarum magister factus. Scripsit de jocose dictis ac factis Regis Matthiæ Corvini. *Robertus Gaguinus* a Ludovico XII. Galliæ Rege, bibliothecæ Regiæ præfectus fuit, addita ingenti pecuniæ vi, ut eam variis libris locupletaret. vide *Voss. de hist. lat. lib. 3. cap. xi.*

Castellanus bibliothecarius Francisci I. Galliarum regis, episcopus Matisdonensis oratione funebri huic Regi parentavit.

Galterus Helminghtonus, Anglus, monachus ad S. Albanum, & bibliothecarius ejusdem cœnobii. Auctor a nonnullis putatur librorum V. de gestis Alexandri: qui ab aliis Radulpho Albanio tribuuntur, *Vossius de hist. lat. lib. 2. cap. 51.* Henrici II. & Conradi II. imp. ætate vixit Tangmanus presbyter bibliothecarius, ac notarius ecclesiæ Hildesheimensis. *Voss. ibid. cap. 43.*

Thomas Jamesius bibliothecæ Oxoniensis Proto, bibliothecarius, scripsit catalogum bibliothecæ publicæ Oxoniensis, a Thoma Bodleio, equite aurato, institutæ. Item eclogam Oxonico-Cantabrigiensem in libros duos tributam, quorum prior continet catalogum librorum MSS. in illustrissimis bibliothecis duarum florentissimarum Academiarum Oxoniæ & Cantabrigiæ, scripsit quoque bellum papale, collationem versionis vulgatæ ex editionibus Sixtina, & Clementina instituens. Et de corruptione scripturæ, conciliorum & Patrum, Anglice.

Johannes Lelandus Henrico VIII. Angliæ regia bibliothecis fuit. *Isaaco Casaubono*, sub Augusto Thuano, regiæ in Gallia bibliothecæ custo-

custodia commissa fuit, ringentibus frustra Papistis, *vide Casaub. epist. 321.*

Huic ante Thuanum præfuerat *Jacobus Amiotus* Altissiodorensis Episcopus, Caroli IX. & Henrici III. Gall. Regum præceptor, qui Poëmenica Longi, Æthiopica Heliodori, Diodorum Siculum & Plutarchum in linguam Gallicam transtulit. *Thuan. lib. 5. de vita sua.*

Bullingerus bibliothecam Tigurinam eo usque fere neglectam per Conradum Pellicanum in ordinem redigendam curavit.

Leydensi bibliothecæ inter alios præfuerunt *Paulus Merula* Historiographus celebris & Cosmographus, *& Daniel Heinsius*, qui curatoribus, pro hoc munere sibi imposito, oratione gratias egit, quæ inter orationes ejus tertia est.

Hagensis bibliotheca olim quidem perpetuum & peculiarem custodem habebat, sed postea curam ejus Philippus rex præsidi *Viglio*, & simul munus imposuit conquirendi libros, quos Gallica aut Latina lingua olim habuit Margareta Austriaca imperatoris Caroli amita, & ab eo Belgicæ præfecta.

Martinus Chemnitius, concilii Tridentini examinator, per triennium & amplius bibliothecæ principis Borussiæ præfectus fuit: Hunc solum ex Lutheranis timere se dicebat Jesuita Gregorius de Valentia, teste aurito *Hasenmullero hist. Jesuit. pag. 36.* Ad hujus viri Elogium adjiciendum videtur, quod narrat Gasmerus in ejus vita: Joachimus „ Gotzenius J.U.D. Legatus Erici Ducis Brunsvicensis & Lunæburgen- „ sis, Tridenti aliquando cum tribus Cardinalibus cœnavit, de variis „ colloquebantur, unus autem reliquis doctior & magis moratus visus, „ quæsivit de Theologis Germaniæ, Gotzenius aliquot nominavit, re- „ spondit cardinalis; Esse quendam Martinum Chemnitium, ecclesiæ „ Brunsvicensis doctorem inter Theologos Germaniæ, suo judicio, „ facile Principem; scripsisse illum examen concili Tridentini, ex quo „ luce meridiana clarius appareat, multos horrendos errores, per ne- „ gligentiam Episcoporum, in ecclesiam irrepsisse. Neminem inter „ Germaniæ Theologos hactenus fuisse, qui Ecclesiæ Romanæ, post „ Lutheri obitum, plus nocuerit quam Chemnitius suo isto scripto. „ Hoc se ingenue confiteri, virum admirari, ei eruditionis palmam „ præ omnibus Theologis Germaniæ tribuere, nihil magis optare, „ quam ut illum videre aliquando, & cum ipso de toto religionis nego- „ tio conferre possit.

Patritius Junius bibliothecarius Regius Londinensis a multis celebratur.

Janus

Janus Gruterus vir celebris, Heidelbergensi Palatinæ bibliothecæ præfectus, quod munus illi impositum gratulatur Josephus Scaliger *epist. 417.*

Bonaventura Vulcanius præfectus bibliothecæ Francisci a Mendoza, cardinalis & episcopi Burgensis, deinceps in academia Lugduno Batava, per annos XXXI. Græcam linguam professus est. Ipse Vulcanius elegantem habuit bibliothecam. Homo religionis incertæ Scaligerian. pag. 363.

Gabriel Naudæus a bibliothecis fuit cardinalibus *Francisco a Balneo, Francisco Barberino; Julio Mazarino*, ac tandem *Christinæ* Suecorum reginæ. De laboribus ac itineribus a se locupletandæ bibliothecæ Mazarinicæ causa susceptis, hoc carmine ipse testatur:

Dum struis innumeris sedem, Mazarine, *libellis,*
Hosque jubes, toto sedulus orbe legam,
Primus ab exhaustis retulit labor omnia Belgis,
Et redii spoliis ditior Atrebatum.
Proxima cura fuit Venetum lustrare tabernas,
Helveticos saltus, Ausoniæque plagas.
At nunc Sarmaticis petimus loca fœda pruinis,
Tam facilis blando vis latet imperio!
Nec mea jam seris ætas male tuta sub annis,
Nec dubiæ obstabunt certa pericla viæ.
Quin paribus studiis Martem conjungere Musis,
Gallia, te magno vindice; sola queat.

De suo in Angliam itinere, eadem de causa, sic cecinit:

Quo tua per varios crescat, Mazarine, *labores*
Orbis in exemplum, bibliotheca, meos;
Jam tribus emensis Europæ partibus, Anglos
Divitiis conor nunc spoliare suis.
Hispani restant, sed tu dum Marte fatigas
Illos, jure mihi hospita tecta negant.
Hinc tibi cum telis vel libris ponere metam
Conveniat, telis sit rogo meta tuis.

Postquam autem, turbis civilibus, cardinalis Mazarinus Galliæ finibus ejectus esset, Naudæus a Christina Suecorum regina invitatus, ad eam profectus est. Deinceps ejus bibliothecæ cura *Francisco de la Poterie.*

 prio-

priori Securiensi, est demandata. *ex Epistolis Naudæi, ejusdemque elogio a PetroHallæo conscripto.*

Johannes Jacobus Fuggerus bibliothecæ, magnis sumtibus, Augustæ Vindelicorum a se instructæ, præfecit *Hieronymum Wolfium*, qui de ea sic scribit.

> Ἐν βίβλοισι δ' ἐγὼ ποσαισι καλίνδομαι αἰεί,
> Ὅσσα ὁ παμφαίνων οὐρανὸς ἄστρα ἔχει.
> Δρεψάμενος τῇ μὲν καρποὺς, τῇδ' ἄνθε' ἱερώνων,
> Τῇ μὲν ἄρ εὐμαθίης εἵνεκα, τῇδε χαρᾶς
> Αὐτὴ μὲν οὖν πάντων αἱρεῦμαι βιβλιοθήκην
> Φυκκαρίην, εὐχῆς κρείττονα τήνδε φιλῶ.

Script. publ. acad. Witteb. tom. 3. fol. 121. quos versus ut cunque latine sic reddidi:

> *Quot cælum stellas, tot bibliotheca libellos*
> *Hæc habet; hic totos transigo sæpe dies.*
> *Me juvat hinc fructus, juvat hinc decerpere flores,*
> *Et sic doctrina, delitiisque frui.*
> *O Fuggere, tuam, præ cunctis, bibliothecam*
> *Hanc amo, nam votis major & illa meis.*

Fuit hic Hieronymus Wolfius Oetingensis, exacta linguæ Græcæ cognitione clarus, perlustratus in flore adolescentiæ Galliæ & Italiæ Academiis, Augustam Vindelicorum se contulit. Fuggerorum liberalitate sublevatus Zonarum, Nicetam, Gregoram historiæ Constantinopolitanæ scriptores latinitate donavit: literas Græcas in Annæa schola professus est. De vitæ suæ cursu sic ait *annotat: in cap. 36. enchirid. Epict. Fui modo scholasticus, modo scriba, modo aulicus, modo pædagogus, modo bibliothecæ præfectus, modo scholæ gubernator, idque eo usque, ut nunc quod sim, pene ipse ignorem.* Obiit, anno 1580. 7. Octobris. *Lundorp. contin. hist. Sleid. lib. 20. Bucholt. in d. chron.*

De bibliothecariorum veterum & modernorum officio *vide Hotting. bibliothec. quadrip. part. 1. cap. 1.*

Præfectos bibliothecæ Vaticanæ, custodes, item librarios vel scriptores habet *Angelus Roccha. biblioth. Vatic. pag. 54. 55. 56.*

CA-

CAPUT. XIV.

De bibliothecarum ſitu, diſpoſitione & ornamentis.

Bibliothecæ ex præcepto Vitruvii *lib. 6. architect. cap. 7.* orientem ſpectare debent, uſus enim matutinum poſtulat lumen, & in hujusmodi bibliothecis libri non putreſcunt. Nam in his, quæ ad meridiem & Occidentem ſpectant, a tineis & humore vitiantur, quod venti humidi advenientes procreant eas & alunt, infundenteſque humidos ſpiritus, pallore volumina corrumpunt. Venti autem Orientales calidi ſunt & ſicci, adeoque ſalubres, valde efficaces ad halitus temperandos & purificandos. Olim in villis & fundis ruſticis bibliothecæ extruebantur, ut nullum a ſtudiis tempus vacaret, & ruris amœnitas ſtudiorum labores tanto jucundiores faceret. Colligitur hoc ex *lege quæſitum 12. §. inſtructo. ff. de inſtructo vel inſtrumento legato: Libri quoque & bibliotheca quæ in eodem fundo ſunt legato continentur. vide caput I.* Julius Martialis in rure ſuo ſuburbano bibliothecam habuit. *Mart. lib. 7. ep. 16.*

Ruris bibliotheca delicati
Vicinam videt unde lector urbem. Sic *Horat. lib. 2. S. 3.*
Si vacuum tepido cepiſſet villula tecto,
Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum comites educere tantos?

Navis illa Hieronis Syracuſani, inter alia ornamenta etiam bibliothecam habuit. *Athen. lib. 5. cap. 11.*

Etiam inter balnearia, & thermas bibliotheca, tanquam neceſſarium domus ornamentum, expoliebatur. *Senec. de tranquill. animi cap. 9. Auguſt. confeſſ. lib. 9. cap. 4.* in villam cum ſociis ſe profectum eſſe, atque ibi in literis tempus tranſegiſſe teſtatur. *Apud Chriſtianos* bibliothecæ fere in templis vel ad templorum latera conſtruebantur. *Magdeb. Cent. 12. cap. 6.* id quod etiamnum in multis locis obtinet. Bibliothecæ Vaticanæ locus ſumme hilaris eſt, & Muſarum digna ſedes, lucem ampliſſimis feneſtris copioſam accipit; & e propinquis hortis ſuavem auram, quæ libros legenteſque recreat, *Merc. Ital. pag. 204.* Librorum diſpoſitio arbitraria eſt, eam tamen cum jucunditate & uti-

litate conjunctam esse oportet: quod fiet si libri eleganter compingantur, compacti judiciose collocentur. Quibusdam hæc librorum in certas classes distributio arridet: ut in *prima* sint Biblia sacra & libri Theologici; ut scripta Patrum, Scholasticorum & aliorum: itemque jus Canonicum, historia Ecclesiastica, Chronologia sacra &c. *In secunda* libri Philosophici, juxta Philosophiæ divisionem; itemque artes Mechanicæ, quæ ex Philosophia dependent. *In tertia* Medicina, Chirurgia &c. *In quarta* Juris civilis prudentia. *In quinta* humana historia pro ratione temporum & locorum. *In sexta* Oratores, Poëtæ, Grammatici. *In septima*, universalia sive encyclia, thesauri, apparatus bibliothecæ, dictionaria.

Alii in bibliotheca novem ordines constituunt, quorum *primus* continet libros universales. 2. libros Philologicos juxta Philologiæ divisionem. 3. libros Philosophicos juxta Philosophiæ partitionem. 4. libros Theologicos, puta biblia; libros methodicos, juxta varias Theologiæ partes, & libros Exegeticos, juxta seriem librorum biblicorum. 5. libros juris civilis & canonici, juxta seriem institutionum & pandectarum. 6. libros Medicos, juxta Medicinæ partitionem. 7. libros Mechanicos. 8. libros disciplinarum partialium. 9. libros disciplinarum compositarum.

In Jesuitarum bibliothecis Hæreticorum libri inter alios non collocantur, sed ad sinistram sunt constituti, & quidem atris pellibus, atris membranis ligati & atro colore desuper tincti. *Hospin. hist. Jesuit. fol. 209.* Henricus Kitshius de bibliotheca instituenda discursum scripsit, & de ea in singulos annos locupletanda, secundum tria vitæ genera; Theosophum, Politicum, & Oeconomicum. *Bolduanus.* Extat & philobiblion Richardi Dunelmensis, sive de instituenda bibliotheca. *Oxon. 1599.*

Ordinem ac seriem bibliothecæ Rantzovianæ, in arce Bredenburgensi, in Holsatia, Dethlerus Sylvius hoc carmine oculis subjecit:

Quam Bredeberga tenet merito celebratur ubique
Laudibus, a doctis, bibliotheca, viris;
Tam variis etenim, totaque est instructa libellis,
Ut non huic habeat Cimbrica tota parem.
Prima sacris libris classis spatiosa dicata est,
Qui nostra tradunt religionis opus.

Hinc

Hinc sequitur legum Jurisprudentia cultrix,
Hæc est justitiæ fida ministra sacræ.
Tertia sed classis Medicinæ tota tributa est,
Qua viget humani corporis ipsa salus.
Vendicat hinc quartam classem sibi docta Mathesis,
Inde sacros vates, historicosque vides.
Bis ter mille libris constat, librisque trecentis,
Vilibus exceptis, quos numerare grave est.
Dii faxint superi, multos sit salva per annos,
Et maneat seræ posteritatis opus.

Beyerl. theatr. vit. hum. De topothesia libraria late disserit Hottingerus in prolegomenis bibliothecarii sui, cap. 5.

Ornantur bibliothecæ maxime picturis, non inanibus aut scurrilibus, sed quæ eruditionem aut alere aut augere possunt; quales sunt delineationes historiæ, tum fabulosæ poëtarum, tum veræ. Item mappæ Geographicæ, descriptiones urbium & locorum. Imprimis vero statuis & imaginibus Musarum & Apollinis, ut eruditionis præsidum; & clarorum doctorumque virorum. *Cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum in speciem & cultum parietum in bibliothecis comparantur. Senec. de tranq. animi, cap. 9.* siquidem ex auro argentove, aut certe ex ære in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ubi loquantur, quin etiam, qui non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus, sicut in Homero evenit: quo majus nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. Imaginum amorem flagrasse quondam, testes sunt & Atticus ille Ciceronis edito de his volumine, & Marcus Varro, benegnissimo invento, insertis voluminum suorum fœcunditati non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed & aliquo modo imaginibus, non passus incidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere. *Plin. hist. nat. lib. 35. cap. 2.*

Ovidius in descriptione Regiæ Solis, ad ornatissimam porticum & bibliothecam Palatinam digitum intendisse videtur multis. *2. Metam.*

In Asinii Pollionis bibliotheca Romæ, unius, viventis Marci Varronis posita imago est: haud minore gloria, principe oratore & cive, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit, multitudine, uni hanc coro-

nam dante, quam cum eidem Magnus Pompejus piratico bello navalem dedit. *Idem lib. 7. cap. 30.*

Tabula Delphica antiqui æris, Romæ in palatio, dono principum, Minervæ dicata in bibliotheca, hac inscriptione. *Ναυαρχήσας ποιμένι ἀνέθηκε. Idem lib. 7. cap. 59.*

Herennius Severus, vir doctissimus, magni æstimabat in bibliotheca sua ponere imagines Cornelii Nepotis, & Titi Cassii, easque exscribendas pingendasque petebat. *Plin. Sec. lib. 4. epist. 18.*

In villis Silii Italici multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cujus natalem religiosius quam suum celebrabat; Neapoli maxime, ubi monumentum ejus adire, ut templum, solebat. Idem innuit *Martialis lib. XI. epigram. 49.*

Silius hic magni celebrat monumenta Maronis,
Jugera facundi, qui Ciceronis habet.
Hæredem, dominumque sui tumulique larisque,
Non alium mallet nec Maro, nec Cicero.

Cic. lib. 4. ad Attic. epist. 9. ego hic posui bibliothecam Fausti: & mox: *Maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quam in istorum sella Curuli. & lib. fam. 7. epist. 23. Musas* dicit *esse ornamentum aptum bibliotheca studiisque congruens.*

Bibliothecam Ciceronis disposuit Tyrannio, picturis ornarunt Dionysius & Menophilus librarii, quos ab Attico petierat, *lib. 4. epist. 4.* ex qua verba quædam asscribam, quæ in suo codice, cujus deinde possessor fuit Vossius, emendavit Jos. Scaliger: *Etiam vellem mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur, glutinatoribus ad cætera administris; iisque imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, quos vos Græci, ut opinor, σιττύβας appellatis.* Sic legi voluit Scaliger non συλλάβας, ut est in vulgatis. Quod confirmatur epistola sequenti: *bibliothecam mihi tui pinxerunt constrictione* (alii pro *tui*, *tuam*, pro *constrictione*, *constructione* legunt) *& sittybis.* tum epist. 8. ejusdem libri: *Posteaquam Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis ædibus: qua quidem in re mirifica opera Dionysii & Menophili tui fuit. Nihil venustius quam illa tua pegmata,*

pegmata, postquam mi sittybis libros illustrarunt. Sic legit *Vossius* in etymologico voce *Sittybus.*

Colossus Apollinis Tuscanici L. pedum in bibliotheca Palatina. Ibidem statua Numeriani Imp. *Onuph. regione urbis X. Rosin. antiquit. cap. 13.*

Tiberius non solum scripta Euphorionis, Rhiani & Tiberii, quorum carminibus admodum delectabatur, sed etiam illorum imagines, publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos authores, dedicavit: & ob hoc plerique eruditorum certatim multa de his ad eum ediderunt.

Signum Apollinis Temenitæ, amplitudinis & artis eximiæ Syracusis advectum, ut in bibliotheca novi templi poneretur. *Suet. Tiber. cap. 70. & 74.*

Stertinius, vir clarissimus, poëtæ Martialis imaginem in bibliotheca sua ponere voluit, cui versus subscribendos misit *lib. 9. epigr. 1. vide Lips. de bibl. cap. X.*

Bibliothecæ Boëthianæ parietes ebore & auro compti erant de *consol. phil. lib. 1.* vitro autem fortasse diversi colore, unde bibliothecam ingresso, variæ, eæque jucundæ redderentur imagines. Quod suo tempore ita in usu fuisse observat *Plinius lib. 36. cap. 26.* ut vitrum Obsidianum parietibus applicari consuetum, pro imagine umbras reddere solitum notet. In genere vitri & Obsidiana numerantur, ad similitudinem lapides, quem in Æthiopia invenit Obsidius, nigerrimi coloris & translucidi, crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine umbras reddentem. Porro ejusmodi vitra & specula per cubicula etiam veteres disposuisse, quæ nunc majores, nunc minores ipsis rebus imagines redderent, nemo est qui nesciat, cui modo vita Horatii lecta sit. *Nannii miscell. lib. 3. cap. 2.* aut fabula illa Hostii (si modo illud portentum hominis nominandum est) apud *Senec. nat. quæst. lib. 1.* quin etiam lecticarum fenestras è lapide speculari habebant delicatiores Romani *Juven. sat. 5.*

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Cœlius Calcagninus in bibliotheca sepeliri voluit. In bibliotheca Senensi res gestæ Æneæ Sylvii, additis elogiis, singulari elegantia depictæ conspiciuntut. vide *supr. cap. 10.*

Vaticana pulcherrimis picturis a Sixto V. ornata. In ea hæ inscri-

ſcriptiones, de libris loquentes, leguntur: *Uti unicum bonum ſcientia eſt; ita inſcitia malum. Dormiens homo nullius eſt pretii.*

Item:

Sixtus V. P.P. M. bibliothecam Apoſtolicam, ſummis prioribus illis pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis eccleſiæ primordiis inchoatam, pace Eccleſiæ reddita, Laterani inſtitutam, a poſteribus deinde in Vaticanum, ut ad uſui Pontificios paratior eſſet, translatam ibique a Nicolao V. auctam, a Sixto IV. inſigniter excultam, quo fidei noſtræ, & veterum Eccleſiaſticæ diſciplinæ rituum documenta, omnibus linguis expreſſa, & aliorum multiplex ſacrorum copia librorum conſervaretur; ad puram & incorruptam fidei & doctrinæ veritatem, perpetua ſucceſſione in nos derivandam, toto terrarum orbe celeberrimam, cum loco depreſſo, obſcuro & inſalubri ſita eſſet, aula perampla, veſtibulo, cubiculis circum & infra, ſcalis, porticibus, totoque ædificio a fundamentis extructo, ſubſelliis pluteiſque directis, libris diſpoſitis, in hunc editum, perlucidum, ſalubrem, magis oportunum locum extulit, picturis illuſtribus undique ornavit, liberalibuſque doctrinis, & publicæ ſtudiorum utilitati dicavit. Anno M.D. LXXXVIII. Pontificatus ſui IV. Cicarella in Sixti V. vita, ornamenta & picturas hujus bibliothecæ recenſet; Concilia generalia XVI. additis brevibus eorum elogiis. Omnes item, qui, a quavis gente, literarum inventores celebranrur. &c.

IN BIBLIOTHECA Ducis Urbini.

Sint tibi divitiæ, ſint aurea vaſa, talenta
Plurima, ſervorum turba, gemmaque nitentes:
Sint veſtes variæ, pretioſa monilia, torques:
Id totum hoc longe ſuperat præclara ſupellex.
Sint aurati etiam niveo de marmore poſtes:
Et variis placeant penetralia picta figuris:
Sint quoque Trojanis circumdata mœnia pannis,
Et miro flagrent viridaria culta decore;
Extra intraque domus regali fulgida luxu:
Res equidem muta; ſed bibliotheca parata
Juſſa loqui, facunda nimis; vel juſſa tacere,
Et prodeſſe potens, & delectare legentem.
Tempora & ipſa docet, venturaque plurima pandit,
Explicat & cunctos cœli terræque labores.
N. Chytr. & Swvert. lib. cit.

In

In bibliotheca Jesuitarum Turnonensium sunt effigies paparum & Jesuitarum, nec non Francisci Turnonii cardinalis & collegii fundatoris. Cujus elogium vide apud *Thuan. hist. lib. 32. & lib. 2. com. de vita sua. Golnitz. Ulyss.*

In pariete bibliothecæ Reinhardi Lorichii Hadamarii depictus erat dormiens Alexander, Homeri iliadem sub pulvino habens.

In monasterio Helvetico S. Galli, a Carolo M. fundato, & bibliotheca ornato, extant etiam ejusdem Caroli literæ, quibus addita est imago faciei & pectoris, in toga Romana, unde apparet speciem fuisse virilem & plenam majestatis. *Peucer. Chron. lib. 4.* Ejusdem Imp. imaginem vidit Camerarius (*hor. subcis. cent. 3. cap. 41.*) in curia Noribergensi, & monasterio Fuldensi.

Musæum suum & bibliothecam ad Lacum Latium, in ipsis Plinianæ villæ vestigiis sitam, cum omnibus voluptatibus & ornamentis suis describit *Paulus Jovius elog. doct. Vir. in principio.*

De bibliothecis disponendis & colligendis *vide Hotting. bibliothecar. quadrip. part. 1. cap. 4. 5. & 6.* Possevinus *bibl. select. lib. 1. cap. 53.* agit de librorum dispositione ac collocatione, ad eorum facilem inventionem & conservationem. *Angelus Roccha* proponit & explicat emblemata, picturas, inscriptiones, columnas bibliothecæ Vaticanæ: *in appendice autem pag. 404. —— 409.* de bibliothecarum situ, ordine atque conservatione agit.

Peculiare fuit ornamentum *bibliothecæ Alexandrinæ* musæum illud a regibus extructum, in quo eruditi, a vitæ victusque curis vacui (alimenta enim e publico dabantur) & ab omnibus rebus feriati, Musis operabantur scribendo, disserendo, recitando. *Vide Lips. syntagma de biblioth.* Tale fuit Romæ collegium poëtarum quod Ovidius *Trist. lib. 5. eleg. 3.* alloquitur:

Vos quoque consortes studii, pia turba, poëtæ,
Hæc eadem sumpto quisque rogate mero.
Atque aliquis vestrum, Nasonis nomine dicto,
Deponat lacrymis pocula mista suis:
Admonitusque mei, cum circumspexerit omnes,
Dicat, ubi est nostri pars modo Naso chori?

Et *elegia 10. lib. 4. Trist.* sui temporis poëtas tanquam sodalitii sui membra enumerat.

Ejus collegii meminit *Valer. Max. lib. 3. cap. 7.* agens de fiducia Accii poëtæ: is, *inquit*, Julio Cæsari, amplissimo ac florentissimo viro, in collegium poëtarum venienti, nunquam assurrexit. Sic *Popin. Stat. Sylv. lib. 1. in epithal. Stellæ & Violantillæ.*

— Tecum similes junctæque Camœnæ,
Stella, mihi: multumque pares bacchamur ad aras,
Et sociam doctis haurimus ab omnibus undam.

Et illud non dissimulandum in extrema prope epistola ad Stellam: *Et tu fortasse pro collega mentieris?* id est, fidem falles, & affirmabis esse biduo scriptam quo mihi gratificeris socio studiorum. Affectavit autem, *pro collega*, dicere, propter illud poëtarum collegium. Locus ubi conveniebant erat templum Apollinis Palatiani, ubi Augustus bibliothecam dedicaverat. *Horat. lib. 1. sat. 10.*

— hæc ego ludo
Quæ nec in æde sonet certantia, judice Tarpa. Et *lib. 2. epist. 2.*
Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem.

Vide Er. Puteani Suad. attic. orat. 3. Athenæum huic usui Romæ extruxit Hadrianus imper. De aliis auditoriis, tum publicis, tum privatis lege *Vossium de imit. poët. cap. 7. Lips. epist. ad Ottonem Hartium, quæ est 48. cent. 2. ad Belgas.*

Renascentibus, proavorum memoria, per Italiam, literis, simile collegium a viris elegantiorum literarum studiosis institutum est, cui *academiæ* nomen imposuerunt; quod veteris academiæ, cujus autor Plato, quem ad Christianam religionem quam proxime accedere Augustinus censuit, placita collegæ sectarentur. Inaugurandis nomen mutabatur; Pomponius Lætus, qui tam superstitiose latinitatem coluit, ut Græca non attingeret, Romæ urbis natalem diem celebraret, Romulum coleret, *Pomponium* se dici maluit, abjecto nomine *Petri*, quod in baptismo ei impositum fuerat. *Hotting. hist. eccl. N. T. part. 4. pag. 154.* Antiquorum nomina ex vetustate repetebant, ut his quasi calcaribus, animos juvenum ad virtutem excitarent. Hac de re Pomponius a Paulo II. P. M. accusatus, quasi hæc nominis mutatio esset quædam conjurationis tessera, inter illos qui omni scelere remp. vexare statuissent. *vide* Platinam *in Paulo II.* Jovium in *elogiis Pomponii, Callimachi, Sabellici.* Vossium *de hist. lat. lib. 3. cap. 8. pag. 614.* Nec dissimilia fuerunt illa rhetorum vel poëtarum collegia in hoc Belgio, quæ etiam ad reformationem ecclesiæ non parum contule-

tulerunt. Huc pertinent academiæ privatæ, apud Senenſes Intronatorum, Travagliatorum, Accenſorum, Corteſiorum. Apud Bononienſes Sitientum: Patavinos Conſtantum. *Beyerl. theatr. tit. academia.*

CAPUT XV.

De bibliothecarum hoſtibus.

Diu multumque deliberavi de hoc capite addendo vel omittendo, cum quia non neceſſarium videbatur, quoniam plurima huc facientia hic illic, ſerie rerum ita exigente, inſerta ſunt; tum quia hi bibliothecarum, atque adeo librorum, literarum, eruditionis & humanitatis hoſtes iſto honore digni non videbantur, ut qui literas abolere tentarunt eorum nomina literis mandarentur. Quia tamen contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, & turpe honeſto oppoſitum turpius apparet (quare Demea ille Terentianus non tantum quid faciendum, ſed etiam quid fugiendum, quid laudi & quid vitio daretur, ex aliorum vitis demonſtrabat: & Iſmenias Thebanus diſcipulis tam eos qui bene, quam ſecus tibia canerent, oſtendens dicebat: ita canendum, ac ita non canendum: Antigenidas vero majore oblectamento juvenes arbitrabatur bonos tibicines audituros, ſi aliquando malorum quoque experimenta cepiſſent) eorum mentionem etiam faciendam cenſui, ut eorum memoria non ſit in benedictione, ſed putreſcat, juxta Salomonem. *Prov. 10.7.*

Jojakim rex Judææ & ejus adulatores, quos ex ore Jeremiæ ſermones Baruch acceperat, cremare auſi ſunt. *Jer. 36. 23. 24.*

Antiochi tyranni ſatellites, hero ſuo gratificari volentes, volumina legis concerpſerunt & incenderunt. *1. Macchab. 1. 60.*

Herodes libros Judæorum genealogicos conquiri & incendi juſſit, ne ejus ignobilitas patefieret. *Euſebius hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 6.*

Cajus Caligula de Homeri carminibus abolendis cogitavit, ſibi idem licere dicens, quod Platoni licuit, qui eum e civitate, quam conſtituebat, ejecerit. Sed & Virgilii & Titi Livii ſcripta & imagines paulum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoverit: quorum alterum ut nullius ingenii, minimeque doctrinæ, alterum ut verboſum in hiſtoria, negligentemque carpebat. *Suet. Cal. cap. 32.* Idem Senecam commiſſiones meras componere, & aream ſine calce eſſe dicebat. *cap. 53.*

 An-

Antoninus Caracalla Philoſophos Ariſtoteleo maximo odio proſecutus eſt, & Ariſtotelis libros comburere voluit, eo quod Ariſtoteles cauſa mortis Alexandri viſus ſit, qui illud veneni pergelidi docuerat, quod ab Antipatro per Iöllam filium ad Alexandrum interficiendum perlatum memoratur.

Licinius Valerianus adeo literarum expers, ut vix nomen ſuum decretis ſubſcriberet, Philoſophos & Oratores virus & peſtem publicam vocavit. Domitianus bibliothecas incendio conſumtas quidem reſtituit, Philoſophos tamen urbe exegit, unde *Sulpitius in ſua ſatyra*:

Nunc Capitolino veluti turbante Camillo,
Enſibus, & trutina Galli fugere relicta,
Sic noſtri palare ſenes dicuntur, & ipſi
Ut ferale ſuos onus exſtirpare libellos.

Judæi inter ſuas perſecutiones numerant, quod Trajanus decreverit, ne legem legerent: *Cun. de rep. Hebr. lib. 1. cap. 18.*

Diocletianus anno imperii XIX. edictum propoſuit ut ſacræ ſcripturæ igni comburerentur: *Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 8. cap. 2.* De Juliano, Jeſuitis, inquiſitoribus & expurgatoribus Pontificiis alibi diximus; *legendus Johannes Dallæus de uſu patrum lib. 1. cap. 3. 4. & hiſt. perſecut. Bohem. cap. 105. §. 4. 5. & martyrologia.* Ut & de Gothis, ac Paulo II. Pont. Rom.

Vir nobilis in florentiſſima quadam Italiæ urbe juravit ſe magno pretio empturum, ne quis unquam ſuam patriam literatus incoleret aut intraret. *Petrarch. de remed. utriusque fortun. lib. 1. dial. 43.*

Cum furioſi Anabaptiſtæ monaſterium occupaſſent, inter reliquos Euthuſiaſmos hic etiam viſus: Johannes Matthæus Propheta proclamat ſibi cœlitus a patre revelatum eſſe, ut, præter ſacra biblia, nulli libri in urbe relinquerentur, aliique omnes in aream prope ſummum templum deferrentur, ut Vulcano traderentur. E veſtigio tantus librorum cumulus ſuccenditur, ut pretium viginti millium aureorum æſtimaretur. Cauſam addebant, quod omnes nunc ſint docti a Deo Joh. 6. *Wigand. de Anabapt. pag. 337. Sleidan. comm. lib. 10.* ſed horum omnium tædet pigetque. Itaque huic labori noſtro finem imponimus.

BVR-

BVRCARDI GOTTHELFFII STRVVII
PHIL. ET I. V. D. HISTORIARVM
PROFESSORIS PVBLICI

HISTORIA
ET
MEMORABILIA
BIBLIOTHECÆ IE-
NENSIS.

SVMMARIA.

§. I. PRincipes magnam famam adepti erigendis academiis & bibliothecis. §. II. Saxoniæ Principes in ornanda bibliotheca Ienensi solliciti. §. III. Originem bibliothecæ debet Friderico III, qui Wittebergæ illam instituit, auctum a Joanne Friderico, electore, & hoc capto, Jenam translata. §. IV. Bibliotheca Saxoniæ principibus debet etiam incrementa. §. V. Crevit bibliotheca ex legato Dominici Arumæi & Casparis Sagittarii. §. VI. Crevit etiam liberalitate aliorum. §. VII. Fata bibliothecæ. §. VIII. Ordo & dispositio bibliothecæ. §. IX. Præstantiores libri inter Theologicos. §. X. Præstantiores inter Juridicos. §. XI. Præstantiores inter Medicos. §. XII. Præstantiores inter Philosophicos, Philologicos & Historicos. §. XIII. Rariora manuscripta. §. XIV. Nummophylacium Bosianum, picturæ & cimelia alia. §. XV. Effigies ducum Saxoniæ & Professorum. §. XVI. Sceleta rariora. §. XVII. Bibliothecæ præfecti.

§. I. Si

§. I.

SI quam laudem adepti ſunt principes, factis ſuis heroicis, aliisque quæ miratur orbis: ſane non minima hæc eſt, quam ex promotis litterarum ſtudiis, omnique litteraturæ cultu adepti. Quot præcones ſunt regum & principum, qui horum ſtudia in erigendis bonarum artium officinis, academiis inquam, venerantur? Quot oratores laudando non certant animum tam munificum? Nunquam tantis præconiis velut alterum ſolem exornaſſent eruditi Ludovicum XIV. Galliarum regem, niſi tanta cura promoviſſet ſtudia, munificentia vere regia. Sane, ſi ſtudiis ſuus honos eſt, non minor debebitur iis, qui in erigendis bibliothecis ſunt ſolliciti. Oblitterata eſſet memoria Oſymanduæ, niſi bibliothecam apud Ægyptios ψυχῆς ἰατρεῖον erexiſſet. Philadelphi fama tanta non eſſet, niſi bibliotheca ſua innotuerit. Quantam famam heros ille Germaniæ Fridericus Guilielmus, magnus elector Brandenburgicus, erigenda bibliotheca Berolinenſi, quantam eadem ornanda Fridericus III. Boruſſorum rex meruerit, in propatulo eſt. Auguſtus, princeps Brunſvicenſium ſapientiſſimus, ipſa ſua bibliotheca Auguſta, auguſtior factus. Et ne domum Saxonicam prætercam, ipſum bibliothecarum ſtudium in eadem erit prædicandum.

§. II.

Nolumus jam de ſingulis aliquid agere, ſed tantum de ſingulari Friderici Sapientis, Joannis Friderici Magnanimi & ſucceſſorum, academiæ noſtræ nutritorum clementiſſimorum in erigenda ornanda, locupletandave bibliotheca Jenenſi aliqua diſſerere & de privatorum quorundam liberalitate, quam laudando exemplo exercuerunt.

§. III.

Originem hæc bibliotheca ſuam debet Friderico III. ob egregias animi dotes dicto Sapienti, Saxonum electori. Hic prout amore ſingulari in ſtudia ferebatur & bonas artes, condita ſtatim menſe Septembri 1502. academia Wittebergenſi, de bibliotheca quoque cogitare cœpit. Sed, prout natales novarum bibliothecarum eſſe ſolent, non tum inſignis erat, licet undique per Italiam mitterentur ad conquirendos codices

codices manuscriptos. Continuavit tamen hoc philobiblias studium Joannes, ejus frater & successor, ac majori cum ardore hujus filius, Joannes Fridericus. Hic curam conquirendorum disponendorumve librorum demandaverat Georgio Spalatino, qui etiam teste Hortledero, Tomo I. de caussis Belli Germanici lib. IV. c. XXXIII. Venetias mittebatur, ad coëmendos libros varii ordinis, nulla habita ratione sumtuum. Ex quibus locupletabatur bibliotheca indies, quæ tantam jam præ se ferebat illo tempore famam, ut ex locis longe dissitis essent qui illam inviserent. Sed infelix elector, cum anno 1547. in prælio ad Muhlbergam a Carolo V. caperetur, & in castris ad Wittebergam urbem illam castrumque tradere cogeretur, ab imperatore impetravit, ut thesaurus iste librarius filiorum trigæ, tanquam patrimonium maneret atque ex Saxonia in Thuringiam transferreretur. Et cum Musarum sedes Jena jamdum esset destinata, eo anno 1548. translata fuit. B. Sagittarius *in vita Jo. Friderici. §. XXIII. p. m. 60.* In doliis ita primum recondita bibliotheca adservata fuit, usque dum pædagogium primum, hic loci institueretur mense Junio 1548. rem præ ceteris promovente Georgio Pontano, cancellario, urgente Joanne Stigelio, poëta atque oratore insigni, atque dum aperta fuit bibliotheca, cura ejusdem demandata Georgio Rorario, de quo infra pluribus.

§. IV.

In hoc statu bibliotheca mansit usque ad annum 1548, quo, impetratis privilegiis imperatoriis, post mortem patris Magnanimi, a serenissimis principibus Joanne Friderico, II, Seniore. Joanne Wilhelmo & Joanne Friderico Juniore, magnifico cum apparatu, solennique ritu academia inauguraretur, cujus usibus bibliotheca hæc dicata apertaque fuit. Fundamentum igitur bibliothecæ debemus munificentiæ principum: iisdem quoque adscribenda sunt incrementa. Joannes Wilhelmus I. enim, Saxoniæ Dux, bibliothecæ quotannis destinavit quinquaginta imperiales, ita ut ipse 800 imperiales vivus adhuc destinaret. Testantur acta academica, a successoribus utriusque lineæ legatum hoc non solum esse confirmatum, sed nova etiam accessione liberalissime adauctum. Huic Principum munificentiæ non solum debemus selectum optimorum librorum, sed etiam insigne per bibliothecam Bosianam quod accessit, incrementum. Bosius quidem ὁ πάνυ, ornamentum olim academiæ nostræ, publico usui destinaverat, quam multa cura & sumtibus in privatos usus collegerat bibliothecam, longe tamen viliori pretio ac constaret. Serenissimi principes

erant,

erant, qui sumtus ad eandem coëmendam præbebant, ita ut in bibliothecam, adsignato loco proprio transsumeretur. Norunt splendorem atque selectum hujus bibliothecæ omnes, quibus illam inspicere licuit. Quot sumtuosæ patrum editiones, historiæ ecclesiasticæ atque profanæ scriptores, litteratores, antiquarii & similes in eadem reperiuntur, qui multos non solum attrahunt, verum etiam peregrinos movent, & excerpta ex libris illius rarioribus petunt. Taceo jam aliam principum liberalitatem, quam jam pro merito in oratione sua prædicavit Sagittarius.

§. V.

Verum, habent etiam in augmentanda hac bibliotheca suam laudem privati. *Dominicus Arumaus* primus est, qui integram suam bibliothecam juridicam pro statu illorum temporum haut male instructam & aliquot millibus æstimatam bibliothecæ publicæ proprio motu legavit, cujus ideo memoriam adhuc veneramur, licet ex eadem, antequam in bibliothecam publicam translocaretur, multos subtractus fuisse aliqui testentur. Alterum liberalitatis exemplum exercuit *Caspar Sagittarius*, præceptor olim venerandus, Vir, cui multum debent & literæ, & academia. Hic enim, pro suo, quo ferebatur in academiam nostram studio, eandem hæredem ex asse scripsit. Ejusdem igitur liberalitati bibliothecam libris Historicis, Philologicis atque Theologicis instructam, & insigne istud cimeliarihium Bosianum, quod a Bosio, ejusdem in professione & thoro antecessore, habebat. Sane, si alia non essent, hoc solum sufficeret, ut nunquam ex animis nostris ejusdem evelleretur memoria.

§. VI.

Longum esset recensere omnes illos, qui donando hunc vel illum librum, bibliothecam nostram augmentarunt. Sufficit nobis, multos ex professorum ordine sub initium officii sui librum quendam donasse bibliothecæ. Idem dicendum de doctoribus atque magistris noviter creatis, qui symbolas suas conferunt, de studiosis quorum nomina matriculæ adscribuntur, qui leve quidpiam præstant, quod tamen cum numero crescit. Immo etiam fuere, qui proprio motu de locupletanda bibliotheca certarent, quibus nunc publico nomine grates habeo, quæ debentur.

§. VII.

Fata bibliothecæ plerumque in eo consistunt, quod Witteberga Jenam fuit translata. Destinata erat Coburgum, cum sub finem seculi XVI. de nova academia ibidem erigenda ageretur, & testatur Adri-

anus Beyerus in architecto Jenensi, aliquam partem eo fuisse abductum, sed cum Coburgenses non nisi recens instructo thesauro librario hodie gaudeant, dubium mihi hoc movet. Illud tamen testantur acta academica f. 160. & 296. Ducis Joannis Friderici II. libros anno 1574. Vinaria Jenam, atque inde 1589. Jena Coburgum fuisse abductos. Bello isto ferali Germaniæ non sine periculo fuit, servata tamen. Testatur idem Beyerus p. 665. se anno 1637. feria Septuagesima d. V. Februarii, ex ore cujusdam præfecti militaris, qui non minimus erat, audivisse, bibliothecam jam sibi esse donatam. Divinæ tamen providentiæ debemus hujus conservationem, quæ eandem tueatur imposterum.

§. VIII.

Tria autem in descriptione bibliothecæ potissimum erunt considerandia. Ordo bibliothecæ & libri impressi, manuscripti codices & cimelia alia. Quantum ad ordinem dispositionis, illa est secundum suas, quæ dicuntur Facultates. Primam partem occupant libri Theologici, alteram Historici, tertiam philologici & philosophici, quartam Medici, ultimam Juridici. In hisce classibus libros secundum ordinem litterarium disponere non licuit, cum ex variis separatis bibliothecis sit composita, quas divellere vetuerunt testatores. Bosiana tamen atque ex parte publica, quantum fieri licuit, suum habet ordinem litterarium.

§. IX.

In *Theologicis* quidem libris eminent diversæ bibliorum editiones, biblia polyglotta, Rabbinica Dan. Bombergi, Complutensia, Antwerpiensia, biblia Germanica Noribergæ 1583. per Antonium Koburgerum, & biblia Germanica, quibus in captivitate sua usus est Joannes Fridericus, elector, a Luca Cranachio elegantissime picta atque in membrana impressa 1541, biblia Vandalica, alia in lingua Saxoniæ inferioris, & quæ sunt similia. In Patrum editionibus possidemus splendidissimas Græcorum Patrum Parisienses, latinorum Basileenses, Catenam Græcorum Patrum in evangelia, Chrysostomi versionem latinam in membrana nitidissime impressam. Inter exegetas, libros omnium religionum, atque inter hos multos rari commatis; opera Tostati, Poli, biblia Critica, quos omnes uti etiam reliquos libros Theologicos hic recensere nimium foret. Rarissimum inter eos est Durandi Rationale divinorum officiorum, Moguntiæ per Joannem Faust impressum in membrana, in cujus fine hæc verba habentur: *præsens rationalis divinorum codex officiorum venustate capitalium decoratus,*

rubrica-

rubricationibusque distinctus. Artificiosa adinventione imprimendi ac caracterizandi, absque calami exaratione sic effigiatus. Et ad eusebiam Dei industria est consummatus per Johannem Fust, civem Moguntinum & Petrum Gernsheym clericum diœceseos ejusdem. Anno Dni. millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, sexto die Octobris. Hic antiquissimus est liber impressus bibliothecæ nostræ. Adsunt præterea varii codices canonum ecclesiæ, scripta Spanhemii, Gerhardi, Usserii, Allatii, Dallæi, Chamieri, Blondelli, Comenii, Herberti de Cherbury, Socinianorum, Menonistarum atque alia varia. Inter Rabbinicos eminet magnum illud opus Talmudicum Venetæ editionis rarissimum.

§. X.

In classe *juridicorum* Arumæa præcipua, quæ referta est multis editionibus corporis glossati, & his, qui vulgo dicuntur Consulentes & Decidentes, atque variis deductionibus & tractatibus materiarum specialium. Inter noviter opera adjecta præcipua sunt Londorpii acta publica, & Jacobi Cujacii opera ex splendidissima editione Parisina, Caroli Annibalis Fabrotti, Cardinalis de Lugo opera omnia & similia.

§. XI.

In classe *medica* non minimus botanicorum atque anatomicorum occurrit adparatus. Ut taceam jam antiquiores, inter Botanicos excellent scripta Morisoni, Rivini, Raii, Tournefortii, Breinii, Müntingii, Sluckenchii & ingens illud opus Horti Malabarici, quem tamen non integrum possidemus. Præterea ex anatomicis præter bibliothecam anatomicam, Bidloo, Malpighii, Vieussen, aliorumque scripta. In historia naturalium, Musæum Wormianum, & Calceolarianum, Bonnani recreatio mentis & oculi, Gesneri, Aldrovandi, Willugbeii aliorumque historia animalium. Inter opera majora, Galeni & Hippocratis junctim per Sponium edita, Galenus cum multis MStis Jani Cornari, Avicenna arabice ex bibliotheca Georgii Hieronymi Velschii, Hieronymi Cardani opera, & quæ sunt similia.

§. XII.

Succedunt *Historici*, atque inter hos magnus numerus scriptorum Historiæ ecclesiasticæ, Centuriatores Magdeburgenses, Annales Baronii, Natalis Alexandri, Du pin, Hottingeri, aliorumque opera. Reperiuntur inter hosce potiores scriptores rerum Germanicarum Pistorius, Reuberus, Freherus, Urstisius, Schardius, Goldastus, Canisius, Meibomius, Hispania illustrata Andreæ Schotti, pars scriptorum Francicorum, Rerum Britannicarum, Italicarum, Indicarum &

reliquarum ſcriptores junctim editi, Gerardi de Roo annales Auſtriaci, Henningii Theatrum Genealogicum, Geſta Dei per Francos. Reineri Reineccii ſyntagma Heroicum, Franciſci Haræi annales ducum Brabantiæ, Franciſci de Roſieres, Stemma Lotharingium. Scripta Pithæi, Grotii, Miræi, Blondi, Balutzii, Mabillonii. Corpus hiſtoriæ Byzantinæ ex typographia Regia Pariſienſi, non integrum poſſidet bibliotheca, Cedrenum vero Syncellum & Theophanem, reliquos ex editionibus, quæ ſeparatim factæ. In bibliotheca Sagittariana reperiuntur varii particulares hiſtorici, qui ad ſtatum tum Saxoniæ tum certarum provinciarum aliarum faciunt, ita ſane, ut multa ſcriptorum Hiſtoricorum cimelia hic contineantur. Nec deſunt inter *Philologicos* varia, quæ ad antiquitates nummosque illuſtrandos faciunt. Opera Lipſii, Goltzii, Gruteri, Urſati, Patini, Wormii, Meurſii, Grævii, Naudæi & ſimilia exquiſitæ eruditionis cimelia, Euſtathius in Homerum, editionis Romanæ, Roberti & Henrici Stephanorum Theſauri Græcæ & Latinæ linguæ. Variæ editiones tum antiquiſſimæ Romanæ & Mediolanenſes, tum Aldinæ, Stephanorum, Wæchelianæ, & ſimiles. Inter *Philoſophicos* rariſſima & optima editio Platonis Joannis Serrani, Scholiaſtes Græci Ariſtotelis, opera Gaſſendi, Hobbeſii, Riccioli, Kircheri, Mori, Hevelii, Eraſmi, Georgii Veneti harmonia mundi, Auguſtinus Steuchus de perenni philoſophia, Hieronymus Vecchiettus de ſacrorum temporum ratione & ſimiles.

§. XIII.

Lætam vero optimorum quorundam *Manuſcriptorum* nanciſcimur ſeriem. Ut taceamus codices quosdam obvios bibliorum latinorum & quorundam patrum, inter quos præcipue Bernhardi epiſtolæ, Richardus ſuper pſalterium, Auguſtinus de verbis Domini & de Trinitate, vitæ quorundam Sanctorum, varii tractatus de neutralitate in concilio Conſtantienſi decreta. Inter Juridicos, decretum Gratiani cum gloſſa, quinque decretalium libri, digeſtum novum, inſtitutiones, ſpeculum Saxonicum & alia continentur. Inter Medicos Avicenna latine in membrana elegantiſſime ſcriptus, Rupeciſſæ, Arnoldi de Villanova & aliorum chymica. Inter præcipua Manuſcriptorum cimelia numerandus eſt antiquiſſimus codex evangeliorum, literis Langobardicis inſignis, cum canonibus Euſebianis. Præterea pars ſecunda bibliorum Ebræorum nitidiſſime ſcripta, cum duplici Maſora, Martyrologium Bedæ latinum, idemque Germanicum cum figuris, quibus ſpecies martyriorum expreſſæ. Bini codices, evangeliorum atque

atque epistolarum, variegatis coloribus, & in ligatura cælaturis argenteis insignes, qui Friderico Sapienti olim missi dicuntur a Leone X. Adparet in exteriori parte libri evangeliorum, figura Christi ad descriptionem Lentuli. In ipso codice primum visuntur insignia Saxonica, cum subscriptione: *Fridericus Dei gratia, Dux Saxoniæ, Sacri Romani imperii archimarscallus & Princeps elector, Romanorum regiæ Majestatis imperiique regiminis locum tenens 1507.* Inde Chronicon Ottonis Frisingensis, Chronicon Conradi Urspergensis, id quidem bis, prout de eo egi in Observat. Halensium tomo I. obs. XIX. Juonis epistolæ, Dictamina Magistri de Vineis, Baptistæ Guarini liber ad nobilem adolescentem, Maffeum Gambarum de ordine docendi ac studendi, qui liber pars olim fuit bibliothecæ Corvinianæ Budensis, quod insignia Regis elegantissime in fronte libri picta testantur. Poëta anonymus de vita Friderici Urbinatis, adhuc ineditus. Codex diplomaticus Monasterii Doberlacensis, Theodericus de Thuringia de vita & morte Elisabethæ, idemque scriptum germanice, Monachus S. Dionysii de vita Dagoberti, R. Francorum, & elegantissimus Codex der Meistersänger, forma augusta scriptus. Codex de rerum proprietatibus, figuris egregiis exornatus, in quo comprehenduntur mysteria alchymiæ. Singuli hi codices sunt membranacei, plerumque nitidi, de quibus alio loco speciatim agam. Inter chartaceos alios habemus. Aliud Manuscriptum der Meistersänger, Epiphanium adversus hæreses, Nicephori Chronographiam, Sophoclis Aiacem & Electram cum scholiis Græcis adhuc ineditis. Thomæ Campanellæ Atheismus triumfatus, quem in Manuscripto possidemus, ipsum auctoris autographum, esse dicitur. Titulus ejus hic est: *Atheismus triumfatus vel recognitio religionis universalis secundum communem Philosophiam ex natura arcanis, auctore F. T. C. Ordinis prædicatorum contra Antichristianismum Machiavellisticum.* De quo tamen MSto alibi agemus. Bohuslai antithesin Christi & Antichristi, qua pontificiorum corruptelas & vitia per figuras argute ludit auctor atque paulo post tempora Hussi est conficta, de qua jam dum egi Tomo VI. observationum Halensium obs. X. Geographus Nubiensis, manu celeberrimi medici Augustani, Georgii Hieronymi Velschii descriptus, Alcorani, Chronica Turcica & quæ sunt alia, Chronicon Bernense a Conrado Aistingero 1420. conscriptum. Chronicon ordinis Teutonici anni 1496. Chronica varia Thuringica, Kentmanni Isenacense, Erfurtensia, Noribergensia, Hennebergicum atque alia. Adseruat præterea bibliotheca nostra biblia Germanica

V. T. de anno 1539. quæ in omnibus paginis Lutheri emendationes propria ejus manu scriptas continent, atque novum Testamentum de anno 1540 aliaque Lutheri, Melanchtonis, Spalatini & coævorum MSta.

§. XIV.

Sed vocant nos alia quoque cimelia, quæ consideremus. Inter hæc primo loco obvenit *Nummophylacium* a *Bosio* olim collectum, ex legato vero Sagittariano bibliothecæ nostræ concessum. Hoc in nummis argenteis, maxime consularibus imperatoriis & bracteatis præsertim quibusdam, haut minimæ notæ eminet, e quibus historia Thuringica, Saxonica & Hennebergica hautparum illustrari potest. Inter nummos æneos Ottonis est ex S. C. cusus, prætereæ gemmæ quædam elegantissime incisæ. Alia antiquitatis cimelia non possidemus. Taceo jam picturam Petri & Pauli, quæ a Luca facta dicitur, fragmentum pallii Mariæ, adsutum codici evangeliorum, quæ fabulosa sunt, potius memorandæ nobis sunt picturæ quædam elegantissimæ, quæ in libris quibusdam continentur, mira arte confictæ. Inter has sunt Biblia Germanica anni 1541. Lucæ Cranachii arte egregie picta. Codex iste evangeliorum atque epistolarum, in quibus æque singularem artem mirari licet. Codex iste Chymicus, cum multis rerum naturalium figuris. Liber de vita Christi, Gallica lingua conscriptus, in quo crucem Christi cum adstante Maria & Johanne, ipsumque auctorem ante pulpitum sedentem elegantissime pictum videmus, & quæ sunt ejusmodi. Habemus alias quoque baculum, quo usus fuisse dicitur Bonifacius, Thuringorum apostolus.

§. XV.

Inter effigies primo servat effigiem Joannis Friderici Magnanimi, Saxoniæ Electoris Joannis Friderici & Joannis Wilhelmi qui fundatores sunt bibliothecæ ex ultima voluntate parentis, quæ in formam cordis ex serico raso, singulari arte sunt efformatæ. Effigiem Lutheri calamo exaratam nitidissime, ita ut quasi æri incisa adpareat, curriculo vitæ in capillos minutissime scripto. Effigiem Friderici Guilielmi, Rectoris Magnificentissimi, Joannis Wilhelmi, Principis Juventutis, & multorum electorum atque Principum seculi XVI. Deinde tota bibliotheca superbit imaginibus virorum celeberrimorum, qui in hac olim academia ad nostra usque tempora claruerunt, quæ supra apothecas sunt repositæ. Superior & dextra pars tenet imagines Theologorum, quos eo ordine quo repositi sunt, recensebimus. Prima

ma effigies Erhardi Schnephii est, quam sequitur Simon Musæus, Joannes Wigandus, Tilemannus Heshusius, Timotheus Kirchnerus, David Voitus, Samuel Fischerus, Georgius Mylius, Ambrosius Reudenius, Petrus Piscator; Albertus Graverus, Joannes Major, Joannes Gerhardus, Joannes Himmelius, Godofredus Cundisius, Joannes Musæus, Joannes Tobias Major, Christianus Chemnitius, Joannes Ernestus Gerhardus, Sebastianus Niemannus, Fridemannus Bechmannus, Joannes Guilielmus Bayerus, Wilhelmus Zeschius, Philippus Mullerus, Matthiæ Flacii effigiem æque videmus, non tamen inter imagines Theologorum, sed inter Medicos repositam, ut infra dicetur. Quando hæc effigies in loco a Theologis alieno collocata non constat, nec etiam an unquam suum locum inter Theologos habuerit, quod tamen vix crediderim: certum est, a longis retro annis id factum. Testatur jam Adrianus Beyerus in architecto Jenensi *p. 655.* inter JCtos olim collocatum fuisse effigiem Flacianam. Alterum latus occupant Philosophi. Prima inter horum effigies est Joannis Stigelii, Joannis Rosæ, Justi Lipsii, Sebastiani Schæferi, Christophori Hammeri, Laurentii Rhodomanni, Joannis Zölneri, Wolfgangi Heideri, Georgii Limnæi, Thomæ Sagittarii, Balthasaris Waltheri, Michaelis Wolffii, Henrici Hoffmanni, Theophili Arnetii, Quirini Cubachii, Salomonis Glassii, Philippi Horstii, Danielis Stahlii, Henrici Neuenhahni, Pauli Sleuogtii, Hieronymi Prætorii, Joannis Michaelis Dilherri, Joannis Zeisoldi, Joannis Christfridi Sagittarii, Erhardi Weigelii, Casparis Posneri, Joannis Andreæ Bosii, Godefriedi Zapfii, Georgii Götzii, Philippi Mülleri. Subsequuntur in alia classe Medicorum effigies, ubi primum separatim quidem, juxta se invicem vero collocatas videmus effigies Joannis Schröteri, primi academiæ Magnifici, Jani Cornarii & Matthiæ Flacii. Inde suo ordine veniunt reliqui, Laurentius Hiel, Michael Neander, Jacobus Flach, Joannes Fridericus Schröterus, Philippus Jacobus Schröterus, Antonius Varus, Zacharias Brendel, Eusebius Schenck, Zacharias Brendel, junior, Guernerus Rolfinck, Christophorus Schelhammerus, Godofredus Mœbius, Joannes Theodorus a Burgstedt, alias Schenck, Joannes Arnoldus Friderici, Rudolphus Guilielmus Krause, Georgius Guolfgangus Wedelius, Güntherus Christophorus Schelhammerus. Ultimam classem occupant Juris Professorum effigies, Basilii Monneri, Joannis Schneidewini, Matthæi Wesenbecii, Matthæi Coleri, Virgilii Pingitzeri, Josiæ Marci, Danielis Eulenbeckii, Joannis Stromeri, Liborii

Hof-

Hofmanni, Nicolai Reusneri, Leopoldi Hackelmanni, Ortholphi Fomanni, Dominici Arumæi, Joannis Suevi, Petri Theodorici, Oswaldi Hilligeri, Wolfgangi Wertheri Mühlpforti, Valentini Riemeri, Erasmi Ungebaueri, Ortholphi Fomanni jun. Christophori Philippi Richteri, Godofredi Fibigii, Rudolphi Guilielmi Krausii, Georgii Adami Struvii, Joannis Thomæ, Joannis Strauchii, Ernesti Friderici Schröteri, Joannis Volcmari Bechmanni, Henrici Balthasaris Rothii, Petri Mülleri, Joannis Jacobi Aujani, & qui cum extraordinarii fuerint Professores, separatim collocati, Jacobus Welsen & Geruasius Marstaller. Separatim reposita est effigies Nicolai Reusneri, forma augusta facta, idque ideo, quia dum Rector esset Magnificus anno 1602. demoreretur. Singulorum effigies super libros suæ facultatis fuere repositæ, & quidem eo ordine prout in Professorum numerum fuerunt adscripti.

§. XVI.

Separata est a bibliotheca Camera, in qua aliqua sceleta humana, variorumque animalium adservantur. Rariora inter hæc sunt sceleton equi formæ insolitæ, quo olim usus fuisse dicitur Bernhardus Magnus, Dux Saxoniæ. Sceleton infantis bicipitis & bicorporei, Sceleton cervi, simiæ, anatis solito majoris ex India & similia. Armatilla, Draco septem cum capitibus artificiosus tamen. Inter hæc visuntur cornua cervi, cum dirupta extremitate alterius cornu, quod intra labia rustici fractum. Totam rem plenius exponet scriptum, quod hac de memoriæ ergo infra hæc cornua reponi voluit illustris noster Wedelius, quod integrum hic loci inseremus. *Anno MDC LXXV. mense Augusto, rusticus 24. annorum, GEORGIUS HAHN, venatione instituta, servitia sua præstans, improviso a cervo obvio, infimi cornu ramo sinistra faciei parte in os feritur, labiis superioribus ad nasi lata confinia divulsis & laceris ita ut, quod αὐτοψία postmodum docuit, cornu extremitas in medio dirupta, sursum protensa orbitæ oculi partem osseam inferiorem ex parte finderet, & ad dextri lateris confinia deflecteret, in humum prostrato homine, cervo vero, qua data porta, profugiente. Accurritur, chirurgus præsens absterso cruore laceras labii partes examinat, & primitus maxillam læsam & diffractum retur, quod ossis levem prominentiam digito contingeret. Re vero accuratius examinata, cum renisum & duritiem extremitas illa præ se ferret, de extranei ossis latitantis extractione cogitat, cum forcipe aliquantillum prehendere liceret; idque eo maturius, quod tumefieret de subito oculus & tota adeo facies. Extrahitur feliciter, magna ægri haustu vini roborati constantia, postquam ob instrumentorum defectum per dimi-*

dimidium circiter milliare in urbem equo portatus fuisset, cornu cervi fracti ramus in vulnere relictus, quartam fere ulnæ partem, si pollicis latitudinem exceperis, & lineâ æquali illum æstimes, adæquans. Labio fisso sutura adhibita, fronti & faciei fotus, ex speciebus cephalicis, betonica salv. roremarino & in sacculos consutis cum vino coctis. Reliquum vulnus ungento digestivo & emplastro stiptico tractatum & deligatum. His ex artis legibus adhibitis, trium septimanarum spatio integre convaluit, relicta in hunc diem cicatrice. Plura vero notatu digna circa hunc casum occurrunt, v. g. quod citra graviorem læsionem os ipsum seu cornu frangi potuerit, tam durum tantoque impetu intrusum; quod tam eximiæ longitudinis os non læserit oculum, multo minus cerebrum, cum tamen, non modo in ipso vulnerato, verum & cujusvis grandioris facie mensuratum, ultra mediam frontem protendatur, quod nulla symptomata, nullus vomitus, febris nulla, nulli motus spasmotici supervenerint; sed ipse æger bibere, citra virium insigniorem lapsum equo vehi potuerit & simulac extractum cornu fuit, doloribus remittentibus melius habuerit. Credibile ex circumstantiis probe pensitatis est, vel in cavitatem ossis frontalis penetrasse apicem cervini hujus cornu levi & æquali saltim facta distensione; vel si per ossium parietes & tabulam interiorem pervaserit, sub obtuso mucrone non æque læsum cerebrum parumper cessisse, non pertusa meninge. Totum hoc cervinum cornu, capto demum & interemto vulnerante cervo, illo ipso venationis actu una cum parte illa, quæ ad hac sacraria importune, citra labem tamen admissa fuerat, Serenissimus & Celsissimus Princeps ac Dominus, Dn. JOHANNES ERNESTUS Senior, Dux Saxoniæ, J. C. &c. Dominus meus Clementissimus gratiosissime nobis donavit. In cujus rei memoriam hoc ipsum cornu cum inscriptione hic suspensum est. Jenæ M DC LXXXIII. d. XV. April.

Georg. Wolfg. Wedelius

§. XVII.

Ultimo tandem loco considerandi veniunt quibus bibliothecæ cura fuit demandata. Primus ergo bibliothecæ præfuit *Georgius Rorarius*. Hic Witteberga Jenam vocatus, non solum ut bibliothecæ curam gereret, sed etiam una cum Nicolao Amsdorfio Lutheri scripta colligeret, ederetque. Huic vivo adhuc Rorario suffectus anno 1555. *Martinus Both*, Francus, qui in matricula academiæ dicitur bibliothecarius noster: Successit hisce *Joannes Weischnerus* atque hujus filius *Lucas*, non tam eruditione clari, quam vitæ morumque probitate. Post hos bibliothecæ præfuit *Georgius Limnæus*, Mathematum Professor, primus ex ordine Professorum & hoc demortuo *Wolfgangus Limnæus*, filius.

Wolfgangus Heiderus practicæ Philoſophiæ Profeſſor hunc excepit: hunc autem *Carolus Güntherus Pingitzerus*, Virgilii filius, qui per 42. annos ab anno 1627. ad 1669. bibliothecæ præfuit. Anteceſſor mihi fuit *Joannes Georgius Cummerus*, quem in officio ſecutus quod adhuc quamdiu Deus voluerit gero, idque non ſine labore, cum rudem indigeſtamque molem repererim.

§. XVIII.

Leges bibliothecæ hæ ſunt, ut præter Magnificum Academiæ Rectorum nemo clavem bibliothecæ gerat, niſi hujus præfectus. Hujus autem eſt, ut in ordinanda conſervandaque bibliotheca ſit adſiduus, æſtivo tempore quotidie illam inviſat, ejusque bibliothecæ curam gerat, profeſſoribus, ubi chirographum miſerint, libros concedat deſideratos, de iisdemque reſtituendis curet. Nec etiam Studioſis libri denegantur, ſi qui ex Profeſſoribus fidem ſuam interponant. Conceditur etiam libertas ſtudioſis, adeundi bibliothecam in eademque excerpendi, ſi prius apud præfectum nomina fuerint profeſſi, & certum morum atque ſtudiorum teſtimonium ſecum attulerint, nec tamen admittuntur palliati. Hæc autem ſunt potiora, quæ de noſtra bibliotheca ſunt memoranda, forſan aliquando integrum bibliothecæ catalogum publico licebit exponere.

AR-

ARCANA
BIBLIOTHECÆ
THOMANÆ LIPSIENSIS
SACRA,

Retecta

a

M. HEINR. PIPPINGIO,

IN ÆDE THOMANA VERBI
DIVINI MINISTRO

VIRO
NOBILISSIMO AMPLISSIMOQUE
DOMINO
GUILIELMO ERNESTO
TENTZELIO,
AUGUSTISSIMI REGIS POLONIARUM ATQUE ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO, HISTORIOGRAPHO ET ARCHIVARIO, POLYHISTORI CELEBERRIMO,

S. P. D.

HEINRICUS PIPPINGIUS.

VIR



VIR NOBILISSIME AMPLISSIMEQVE,




Ucundiſſima mihi eſt illius temporis recordatio, quo, cum haud ita pridem agerentur apud nos autumnales nundinæ, per aliquot horarum ſpatium conſortio TUO me beaſti. Equidem pro inſigni, qua polles, humanitate vix unquam hactenus Lipſiam noſtram ſalutaſti, quin una & me in amicitiam TUAM ante annos hoſce quatuor benevole admiſſum adire dignatus fueris. Nuper autem non in muſeo meo convenire, ſed in bibliothecæ noſtræ Thomanæ locum publicum me advocare potius TIBI placuit. Et primus certe ego bibliothecæ iſtius mentionem coram TE per literas injeceram, ex quo plus vice ſimplici maximo TE eandem perluſtrandi deſiderio teneri teſtatum mihi feciſti. Nolo tamen inficias ire, quod TUO eam exhibere conſpectui propemodum tergiverſatus fuerim, minime ignarus, quod & ipſe ampliorem multo apparatum, quam heic eſſes deprehenſurus, domi poſſideres, & in illuſtrioribus longe bibliothecis aliis dies bene multos ſæpius triviſſes. Sed cum intempeſtivam dicere TIBI allibuerit hanc verecundiam, voluntati tandem TUÆ parui, ac omnes noſtros forulos obtutui TUO patere

jussi. Sensi tunc majori TE, ac opinari poteram, voluptate perfundi, & modo heic modo illic ad scrinia consistentem peroptatam mihi de rebus eruditis differendi occasionem apprehendere. Amœnissimo imprimis me labore defungi faciebas, cum, ut in editionibus bibliorum juxta Lutheri versionem in Saxonia seculo superiori decimo sexto typis exscriptorum; quotquot earum præsto erant, locum illustrem, qui in Johannis epistola prima capite quinto & commate illius septimo legitur, requirerem, mandares. Theologum namque mihi summum nominabas, qui affirmarit, quod vivus adhuc spiransque LUTHERUS eundem in prioribus Novi Testamenti editionibus abs se prætermissum (Græci quidem exemplaris, quod præ manibus habuerat, culpa,) in posterioribus palam exhibuerit. At TU vicissim contraria asserebas omnia, ac tantum abesse referebas, ut Lutheri ævo Saxonia ullum bibliorum ejus Germanicorum exemplum textu hoc instructum viderit, ut ne ex integro quidem isto seculo, quod Lutherus egregia Reformatione sua illustravit, tale quodpiam in his oris excusum produci queat. Fateor, singulas omnino, quas stans pede tum evolvi, editiones testes TIBI adfuisse TUAMque roborare visas esse sententiam, quem alibi insinuasti, quod primus in Saxonia nostra Leonhardus Hutterus anno MDCVI. dicto isti in bibliis Germanicis per has regiones e typographorum officinis prodeuntibus locum debitum asseruerit. Sed domum reversus ac meam qualemcunque supellectilem librariam excutiens biblia reperiebam Germanica cum summariis ac præfationibus Viti Theodorici Wittebergæ apud Laurentium Seuberlichium impressa, quorum non primum modo in utroque Testamento folium, sed pagina quoque totius voluminis ultima annum MDCIIII. præ se fert. In his idem ille locus disertis verbis legi-

legitur, quod eſſe adeo documento poteſt, & ante terminum a TE fixum biblia in electoratu Saxonico impreſſa nobiliſſimum hoc dictum repræſentaſſe. Ac licet poſt præfationem & conſuetos Indices compareant electorum Saxoniæ inde a FRIDERICO III. imagines Balthaſaris Mentzii, Poëtæ Cæſarei, inſcriptionibus & verſiculis ſtipatæ, interque iſtas JOHANNIS quoque GEORGII I. effigies, qui anno demum MDCXI. poſt Fratris CHRISTIANI II. obitum electoratu potitus eſt, prout & in titulo earundem anni impreſſionis factæ numerus eſt MDCXXIV; non ideo tamen adduci poſſum, ut credam, in reliquis, quas dixi, paginis numerum MDCIIII. pro ſphalmate typographico venditandum, quin potius figuras iſtas exemplaribus editionis hujus poſt annos demum tot elapſos, quod non raro fieri conſuevit, ſuperadditas eſſe perſuaſum mihi habeo. Fortaſſis ergo iſta anni MDCIV. biblia ex Hutteri emendatione prodierunt ſpeciminis ergo, donec biennio poſt electoris approbatio mandatumque acceſſit. Hæc autem ad TE nunc ſcribenda duxi, ut intelligeres, quæ data mihi anſa fuerit, has bibliothecæ Thomanæ arcana ſacra pandentes paginas celeberrimo TUO nomini conſecrandi. Satis quidem valide me impellebat & TUUS ille, quo me hactenus proſequi dignatus es, inſignis amor, ut, quam TIBI viverem devinctus, ingenue profiterer. Poſtulabat inſuper TUA quoque erga Thomanam bibliothecam liberalitas, cujus ſpecimen haud unum nobis ſuppetit, ut grates TIBI publicas decernerem. Urgebat tamen omnium maxime officium hoc præſentia TUA, qua muſeum noſtrum eccleſiaſticum cohoneſtabas, & placere TIBI ejus ornatum teſtabaris ipſo illo tempore, quo ſchedas ad hiſtoriam, quam nunc protrudo, facientes in ordinem redigere meditabar. Spero igitur ſerena fronte TE opuſculum hoc recepturum,

cujus

cujus inſcriptione una TIBI dignitatem , qua nuper es ornatus, ampliſſimam decenter gratulor , & , ut in reipublicæ literariæ emolumentum quamdiutiſſime ſoſpes ac ſalvus perennes , DEUM animitus precor. Scribeb. Lipſiæ, XI. Decembr. anni exeuntis MDCCII.



Dudum

DUdum est, quod diligentissimus, dum viveret, antiquitatis scrutator, *Joachimus Johannes Maderus* aliquot de bibliothecis & archivis virorum clarissimorum libellos atque commentationes in lucem publicam emisit, ac post præfationē suam de scriptis & bibliothecis antediluvianis, *Justi Lipsii* de bibliothecis syntagma, *Fulvii Ursini* de bibliothecis commentationem, *Pancirolli* rerum memorabilium sive deperditarum titulum vigesimum secundum, qui de librariis sive bibliothecis agit, *Michaëlis Neandri* de bibliothecis deperditis ac noviter instructis dissertatiunculam, *Jacobi Philippi Thomasini* præfationem in bibliothecas Batavinas de bibliothecis manuscriptis agentem, *Laurentii Pignorii* de servis quorundam rei librariæ adhibitis commentationem, ex ejus opere de servis excerptam, *Balthasaris Bonifacii* librum singularem de archivis, *Francisci Schotti*, *Onuphrii Panvinii*, *Antoniiq; Cicarellæ* descriptiones bibliothecæ Vaticanæ, *Balthasaris Corderii* de bibliotheca regia S. Laurentii Scorialensi in Hispania epistolas duas, itemque *Alexandri Barvoëtii* catalogum præcipuorum autorum ineditorum, qui in bibliotheca modo memorata manuscripti asservantur, *Jo. Alexandri Brassicani* de bibliothecis, cumprimis regia Budensi, ad Episcopum Augustensem, Christophorum a Stadion, epistolam, Salviano ab ipso edito præmissam, aliaque minutiora ejuscemodi opuscula unum in volumen collecta exhibuit. Sexto autem supra trigesimum a prima istius collectionis editione anno nuper admodum labente Vir ut multis aliis nominibus clarissimus, sic & de re cumprimis literaria meritissimus, *Jo. Andreas Schmidius*, Jenensis antehac, nunc Helmstadiensis academiæ decus immortale, consilium typographi de eadem recudenda, insimulque illustris *Hermanni Conringii* de bibliotheca Augusta, quæ est in arce Wolffenbüttelensi, ad L.B. a Boineburg epistola augenda non approbavit solum, sed & editionem hancce alteram sua præfatione exornavit, in qua venerabilem virum, *Hermannum* von der Hardt se exorasse innuit, ut, cum serenissimus Princeps, Dominus RUDOLPHUS AUGUSTUS, Patris AUGUSTI ad exem-

plum manuarias bibliothecas plures diversis in locis sibi collegerit, pro ratione muneris, quod ille gerat, serenitatis quippe ejus Juliæque constitutus bibliothecarius, brevem de Rudolphinis bibliothecis commentatiunculam scripto consignaret. Quod ut præstiturum eum nullus dubitat, ita insertum iri ejus istud scriptum alteri spondet volumini, quod prioris ad instar consarcinatum edere typographus meditetur, plura etiam imposterum daturus, sicubi libellos iis inserendos literati homines crebro transmiserint, quos ea de re maxime reverendus præfationis jam laudatæ autor, Schmidius, amice admonet.

Hæc cum superiori æstate legissem, in eam primum sententiam me inductum esse fateor, quod, cum diversarum bibliothecarum historiam descriptam legere rem eruditis haud injucundam haberi intelligerem, istius etiam bibliothecæ, quam templum Thomanum Lipsiense fovet, notitiam aliis, quibus de eadem quid cognoscere luberet, vellem pandere. Stimulum addebat non muneris duntaxat, quod per annos aliquot in æde ista sacra hactenus administravi, ratio, sed cura etiam bibliothecæ ipsiusmet paulo penitior, quam mox post ministerii mei ecclesiastici primordia imponi mihi passus sum. Recordabar insuper, bibliothecas Lipsienses publicas orbis literati conspectui exhibere rem insoliti haud exempli nuncupandam venire, posteaquam B. *Joachimus Fellerus* orationem suam de ortu & incrementis bibliothecæ Paulinæ, & codicum manuscriptorum ibi asservatorum catalogum * juris facere publici haud dubitavit. Nec latebant me plurimorum desideria, qui & illius, quam senatus urbis amplissimus magnifice erexit prudentissimoque consilio ac sumtibus haud pœnitendis indies locupletat, faciem depictam cernere, & thesaurum, qui & ibi colligitur, eminus conspicere gestiunt, præsertim ex quo supellectilem manuscriptorum rarissimorum nobilissimi eruditissimique Viri, *Joannis Christophori Wagenseilii* indefessa prorsus diligentia ex dissitissimis quibuscunque regionibus per annos bene multos conquisitorum eidem insertam fuisse palam innotuit.

* Prodiit ille, & post primam quidem editionem longe plenior, Anno 1686.

Equidem haud immemorem esse licebat, nequaquam adeo instructum reperiri nostrum apparatum, ut cum splendidissimis istis amphitheatris literariis ulla componi ratione posset. At enimvero qui cum facultatibus in hæc talia profundendis rem com-

comparaverit angustam, quam & ipsa nonnunquam æraria sacra experiuntur, vix sibi amplas unquam divitias pollicebitur, si quando bibliothecæ cujusdam ecclesiasticæ inter Lutheranos extructæ mentionem injici deprehenderit. Interim ut bibliothecæ academicæ, quam laudavimus, & senatoriæ dignitati nihil inde detrahitur, quod neutra contendere potest aut cum Regia Pergamena, aut cum Alexandrina, aut cum aliis, quas veteres scriptores commemorant, eisque volumina CM aut CCM tribuunt; ita nec nostræ id tantopere officiet, quod utrique istarum cedere necessum habeat, imo quod & privatis in hac urbe non unis palmam lubens deferat. Neque tamen eapropter neglectam penitus relinquere eandem fas est, cum de ea sane dici possint, quæ Βιβλιοφίλοις non parum, uti opinamur, delectabunt.

Ego vero hæc haud præter rem *arcana* quædam *sacra* nuncupo, titulumque istum mutuor a Viri, ut *Antonio Reisero* * audit, indefesso semper studio circa promovendam rem literariam sacram pariter atque profanam occupatissimi, *Theophili Spizelii*, tractatu, in quo is *arcana illustrium bibliothecarum sacra retecta* quondam exhibuit. Hactenus enim nostræ hujus bibliothecæ historia vere arcana fuit, iis etiam, qui de rebus patriis notitiam alias sat uberem sunt consecuti, repertusque plane nullus est, qui de ejus ortu atque incrementis quicquam literis consignarit; & scirem ego eadem adhuc cum ignarissimis, nisi ex dispersis quibusdam schedis ea collegissem, & librum, cui rationes administratæ pecuniæ, quæ huic instituto destinata fuit, inscriptæ leguntur, benevole mecum communicasset pastor hodie Thomanus longe meritissimus, D. D. *Seligmannus*. His ergo subsidiis fretus historiam qualemcunque condam, quam ubi recensuero, non de quibusdam modo observationibus monitisque voluminibus hinc inde allitis, sed de opere etiam peculiari integro, quod ineditum nostra hæc supellex libraria asservat, benevolum lectorem edocebo.

* Præfat. ad Indicem MScriptorum bibliothecæ Augustanæ.

Templum Thomanum, quod heic Lipsiæ divino cultui sacratum est, ad annum usque supra sesquimillesimum trigesimum nonum sacrificulis patuit pontificiis. Instituta autem ipso illo anno, quem memoravimus, post excessum GEORGII, Saxoniæ Ducis, a fratre ejus, HENRICO, sub sacrum Pentecostes

tempus & paulo post saluberrima reformatione ab illustri *Seckendorfio*, * *Jeremia Webero*, ** aliisque latius descripta, concionatores evangelicos divino beneficio nactum est, quos inter *Balthasar Loy* & *Jo. Fikerus* ordinis prærogativa gaudent. Hi utrum libros a rasa turba olim collectos uspiam repererint, majorem certe in modum ambigo, cum nulla eorum hodie vestigia compareant. Mox tamen a primordiis repurgati templi de bonis libris cogitatum fuisse certus sum. Nec præter rem omnino. Bibliothecas enim templis attiguas servare antiqua consuetudo fert, a qua ne gentiles quidem absuisse vel ex *Justi Lipsii* de bibliothecis Syntagmate satis constat. Bibliothecam etenim singularem in templo Trajani, inque Herculis & Pacis templo alias reconditas fuisse autor nobis est *A. Gellius* *** prout & capitolinam, quam tempore commodi imperatoris arsisse præter *Eusebium Orosius* affirmat, templum jovis contiguum habuisse arbitratur *Jac. Phil. Thomasinus.* **** Nec est, cur silentio prætereamus celeberrimam illam per orbem universum Ptolomæi Philadelphi bibliothecam, quam septuaginta voluminum millia complexam in Serapeo, quod inter templa istius ævi magnifica eminuerit, asservatam fuisse testis est non *Ammianus* solum *Marcellinus*, sed & illustrior magis magisque memorandus ex antiquorum patrum numero *Tertullianus*, quando ait: *hodie apud Serapeum Ptolomæi bibliotheca cum ipsis Hebraicis literis exhibentur.* * Constantinopolitanam in S. Sophiæ templo olim custoditam nemo ignorat. Inclytum quoque Pannoniæ regem, Matthiam, tacemus, qui bibliothecam suam, quam ex omni parte confertissimam instruxerat, in amœnissimo templo consecravit. ** Namque & nunc passim in templis bibliothecas datur cernere, nec ea res salutari caret monito, quo consuetudinis Ethnicorum probe memor *Spizelius* suggessit: *Cum damnificis*, inquiens, *umbrarum tenebris obnupti mortales judicarint, veram sacratorum ingenii fœtuum sedem loca sacra esse, quidni ea opinio Christianis pectoribus insideat, viros doctrina & literis excultos apprime sacras occupationes decere atque scriptiones, nec, nisi pia intentione prævia, opera apparanda esse fructu singulari orbi sese commendatura.* *

Nostrum vero templum aliquam librorum utilissimorum copiam usui communi destinatam intra suos parietes jam circa annum MDLX. recepisse constat, quam augere A. MDLXXIII. pla-

* *Histor. Lutheranismi, Lib. III. Sect. 19. §. 72.*

** Im Evangelischen Leipzig / p. m. 124.

*** *Lib. II. Noct. Attic. & Lib. XVI. itemque XIX.*

**** *Lib. de donar. & tabell. votiv. c. 3.*

* *Apologet. cap. XVIII.*

** Conf. hæc ex Alex. Brassicani, JCti, testimonio innuentem *Julium Pflugkium* in epist. *de fatis bibliotheca Budensis*, ad Illustrem Seckendorfium exarata, p. 13.

* *Literat. Infel. Commonef. XIX p. 464. s.*

placuit *D. Jo. Meyero*, qui biblia latina Lugduni anno 1566. literis majusculis eleganter impressa, nitide compacta & argenteis instructa ornamentis templo Thomano legavit, qua de re sequens frontispicio addita inscriptio legi heic meretur:

JOHANNES MEYER, SALINGOSTADIENSIS, Juris utriusque Doctor & Professor eximius, academiæ Lipsiensis Syndicus, ac supremi Judicii Curialis Electoralis Saxoniæ Assessor, Vir pietate, humanitate & doctrina insignis optimeque meritus, Halæ Saxonum III. idus Martii anno MDLXXIII. pie mortuus, & idibus mensis ejusdem Lipsiæ in æde Paulina terræ mandatus, hoc sacrorum bibliorum volumen templo D. Thomæ legatum, pietatis & gratitudinis suæ erga divini verbi ministerium, cujus semper fuit observantissimus, testimonium & pignus esse voluit.

Incrementa tamen longe nobiliora ac magis fortunata supellex illa anno demum MDLXXX. nacta est, merito tunc de eadem immortaliter NICOLAO SELNECCERO, in æde Thomana pastore ac Diœceseos Lipsiensis Superintendente, cujus Theologi memoriam ut nullo unquam tempore Ecclesia deponet orthodoxa, sic & Thomanum imprimis templum benedictam ejus nominis, quamdiu suo in loco stabile persistet, recordationem asservabit, quæ & post mortem beati Viri aliquando insigniter renovata fuit, cum ab anno 1606. ad annum usque 1619. filium ipsius, Nicolaum, Ecclesiasten haberet primo meridianum, ac deinceps vespertinum. Quam quidem felicitatem e filio paterna vestigia adeo laudabiliter legente nullius post Selneccerum manes experti sunt, præterquam *B. Christiani Langii*, qui Superintendens cum moreretur filium reliquit *Samuelem*, ad idem istud fastigium aliquanto post evectum, & B. *Jo. Benedicti Carpzovii*, cujus filius, *Jo. Benedictus*, decem annis post parentis obitum sacris in eodem templo, quod sua ille voce resonare fecerat, operari adeo feliciter cœpit, ut & paternæ dignitatis gradum supergressus fuerit. In *Romano* autem *Tellero*, Vinaria huc accersito & templi Thomani Diacono paucos ante menses constituto *Abrahamus Tellerus*, Thomanus aliquando Pastor, nepotem habet, qui eandem hodie cathedram animat, ad cujus latus imago istius affixa cernitur.

Sed est, cur ad Selnecceri in bibliothecam nostram merita revertamur, quæ prorsus sine nuncupare decet singularia. Is

enim anno MDLXXIX. & suo & diaconorum suorum nomine in schedula quadam ipsiusmet manu scripta & per ædes quasque celebriores divulgata significavit, quod, qui tunc ecclesiastico munere defungerentur, Thomani Ministri bibliotheculam sibi sacram erigere in votis haberent, qua de causa liberalitatem beneficorum ad promovendum istud negotium ipsis æque ac posteris haud parum profuturum implorarent. Et quo minus verba ipsorum propria huc allegemus, quid, quæso, prohibet? Ita nempe lecturos singulos ac universos compellarunt:

GOttes Gnad durch Christum / samt Wünschung eines glückseeligen guten neuen Jahres!

Dieweil wir eine Christliche nöthige kleine Bibliotheck in der Kirche allhie zu S. Thomas angefangen / und es uns an dem besten mangelt / daß wir dieselbige noch zur Zeit wenig fortsetzen können / und doch gleichwol durch E. E. Raths Gunstwilligkeit ein Anfang gemacht / und von etlichen wenigen Verheissung haben / etliche Bücher herein zu bekommen / und solches nicht schlecht für uns / sondern für unsre Nachkommen zur Ehre GOttes geschehen soll; So ist unsre / der Kirchendiener zu S. Thomas / Bitte / was fürnehme Leute / die des vermögen sind / und unser Intent sehen und verstehen / die wollen zum neuen Jahre mit ihrer Mildigkeit ohne Beschwerniß uns / etliche Bücher darein zu kauffen / mit einem geringen nach eines jeden Wolgefallen semel pro semper zu Hülffe kommen / und uns diese Bitte / die nicht uns / sondern der Kirche und Nachkommen bestes angehet / zu gute halten / und die Belohnung von GOtt gewißlich empfahen / wie wir denn zu diesem Ende auch unser treues Vater-

Vater Unser bey GOtt einzulegen schuldig sind. GOtt hiemit treulich befohlen. anno 1580.

Pfarrer und Kirchendiener zu S. Thomas.

Posteaquam vero sequens de adscribendis benefactorum nominibus epistolæ huic suæ petitoriæ monitum subnexuerunt:

Weil wir diesen Zeddel zu den Büchern / so eingekaufft werden / gedencken zu legen / so wird ein jeder / wer dazu etwas contribuiret / sich hernach unterzeichnen / auff daß Richtigkeit im Einkauff der Bücher könne gehalten werden / und Einnahm und Außgab miteinander übereinstimmen. Der HERR Christus bezahle einem jeden seine Mildigkeit!

non citra voluptatem insignem sentire ipsis datum fuit, quam prompte ac certatim velut desiderio ipsorum complures assurrexerint. Etenim & Magnificus tunc academiæ Rector, *D. Simon Scheibius*, & Inclyta Facultas Juridica, & Doctorum procerumque academicæ reipublicæ non pauci, senatus item oppidani capita & membra præcipua liberali manu præter pecuniam numeratam libros quoque utilissimos subministrarunt, adeo, ut annuo spatio nondum elapso thaleros CXL. aureos Rhenanos XXI. & florenos XXIV. obtinuerint. Præterea & laudatissima civium, quorum numerus ad centenarium assurgit, munificentia florenos plus quam CC. contulit.

Quæ autem de favore Senatus jam ante istud petitum declarato dicuntur, decem respiciunt florenos, quos ex ærario ecclesiastico per annos ille singulos in bibliothecæ augmentum exsolvere jussit. Quorsum ejusdem Selnecceri spectat testimonium, qui manu sua primo Tomo Operum Lutheri Wittebergensium Latino hæc adscripsit:

Amplissimus senatus reipublicæ hujus Lipsicæ, monitus de libris necessariis comparandis in usum ministrorum ecclesiæ hujus ad D. Thomam, ordinavit, ut præfecti ærario ecclesiastico hujus templi quot-

quotannis numerarent decem florenos, idque ita servaretur absque recusatione. Factum igitur est initium a Tomis D. D. Lutheri, prophetæ Germanici nostri, quorum duodecim Ienæ editi Germanice & Latine emti, ligati, & in sacrarium hujus templi depositi sunt, mense Decembri, anno 1578. Festo τῶν γενεθλ. τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Votis ergo suis damnati pientissimi Symmystæ Thomani gratum ante omnia benefactoribus retribuerunt animum, ac eorum imprimis antistes, Selneccerus singulorum, quotquot vel pecuniam vel libros obtulerunt, nomina ac munera memoriæ perennaturæ consecravit in catalogo, cujus oræ hanc præfationem addidit:

Quod faustum & felix sit, Deo gratum & ecclesiæ Christi salutare, bibliothecam Christianam & Theologicam instruere cœpimus in templo Thomiano hoc Lipsiensi, anno 1580. & oramus æternum patrem Domini nostri Jesu Christi, ut hoc ipsum opus ad gloriam sanctissimi nominis divini, & ad veræ doctrinæ propagationem directum ipse secundet.

Post alia pergit

Libri comparati sunt atque emti ex liberalitate VV. Clariss. Doctorum & Professorum, Consulum, Senatorum, præcipuorumque civium, quorum nomina & contributiones ordine in hoc libro recensentur. Nonnulli libros utiles nobis donarunt, quos etiam gratitudinis ergo in hunc catalogum referre voluimus. Filius Dei sua gratia & benedictione retribuat singulis & compenset piam liberalitatem, quæ nemini nocet, prodest autem plurimis.

Cumque biblia polyglotta Antverpiensia ex officina Plantiniana A. MDLXXI. edita, quæ & regiorum nomen gerunt, opus prælustre, in singulare ornamentum hoc ipso quoque anno bibliothecæ nostræ oblata fuerint ab amplissimo Viro, *Christophoro Schelhammero*, Lipsiensi Senatore, in ejus laudem Selneccerus ad oram primi Tomi hæc adscripsit:

Hoc opus biblicum octo Tomis comprehensum Vir ornatissimus, D. Caspar Schelhammer, senator reipublicæ Lipsicæ, bibliothecæ Thomianæ donavit. Hanc veræ Christianam liberalitatem Christus ipsi & semini ejus compenset beneficiis plurimis, id quod ex animo precamur & optamus.

Pecu-

Pecuniam deinceps paratam rite collocaturi fundatores libros mox & numero plurimos & usu præstantissimos sibi compararunt. Neque enim deterrere eos a proposito hoc & ardore poterat *Lutheri* judicium, quod de impensa in bibliothecas colligendas diligentia tulit, cum in præfatione parti primæ librorum suorum Germanicorum Wittebergæ anno 1539. impressorum præfixa hæc dissereret, quæ *Jac. Altingius* * stylo latino sic expressit: *Satis video, quid commodi redundarit in ecclesiam, quando cœperunt colligere multos libros & grandes bibliothecas, atque imprimis citra discrimen congregare omnis generis patres, concilia & doctores: quo facto non solum pretiosi temporis & studii scripturarii dispendium fieri contigit, verum etiam pura agnitio verbi divini tandem intercidit, eousque, ut codex biblicus (non aliter quam quinto libro Mosis contigit tempore regum Juda,) abjectus infra subsellia, pulverique quasi insepultus in oblivionem venerit.* Enimvero ut imprudentem librorum quorumcunque coacervationem hæc omnino feriunt; ita nullam plane nostris injecerunt remoram, qui æs collectum nonnisi in talia impenderunt opera, unde sibi & ecclesiæ certissimam pollicebantur ædificationem, patrum puta & doctorum probatissimorum, quorum scripta futuris usibus reposuerunt.

* *Præfat. ad Dissertat. Academ.*

Nondum vero post novam hanc bibliothecæ instaurationem decem anni effluxerant, cum ea Inspectore suo primario, SELNECCERO, privaretur. Ista enim agebantur tempora, *quibus secretis & callidissimis* [verba refero B. *Jacobi Thomasii*, *] *quorundam hominum machinationibus nihil propius effectum erat, quam ut Calviniana religio, quæ, uti deformes meretriculæ fuco & purpurisso, ita specie blandissima purioris reformationis incautos in amorem sui pellicere solet, plenis velis in has terras inveheretur.* Prout ergo Crypto-Calviniani tunc semetipsos orthodoxos, eos autem, qui pio zelo eorum machinationes increpabant, seditiosos atque indoctos appellare haud erubuerunt, ita factum fuit inter alia, ut & Selneccerus noster, qui perversis istis consiliis pro conscientiæ spartæque suæ ratione mascule se opposuerat, anno MDLXXXIX a sacris, quæ hactenus gesserat, muneribus remotum sese viderit. Et paruit lubens, duræ licet, necessitati, de magistri sui optimi permissione interea certissimus, quam cordi sibi esse testatus est eleganti disticho, quod in pariete musei sui scriptum reliquit:

* *Orat. in Christianũ II.* quæ est inter ejus junctim editas quinta, p. 77.

Promtus ad exilium, si sic tibi, Christe, videtur,
Quantumvis morbis canitieque senex.

Utut de cætero Lipsiam anno MDXCII. revocatus, atque ita ab Hildesiensibus, qui in eum Superindententis dignitatem contulerant, repetitus fuerit, (scena quippe tum temporis mirum in modum mutata,) vocationemque istam læto acceptans animo ad oviculas suas intime dilectas huc redierit, novæ tamen Ephoriæ auspicium quo minus faceret, morborum, qui in itinere ipsum invaserant, pertinacia impedivit, quæ & vitæ ipsi finem mox eodem anno attulit, ut adeo sui ipse funeris cantator velut cygnus fuerit, cum sexta illa vocatione impetrata exclamasset:

Septima me læto civem assignabit Olympo.

Ossa interim ejus in templo Thomano e regione suggestus condita molliter cubant, tumulique tegumentum in tabula ænea imaginem illius ad vivum expressam sistit, cum epigraphe: HIC SEPULTUS REQUIESCIT NICOLAUS SELNECCERUS, SS. THEOLOGIÆ DOCTOR CLARISS. TESTAMENTI CHRISTI ASSERTOR CONSTANTISS. PIE OBDORMIENS ANNO ÆTA. LXII. IN CHRISTO ANNO 1592. MAII 26.

Qui Pastoratum interim Thomanum usurpavit, CHRISTOPHORUS GUNDERMANNUS, vix quicquam in emolumentum bibliothecæ contulit. Infausta viri memoria est, nec ignota ejus levitas, qua Calvinianis perfide adstipulatus fuit, tametsi a famosissimo illo *Nicolao Crellio* ad facinorum suorum agnitionem adducto non aliud, atque socienni, *Salmuthus* & *Pierius*, elogium ideo retulerit, quod nempe *mendacissimus* imo *mendacium ipsum* dici mereretur. Facile hinc conjicias, quæ ejus mens in antecessoris conatum esse pro malitia ipsius potuerit. Quid? quod & ipsam functionem ecclesiasticam post breve spatium deserere, & ob Calvinismum (non citra improbam ad turbas concitationem,) defensum ac pro concionibus etiam publicis assertum vincula subire anno MDXCI. & sequenti e regionibus Saxonicis excedere necessum habuerit.

Sed lætior fortuna bibliothecæ nostræ affulsit, posteaquam in Gundermanni locum Thomanus Pastor constitutus fuit GEORGIUS WEINRICHIUS, qui & per integrum biennium

um

um Superintendentis vices extra ordinem posset, usquedum anno MDXCIV. ordinarius ipse Superintendens factus est. Eo in commune bonum laudabiliter intento bibliopolarum hujus urbis præcipuorum excitata fuit industria, certatim libros præstantissimos in exoptatissimum pii illius instituti emolumentum conferendi, quæ & per annos aliquot crebrius, & sub anni imprimis cujusque novi auspicia repetita fuit, multum præ cæteris beneficentiam suam Ministris Thomanis approbante HENNINGO GROSSIO. Sed emarcuit hæc virtus paulo post ipsorum tempora, quanquam eadem novos quasi flores protruserit, cum ante hunc ipsum annum solertissimus integerrimusque Vir, *Joh. Ludovicus Gleditschius* bibliopolarum nostratium haud postremus, mores induens antiquos, libros aliquos majoris formæ, & omnium quidem confessione utilissimos, antecessorisque sui, *Mauritii Georgii Weidemanni*, sumtibus curatos strenæ in vicem bibliothecæ nostræ insereret, id quod grata mente publice testatum hoc in loco facio.

Weinrichii autem memoriam dum refrico, *Georgii* una *Wirthii* nomen allegandum est, Viri illustris, & hoc Epitaphio in templo Paulino cohonestati, e quo de ipsius dignitate judicium ferre licuerit:

CAROLE Quinte tibi Cæsar, regique PHILIPPO
In Belgis Medica notus ab arte fui.
Post multas demum messes mens reddita cœlo,
Marmore Lipsiaco molliter ossa cubant.

Hujus munificentiam si pro merito lectori vellem ob oculos proponere, integer mihi conficiendus veniret catalogus librorum, quibus Thomana locupletavit scrinia. Sed nimiam veritus prolixitatem schedulam illam haud describere aggredior, in qua Weinrichii manus eosdem consignatos exhibuit.

Post Weinrichium bibliothecæ curam in se suscepit ANDREAS SCHNEIDERUS, Archi-Diaconus tunc Thomanus, quem ad librariæ hujus collectionis incrementa plurimum contulisse si dixero, exiguum saltem redhostimentum beati viri meritis me præbuisse certus sum. Patriam ille Lipsiam nostram habuit, in qua anno MDLVIII. patre Andrea, cive ac typographo honestissimo natus fuit. Ac licet urbi natali per aliquot annos subtrahi ipsum contigerit, cum Crimmitschaviam ad mu-

 nus

nus Scholasticum expeteretur, quod postmodum excepit parochia Albersdorfii, qui pagus est in Voigtlandia, ubi per sex annos Pastorem egit vigilantissimum, Lipsia tamen eum sibi vidit redditum, cum anno MDXCII. in ecclesiasten advocaretur vespertinum, & sequente mox anno ad Archi-Diaconi provinciam adspiraret, quam ad annum usque MDCXX. indefessa cum industria ornavit. Laudat eum *Polycarpus Lyserus*, qui in ipsius exequiis verba fecit, & hoc imprimis nomine, quod collegas suos frequenter sublevarit, &, quoties opus esse viderit, alienis humeros suos laboribus subjicere haud detrectarit. Est vero, cur & posteri ipsius celebrent industriam, quam per annos integros XX. in augendam ordinandamque bibliothecam impendit. Erat ille alias felix liberorum parens, cum filios quinque a Facultate Juridica, Medica & Philosophica doctorum titulo & axiomate condecoratos cerneret. Sed nec infelix librorum condus dicendus est, quando tot volumina bibliothecæ Thomanæ illata nemo vidit, quot ipse vel dono ab aliis data recepit, vel pro pecunia huic instituto destinata coëmit. Unum est, quod doleas, inter ea nullum a Schneideri ipsiusmet industria natum reperiri, (præterquam exiguum libellum, conciones quinque in parabolam de decem virginibus ab ipso habitas continentem,) quandoquidem is aliorum scripta colligere, quam propria evulgare maluisse videtur, licet ei haudquaquam defuisset occasio volumina grandiora in lucem publicam emittendi, si vel Prophetas duodecim minores, quos in concionibus suis ordinariis post prophetiam Danielis enucleavit, edere non fuisset dedignatus.

Cum interim Schneiderus anno MDCXX. finiente ex hac vita bene præparatus emigrasset, POLYCARPUS LYSERUS, Pastor tunc Thomanus, ac deinceps ab anno MDCXXIIX. Superintendens, bibliothecæ quamoptime prospicere suarum duxit esse partium. Equidem per annos quatuor a Schneideri morte proximos nervus rerum gerendarum admodum incisus fuisse videtur, (non parum procul dubio obstantibus temporibus ob annonæ caritatem tunc difficillimis,) adeo, ut per istud intervallum nonnisi opere consiliorum Dedekenni apparatus pristinus adauctus fuerit. Sed commendari maximopere meretur Lyseri & collegarum sollicitudo, qua ad exemplum antecesso-

teceſſorum ſuorum liberalitatem divitum & ad ſublevandam doctorum eccleſiæ indigentiam paratorum denuo implorarunt per conceptam anno MDCXXV. hanc, quam ex αὐτογράφῳ Lyſeri exhibemus, ſchedulam:

GOttes Gnade durch Chriſtum / ſamt wünſchung eines glückſeligen fried-und freudenreichen neuen Jahres!

Dieweil unſere gottſelige Vorfahren eine Chriſtliche/ nöthige kleine bibliothecam vor ſich und ihre Nachkommen zur Ehre GOttes in der Kirchen allhier zu S. Thomas angefangen / und vor 45. Jahren fromme gutthätige Hertzen mit ihrer Mildigkeit zu Fortſetzung derſelben ihnen beyzuſpringen freundlich erſuchet / auch ſolches gutwillig erhalten / überdieß E. E. Hochw. Raht / als Patronus, zehen Gülden jährlich aus der Kirchen Vorrath darzu gewidmet und bißanhero gereichet / und wir/ als Ihrer nach GOttes Willen Nachkommen/uns ſchuldig erachtet / ſolches Chriſtliche / wohlgemeynte und nützliche Werck fortzuſetzen / darneben aber vermercken / daß viel ſchöne und herrliche Opera ſeit der Zeit ausgegangen / welche von dem jährlichen deputat zu erzeugen in dieſen ſchweren und geſchwinden Zeiten nicht möglich / ſind wir verurſachet worden / unſerer ſeligen Vorfahren Mittel vor die Hand zunehmen / und hierinnen ihnen nachzufolgen / bevoraus / weil über drey (nemlich Herr Johann Grünewald / ſchon damals des Raths Verwandter / Hr. Gedeon Hanemann/ und Herr Balthaſer Kaußler/) nicht mehr am Leben ſind/welche mit ihrer Gutthätigkeit dem Chriſtlichen Wercke damals fortgeholffen haben / und iſt

unser / der Kirchendiener zu S. Thomas / Bitte / was vornehme Christliche und von GOtt gesegnete Leute sind, und unser Vorfahren löbliche intention, die uns zu continuirung angemahnet haben / verstehen / die wollen zum neuen Jahr mit ihrer Mildigkeit ohne Beschwerniß uns entweder an Büchern etwas darein verehren / oder solche zu kauffen mit einem geringen / nach eines jedem Wohlgefallen / semel pro semper (einmahl vor allemahl) auch jetzo zu hülffe kommen / und solches zum Gedächtniß aus danckbarem Gemühte gegen den lieben GOtt vor die bißanhero in dieser Kirchen erhaltene reine Lehre GOttes Worts / anhero verzeichnen / und uns diese Bitte / die nicht so wohl uns / als der Kirchen und Nachkommen bestes angehet / zu gut halten / und die Belohnung von GOtt gewißlich empfahen / wie wir denn zu diesem Ende auch unser armes Vater Unser bey GOtt einzulegen schuldig sind. GOtt hiermit treulich empfohlen. Anno 1625.

Pfarrer und Kirchendiener
zu S. Thomas.

Satisfecerunt mox honestissimis petitis tres urbis consules amplissimi, *Theodorus Möstelius*, *Ernestus Mosbachius* & *Fridericus Mayerus*, quorum primus Opera Philippi Nicolai, secundus Opera Hospiniani, tertius Locos Theologicos Gerhardi subministravit, additis quoque in peculiaribus schedis instituti saluberrimi commendationibus, quas legere heic singulas nemo fortan pigrabitur.

A.

Demnach die in GOtt nunmehr selig ruhenden Vorfahren am Ministerio der Kirchen zu S. Thomas allhier

allhier eine bibliothecam daselbst / zuförderst zu der Ehre GOttes und heilsamer Erhaltung und Fortpflantzung seines allein seligmachenden Wortes / auch rechtem Gebrauch der heiligen hochwürdigen Sacramenten / dann zu ihrer Successoren am Worte / derselbigen nützlichen Gebrauch / anzurichten bewogen / und fromme gutherzige Leute dazu zu contribuiren bittlich ersuchet / die sich auch / wie aus dem Verzeichniß zu sehen / willig dazu erfinden lassen: welch wohlgemeyntes Werck um ebenmäßiger Ursachen willen zu continuiren jetzige am Ministerio der Kirchen zu S. Thomas verordnete Kirchendiener gemeynet seyn / und dazu von jetziger Bürgerschafft und Einwohnern eine milde Beysteuer / nach eines jeden guten Willen und Beliebung / freundlich suchen und bitten / und die Zeiten leider! jetzo so beschaffen / daß um vieler Aergerniß / Rotten und Seckten willen / die Diener am Worte GOttes / als Hüter über der Menschen Seelen / uhrsache haben / fleißig zu lesen und zu studieren / auff daß sie durch Beystand GOttes des Heil. Geistes Mund und Weißheit erlangen / und mächtig werden zu wiedersprechen denen Wiederwärtigen und mit allem Ernst und möglichen Fleiß dahin zu arbeiten / daß ihre anbefohlene Kirchen und vertraute Zuhörer bey der rechten Weide des seligmachenden Wortes GOttes / und unverfälschten Gebrauch der heiligen hochwürdigen Sacramenten / wie solches in der heiligen Bibel Altes und neuen Testaments von den Propheten und Aposteln abgefasset / gelehret und geprediget / in der ungeänderten Augspurgischen Confession anno 1530. Kayser Carl den Fünfften übergeben /

und

und von den Protestirenden Ständen frey und öffentlich bekant worden/ in denen Schmalkaldischen Artickeln / auch kleinen und grossen Catechismo des Herrn Lutheri, so wol in der Formula Concordiæ wiederholet / erhalten / und solches auff die liebe Posterität zu Erbauung / auch der Seelen Heil und Seeligkeit fortgepflantzet werden möge; und eines jeden Privat-Personen am Ministerio Gelegenheit und Vermögen nicht ist / die hiezu offtmals bedürffende Bücher um ihr eigen Geld zu erzeugen / dahero dergleichen heilsame und nützliche Bibliothecken als wie ein Schatz der Kirchen zu achten / darzu auch jederzeit von frommen gottseligen Hertzen von Alters her gehalten / und derohalben zu eines jeden bedürffenden Nutz zusammen getragen worden; als habe auch ich an meinem Ort solch eines Ehrwürdigen Ministerii der Kirchen zu S. Thomas allhier Vorhaben mir nicht mißfallen / sondern vielmehr dermassen belieben lassen / daß ich wünschen wolte / solch nützlich Christlich Werck wäre nicht so lange sitzen blieben / sondern vorlängst zu der Kirchen grossen Nutz fortgestellet worden. Erinnere aber ein Ehrwürdig Ministerium, daß sie um der Ehre GOttes / ihrer und aller unserer Nachkommen besten willen dieses Christliche wohlgemeynte Werck mit Fleiß zu continuiren / und nach gelegenheit der Zeit auff fernere stetige Verbesserung solcher nützlichen Bibliothec zu dencken / ihnen wolten lassen angelegen und befohlen seyn. Ich mache mir keinen Zweiffel / gottfürchtige fromme Christen und Hertzen / die GOttes Wort lieb haben / und desselbigen Lauff / damit es auch auff die Nachkomen rein und unverfälscht bracht

bracht werde / gerne befördert wissen wolten / die werden ihnen solches gleichfalls nicht mißfallen / und zu solchem Christlichen wolgemeynten Wercke zu contribuiren nichts abhalten lassen / sondern vielmehr also bezeigen / daß ihre Andacht / Beliebung zu GOttes Wort / und desselbigen beförderung daraus zu spüren / und ein Ehrwürdig Ministerium dasselbige zu rühmen habe. An meinem Theil will zu einem / GOtt gebe / glücklichen Anfang dieser nützlichen wohlgemeynten Continuation Ich / Theodorus Möstel / der Rechten Doctor, Churfürstlicher Sächsischer Appellation-Rath / des Churfürstlichen Sächsischen Schöppenstuhls Assessor, und der Zeit ältister Bürgermeister allhier / nach meinem wenigen Vermögen in solche bibliothecam hiermit die Opera Herrn Philippi Nicolai / der Heiligen Schrifft Doctoris und der Kirchen zu S. Catharinæ in Hamburg gewesenen Pastoris, als eines um die Kirche GOttes wohlverdienten Mannes und reinen Evangelischen Predigers / Teutsch und Lateinisch in vier unterschiedene Bände in Folio wohl eingebunden verehret haben. Der allmächtige GOtt helffe gnädiglich / daß nicht allein die jenigen / so jetzo am Ministerio sind / sich derselbigen und aller anderer guten Bücher viel lange Jahre / sondern auch ihre Nachkommen zu der Kirchen gedeylichem Auffnehmen und Wohlfahrt nützlich gebrauchen / um JEsu Christi seines lieben Sohnes / unsers HErrn und Heylandes willen / Amen. Geschehen Leipzig / am Tage Conversionis Pauli, den 25. Januarii, anno 1625.

Theodorus Möstel.

B.

Zu Beförderung und Fortsetzung dieses Christlichen heilsamen und nützlichen Vorhabens habe ich **Ernestus Mosbach**/ Bürgermeister allhier/in die Liberey zu S. Thomas die OPERA HOSPINIANI complet in drey unterschiedene Bände in Folio eingebunden/ verehret. Der allmächtige GOtt gebe ferner Gnade und Segen darzu/ daß dieses wohlgemeynte und löbliche Werck zu GOttes Ehren/ zu weiterer Ausbreitung seines seligmachenden Worts/ und zu unser allen Seelen Heil und Seligkeit gelangen und gereichen möge. Actum Leipzig/den 4. Martii, anno 1625.

C.

Welchermassen hiebevor von unsern löblichen Vorfahren de anno 1579. vor gut angesehen worden/ daß eine Bibliotheca in der Kirchen allhier zu S. Thomas/ durch Hülffe und Beysteuer Christlicher und gutthätiger Leute des Rahts und gemeiner Bürgerschafft/ so wol auch anderer vornehmen und vermögenden Herren allhier möchte gestifftet/ und also fortan auch durch der Nachkommenden darzu gebenden Verehrung verbessert und vermehret werden/ solches habe ich von denen Herren Ministris und Kirchendienern des Worts GOttes dieses obgedachten Orts/ und aus dem mir zugestellten Büchlein und mündlich beschehenen Bericht mit mehrern vernommen. Weil mir denn nicht unwissend/ wie jetziger Zeit viel herrliche Scripta, sonderlich auch S. Patrum, von unsern Adversariis im Nachdrücken verfälschet/ und hernach zu Widerlegung ihrer Irrthum nicht wol

können

können gebrauchet werden/ auch die Kirchen- und Schuldiener nicht allezeit im Verlag/ viel und mancherley Bücher zu kauffen/ und dannenhero zur Fortsetzung ihres Studirens sich derselben allda in Nachschlagen und Wiederlegung der Wiedersacher ihrer Irthüme sich nützlich gebrauchen können/ auch sonsten gemeiniglich in allen wohlbestalten Regimenten in denen Kirchen und Schulen dergleichen und von alters her gestifftet und continuiret worden: Alß habe ich/ **Friederich Mayer** / des Churfürstl. Sächs. Schöppenstuhls allhier Assessor und Bürgermeister/ zur Fortsetzung dieses Christlichen und löblichen Wercks die LOCOS THEOLOGICOS GERHARDI, so viel derselben jetzo von dem Herrn Autore ans Licht gebracht/ und noch künfftig in diesem nützlichen Wercke bey meinem Leben in offenen Druck ausgehen möchten/ in roth Leder gebunden und verguldet auff den Schnit/ darein geben und verehren wollen. Der GOtt alles Trostes und Vergelter alles Guten verleihe um des Verdiensts seines lieben Sohns/ unsers einig und allein Seligmachers/ JEsu Christi willen/ durch Krafft und Beystand des heiligen Geistes seine Gnade/ daß noch viel Christliche und gutthätige Hertzen/ welchen ihr Christenthum ein rechter Ernst ist/ also nachfolgen/ und in weniger Zeit eine instructissima bibliotheca, so zu Erhaltung seines reinen und allein seligmachenden Worts/ und Refutirung der Feinde seines Christlichen Namens und Bekehrung zu demselben wohl und nützlich angewendet und gebrauchet werden möge!

möge! Signatum Leipzig/ den 30. Martii, Anno 1625.

Friederich Mayer.

Horum veſtigiis inſiſtere placuit Duum Viris integerrimis, *Thoma Lebzeltero* & *Caſparo Wernero*, qui unitis ſumtibus novem operum Alphonſi Toſtati Tomos in gratiam bibliothecæ compararunt, quibus reliquos quatuor liberalitas, neſcio cujus, ſuperaddidit. Sed & Magnificus tunc academiæ Rector, *Daniel Putſcherus*, propenſum ſuum animum teſtatum dedit, Barradii Concordiam evangelicam his verbis eidem transſcribens:

In honorem Dei, favorem Miniſterii, augmentum bibliothecæ Thomianæ & memoriam ſui contulit commentaria Sebaſtiani BARRADII in concordiam & hiſtoriam evangelicam, duobus voluminibus diſtincta, DANIEL PUTSCHERUS, U.I.D. & p.t. RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS, d. 20. Aprilis, ANNO CHRISTI MDCXXV.

Num quis præterea aut pecuniam aut libros plures elargitus fuerit? ex teſtimoniis ſufficientibus haud conſtat. Certe rationum librum inſpicienti manifeſtum evadit, lento ſatis gradu facta tunc incrementa proceſſiſſe. Aliunde tamen facultates bibliothecæ auctas dedit Lyſerus. Weinrichii nimirum tempore mos invaluerat, ut in Thomano templo ordinandus quisque ſuam conferret ſymbolam ad incrementum librariæ ſuppellectilis comportari ſemel cœptæ, aſt ab initio donum ab iis petitum nimis exile fuit, unico enim groſſo collectorum ſe contentam geſſit humanitas, ſed ſub Lyſero ſumma pedetentim aucta ad thaleri denique dimidium aſcendit.

Qui Polycarpo Lyſero anno 1633. in paſtoratu ſucceſſit D. CHRISTIANUS LANGIUS ſtatim poſt ſuſceptam reditu-um bibliothecæ adminiſtrationem fata ſat felicia expertus eſt, dum arcis Pliſſoburgicæ præfectus, *Dominus a Drandorf*, ſummam pecuniæ haud pœnitendam uſibus bibliothecæ conſecravit, quam ille mox in libros optimos prudenter impendit.

Sed dum ad alia pergere eſt animus, ſubſiſtere paulisper me heic jubet Vir de orthodoxa Chriſti Eccleſia deque noſtra academia meritiſſimus *D. Henricus Höpfnerus*, qui, cum liberos nullos poſt ſe relinqueret, libros ſuos Thomanæ bibliothecæ

linquere

linquere voluit. Legavit igitur eidem istos in testamento legitimo, licet ob tumultus bellicos singuli ac universi Hamburgum ab eo paulo ante missi fuerint. Sumtibus proinde ex ærario Ecclesiastico petitis advecti illi post Höpfneri mortem, qui in annum MDCXLII. incidit, ac corpori bibliothecæ feliciter inserti sunt. Quod rarissimum nostri ævi exemplum ut publica in panegyri laudari optime meretur, ita bibliothecæ nostræ vel e libris Theologi adeo celebris cum iis, quos illa ante jam servarat, unitis haud leve apud bonos quosque æstimium accessurum arbitramur.

Multum ista ratione ornatam amplificatamque bibliothecam anno MDCXLVI. celeberrimus D. JO. BENEDICTUS CARPZOVIUS, Pater, ut Superintendentem suum, D. Langium, onere levaret, suæ curæ concreditam ulterius ad beatam usque analysin suam tueri & augere studuit.

Carpzovii Gener, MARTINUS GEIERUS, postquam anno MDCLVIII. Pastoratus munus obtinuisset, bibliothecæ simul salutem sibi demandatam esse arbitratus multum pro eadem vigilavit, nec ab isto labore destitit, licet anno MDCLXI. Superintendentis quoque axiomate mactatum sese cerneret, ac interea temporis in usum ministerii Thomani bibliothecam libris auxit utilissimis, utpote Cyrilli Hierosolymitani Catechesi, Cypriano a Rigaltio edito Nicolai Abrami Pharo, Quaresmii elucidatione terræ sanctæ, Creyghtoni Concilio Florentino, Cellotii historia Godeschalci prædestinatiani, Stephani Dechamps libris tribus de hæresi Janseniana, aliisque ejus generis.

Geiero in aulam anno MDCLXIV. evocato bibliothecæ interim rationes scripto consignavit *Joh. Ulricus Mayerus*, Archi Diaconus, intereaque Montacutii origines & apparatum in ea locum obtinuisse testatus est. Mox tamen rationes reddidit Superintendenti, qui Geiero successerat, D. SAMUELI LANGIO, qui administrationis suæ auspicium illustre facturus Biblia Parisiensia maxima, Autore R. P. Jo. de la Haye curata bibliothecæ intulit, eaque in octodecim volumina distingui fecit, in unum adeo opus thaleros LXXXIX. impendens. Addidit præterea Samuelis Bocharti Hierozoicon, quod ante paucos annos tunc primo editum ore eruditorum omnium valde celebrabatur.

Sed ideo non defuere MAYERO, poſt mortem Langii Thomano Paſtori, facultates libros ſubinde alios adjiciendi, præſertim cum intermiſſam hactenus ab anno MDCXXXIX. florenorum decem exſolutionem annuam ab ampliſſimo ſenatu anno MDCLXX. denuo impetraſſet. Factum inde eſt, ut præter Halloixium de ſcriptoribus Orientalibus, Rivetique opera, Biblia quoque polyglotta Waltoni Londinenſia, & Biblia Critica Anglicana inter libros noſtros hodie connumerentur. Sui denique gratam apud poſteros memoriam excitaturus Mayerus Michaelem Ghislerium in Jeremiam, & Ludovici de Tena commentarios in Epiſtolam ad Hebræos, tria majoris formæ volumina elegantiſſime compacta bibliothecæ ſuis ſumtibus inſeri curavit.

Ex quo deſideratiſſimus noſter D. JO. BENEDICTUS CARPZOVIUS, Filius, qui Paſtoratum anno MDCLXXIX. adeptus eſt, bibliothecæ præfuit, Dionyſii Petavii Dogmata Theologica ex bibliotheca Caloviana, & antea ex diſtracto Henrici Meyeri, Diaconi quondam Nicolaitani, apparatu inſtructiſſimo libri bonæ notæ plurimi illius cura ad nos tranſierunt. Sed inſtar omnium ab ipſo unquam comparatorum ſuſtinere poteſt bibliotheca Patrum Maxima, viginti ſeptem Tomis conſtans, quam poſſedit quondam Vir clariſſimus & longiore vita digniſſimus, *M. Chriſtianus Wagnerus*, Templi Johannei in ſuburbio Lipſienſi Paſtor, qui ipſe viva audire bibliotheca poterat, & tantam certe lugendi cauſam præmatura ſua morte bonis omnibus præbuit, ac Petrus quidem Moſellanus, quem unum ex ornamentis Lipſiæ fato præpropero extinctis nominare nonnemini haud ita pridem placuit.

Æſtate anni MDCXCIX. cujus ver Carpzovium eccleſiæ academiæque lugendo admodum caſu eripuerat, nobiliſſimus ſenatus, præfecturam templi Thomani gerente Magnifico STEGERO, locum bibliothecæ capiendæ deſtinatum ſublatis menſis ſcriniiſque parum apte collocatis ampliorem reddi, ac libris juſto magis ordine diſponendis congruum aſſignari ſpatium curavit. Cum itaque iſti a ſedibus ſuis priſtinis remoti in novum redigendi ordinem venirent, catalogum in bibliotheca quavis tantopere neceſſarium in hac deſiderari ægre ferens miniſterium Thomanum ex ordine ſuo Virum plurimum reverendum,

dum, Dominum M. ALBRECHTUM CHRISTIANUM ROTTHIUM, precibus amicis excitavit, ut de titulis singulorum in peculiarem indicem referendis oportune cogitaret, qui & nullis se subduxit molestiis, quas devorare alias in hoc laboris genere occupati coguntur, optatissimoque cum successu librorum indicem perquam accuratum confecit, quo nos ex voto nunc fruimur, solertissimumque autorem iis, qui de bibliotheca praeclare meriti sunt, summo jure accensemus.

Quanta cura atque fide majorum antecessorumque vestigiis ut alibi, sic & in salute bibliothecae curanda insistat hodiernus in aede Thomana Pastor, D. GOTTLOB FRIDERICUS SELIGMANNUS, modestia ipsius prorsus singularis dicere me prohibet. Nec possum tamen, quin affirmem, si DEUS vitam ipsi, ut ex animo precamur, longiorem concesserit, certo futurum, ut, quod & hactenus jam factum, catalogus noster novorum nec vulgarium operum titulis subinde locupletandus sit.

Atque haec potissima bibliothecae nostrae est historia, quoad quidem eam ob monumentorum idoneorum defectum rescirscere licuit. Nunc promissi memor observationes nonnullas monitaque voluminibus quibusdam in fronte superaddita referre pergam. Heic vero memorandus venit iterum cum summae laudis praefatione NICOLAUS SELNECCERUS, qui gravissimis, quae ipsum distraxere, occupationibus tantum saepe temporis subtraxit, quantum ad libri haud unius oram erudito, pioque ac salutari discursu sua manu scripto exornandam necesse habuit. E plurimis lector benevolus aliqua duntaxat exempla hoc in loco perlustrare inter utilissimas, credo, voluptates numerabit.

Praeclarum omnino est, quod supra jamtum allegavimus, bibliorum Antverpiensium opus, auspiciis Philippi II. Hispaniarum regis, editum. Istius autem Tomo primo sequentia manu Selnecceri adscripta leguntur:

Magni fit hodie ab eruditis opus hoc biblicum, laude sua dignum & praeclarum, quod ad linguarum collectionem attinet. Ex illo autem allegatur, quod Eucharistia sub altera tantum, nimirum panis, specie, Joh. 6. sit data a Christo Luc. 24. ab Apostolis Act. 2. & 20. (in quorum utroque loco Syri vocem ἄρτον, panem reddant nomine Eucharistiae אוּכָרִסְטִיא*.) Et quod in Eucharistia non remaneat sub-*

substantia panis post consecrationem, Matt. 26. Mar. 4. Luc. 22. Joh. 6. *Item, quod Eucharistia in publicis supplicationibus circumferenda sit, juxta præfigurationem* Josua 6. 7. 20. & 1. Reg. 4. 2. Reg. 6. 5. *Item, quod Eucharistia sit adoranda, secundum* Psalm. 21. 30. 98. Joh. 9. *Hæc inserta sunt huic nobiliss. operi, desumta ex lacunis pontificiis. Quod autem ad primum attinet, Johannis sexto nequaquam traditur institutio cœnæ, sed concio auditur de fide sive spirituali manducatione. Lucæ autem 24. non administrata fuit cœna dominica, sed mos usitatus retentus fuit, ut adhibita precatione panis frangeretur initio prandii vel cœnæ. Ideo additur*: ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, *Agnitus fuit ab ipsis in fractione panis, id est, eo ipso tempore & momento, quo panem fregit Christus, vel, ut Syrus reddidit, Cat Kaza Lachma, quando frangeret panem, agnoverunt eum. Nec tamen improbamus sententiam eorum, qui opinantur, Dominum etiam tum repetiisse institutionem & administrationem suæ cœnæ. Inde vero inferri non potest, unam tantum partem dandam esse, cum manifesta institutio sacrilegio isti adversetur. Estque consequentia hæc indigna Christiano: Christus fregit panem, ergo altera pars e sacramento auferatur, & Laicis non detur. Act. 2. Si quis per fractionem panis intelligit usurpationem cœnæ Dominicæ, sane intelligat, sed sine detrimento institutionis & mandati Christi. Eucharistia enim (quam vocem Syri retinuerunt) non solum panem & corpus, sed etiam calicem & sanguinem comprehendit. Et fractio Eucharistiæ est distributio corporis & sanguinis.* QUOD *porro ex verbis institutionis suam* μετουσίαν *seu transsubstantiationem probare conantur, vanitas est. Et huic commento semper reclamavit orthodoxa ecclesia, adducto articulo unionis naturarum Christi hypostaticæ, ut ex Augustino, Cyrillo, Hieronymo & cæteris manifestum est. Ut enim non licet dicere: Homo est Deus, ergo homo est conversus in substantiam sive essentiam divinam; ita non licet dicere: Panis est corpus Christi, ergo panis est mutatus in corpus, & facta est vel* μετουσία *vel* συνουσία *aliqua, transsubstantiatio vel consubstantiatio. Et voluit Christus, ad evitandum hoc figmentum, Paulum dicere, panem esse* κοινωνίαν, *communicationem (non spiritus sed) corporis Christi, id est, distributionem & sumtionem* μετάληψιν, μετοχὴν καὶ ληψοδοσίαν *Cætera refutantur per regulam, quod extra usum institutum a Christo nihil habeat rationem sacramenti. Præfigurationes igitur tracta in imitationem & exem-*

& exemplum sine mandato, sunt traditiones hominum vanæ, & nullius momenti; imo κακοζηλίαι, superstitiones, & idololatriæ. ULTIMO: Adoratio non sit idololatria; ἀρτολατρεία igitur concidit prorsus. Panem enim non adoramus, sed Christum. Et quæ debeat esse adoratio Christi, cum in universa ecclesia, & ubique locorum, publice & privatim, tum in hac peculiari actione cœnæ, in qua corpus & sanguinem ejus accipimus, uniuscujusque fides, amor Christi, fiducia, & Spiritus ostendunt ex verbo Dei. Agimus autem Deo gratias pro luce & potentia verbi, & pro hoc ipso opere biblico, quo pontificii quasi suo proprio gladio se ipsos jugulant. Et oramus eum, ut nobis clementer adsit in his mundi fecibus, & in agnita veritate, ministerio D. Lutheri in harum terrarum ecclesiis revelata, nos contra portas inferorum, pontificios, Jesuitas horum parasitos, & contra sectarios, sacramentarios, anabaptistas & similes conservet, & per & propter Christum æterna beatitudine & salute donet, amen.

N. Selneccerus

Subjungit dehinc rursus:

Sunt nonnulla, quæ in hoc opere cum judicio pio legenda sunt. Inseruerunt enim multa pontificia, de purgatorio, &c. quæ jam etiam ridicula, ut, quod vox: mittatur, sit græca, &c. Et in novo testamento retinuerunt versionem Latinam Bezæ, uti Act. 3. (oportet Christum cœlo capi,) legitur, qua versione sacramentarii absentiam corporis Christi a cœna stabilire conantur. Et multo plura inter legendum occurrunt, quæ dexteritatem judicii requirunt. Utinam Principes nostri aliquando tale opus promoverent, adhibitis doctis & orthodoxis Viris, linguarum peritis, & vere Deum timentibus, qui ea removerent, quæ scoriam sapiunt, ut est in propheta, & aurum verbi retinerent.

Quæ Tomo primo operum Philippi Melanchthonis Wittebergæ anno MDLXII. editorum apposuit, pietatem non minus ac prudentiam theologicam insignem redolent. Sunt autem hæc:

Quatuor Tomos scriptorum reverendi & clarissimi V. D. Philippi Melanchthonis, (quem qui præceptorem non agnoscit, eum B. Lutherus asinum, porcum & fatuum esse dixit; id quod verissimum esse testari possunt omnes, qui noverunt & audiverunt Philippum, e quorum numero me unum esse, qui in ipsius dormitorio cum Joachimo Camerario

rario secundo aliquoties somnum quoque cepi, & multa & magna beneficia, ut a patre filius, accepi, & ipso sanctiorem Virum nec vidi, nec novi, fateor ingenue;) Tomos, inquam, quibus ecclesia & schola recte constituta carere non possunt, comparavimus liberalitate & xenio senatus Lipsiensis, in usum templi hujus Thomiani, 10. flor. & 10. grossis.

Lipsiæ, in natalitiis servatoris JESU NOSTRI, 1580.

Nicolaus Selneccerus, D.

Et in pagina transversa.

Nonnulla, quæ in controversiam & accuratiorem considerationem ex scriptis D. P. M. venerunt.

1. *κοινότης ὀνομάτων nude posita.*
2. *Restitutio gloriæ facta filio Dei.*
3. *Spiritum Sanctum esse aliquid Dei, vel essentiæ DEI.*
4. *Liberum arbitrium secundum scholasticos posse definiri, quod sit facultas applicandi se ad gratiam.*
5. *In Davide aliquam esse causam & actionem, cur recipiatur.*
6. *Voluntatem hominis causam esse aliquam conversionis, adjungendam Spiritui Sancto.*
7. *Disciplinam externam esse pædagogum ad Christum.*
8. *Præsentiam operam non excludi ex ipsa justificatione.*
9. *Propositionem: calix est novum testamentum, per metonymiam esse intelligendam, ea ratione, qua dicitur: fasces sunt Romanum Imperium.*
10. *Sumtionem proprie habere rationem sacramenti in his, qui sumunt fide.*

Breviora sunt, quæ vetustæ bibliorum versioni Germanicæ duobus in folio Tomis constanti, & anno 1518. Augustæ Vindelicorum ex officina Silvani Otmar editæ adscripsit:

Diese Bibel / in zwey Theil gebunden / soll derwegen billich auffgehalten werden / daß wir sehen / wie man vor unsrer Zeit gedeutschet hat / und was wir / Gottlob / dagegen zu rechnen für ein herlich Deutsch und Licht haben.

Sunt

Sunt autem hæc ipsa illa biblia, quæ nec in Augustana quidem bibliotheca habentur. Præfectus namque eidem V. C. *Georgius Fridericus Magnus*, in disquisitione de antiquis sacræ scripturæ versionibus Germanicis Augustæ excusis, cujus partem priorem anno 1690. exhibuit, ea se haud unquam vidisse fassus fuit. Provocant tamen ad ea *Waltherus*, * *Calovius*, ** *Mayerus*, *** quorum ille æque ac hic se eadem possidere testatur, nec pigratus est uterque, flosculos nonnullos hinc decerpere, e quibus de stylo in iisdem usurpato, deque fundamentis censuræ Selnecce-rianæ judicium ferre licebit. Qua occasione dicere simul decreveram de prima versione psalterii Germanica, a Luthero anno MDXXIV. vulgata, quam pro rarissima venditat, deque ea sequentia commentatur celeberrimus *Jo. Frid. Mayerus*: * *Dolendum non minus quam mirandum est, prioris illius interpretationis exempla omnia pene evanuisse, & incuria majorum nostrorum ferme intercidisse, & amissam esse illam, quam Lutherus in præfatione retineri optat versionem. Quare non paucorum desiderio commodisque gratificatus erat B. Franzius, qui ejusdem versionis legendæ cupidine se quoque non mediocriter flagrasse testatus est, libr. de interpret. scripturæ p. 34. si, postquam exemplum ejus ab amico nactus fuit, ut ipse in præf. illius lib. p. 53. refert, eandem, quod facere decreverat, recudi curasset. Quod vero a summo illo theologo ob alia negotia, vel nescio quibus impedimentis, fuit prætermissum, proxima, ut spero, occasione a me oportune fiet, exemplo illius primæ versionis Psalterii Germanicæ gratiose mihi concesso ex thesauro Serenissimi Brunsvicensium Ducis, RUDOLPHI AUGUSTI.* At enim vero utut libellum hunc pro cimelio quodam nostro semper habuerim, dicere tamen de eo plura nunc non attinet, posteaquam ille recusus jam tum fuit in Tomo operum Lutheri, quæ in Wittebergensibus, Jenensibus, Islebiensibus & Altenburgensibus locum nullum invenerunt, Halæ Magdeburgicæ hoc ipso anno impresso, ad quem L. B. remittimus.

* *Officin. Biblioc. p. m. 365.*

** *Præfat. ad Biblia Illustr. Vet. Test. p. 4. b.*

*** In *Dissertat. de versionibus Scriptura S. ante Lutheri translationem impressis, §. 8.*

* *In Historia versionis Germanicæ bibliorum Lutheri, cap. I. §. 11. pag. 11.*

Dabo adhuc trigam annotationum Selneccerianarum lectissimam, quarum duæ priores opera Thomæ Aquinatis, tertia Decretales pontificum respicit. De Thoma Aquinate duo hæc in diversis libris consignavit lemmata:

Continuum, sive aurea catena Thomæ Aquinatis in quatuor Evangelistas, labor & liber utilissimus, continens ἐνθυμήματα *præci-*

puorum Patrum sive Doctorum ecclesiæ, explicantium Evangelicam historiam, conscriptam ab Evangelistis.

Atque iterum alibi:

Hic liber de veritate Catholicæ fidei omnium fere, quos Thomas Aquinas scripsit, præcipuus & optimus est.

Decretalium autem compilationi impressæ Basileæ 1486. hoc præfixit distichon:

Pontificum liber hic nostris miscetur, ut inde
Lux pateat ductu facta, Luthere, tuo.

Non desunt tamen nobis ἀξιομνημόνευτα ab aliis etiam eruditis scripto suppeditata, e quibus allegare juvabit, quæ *Georgius Wirth*, medicinæ doctor quondam & practicus in urbe nostra felicissimus, editioni Alcorani Latinæ a Theodoro Bibliandro curatæ, & anno 1550. impressæ, præmisit, dum eandem bibliothecæ Thomanæ isthoc cum monito consecravit:

Hoc mendax & blasphemum opus, quod diabolus per sceleratissimi latronis, Machometis, & blasphemi ac damnati hæretici, Sergii, organorum ejus, sceleratum, impudentissimum & blasphemum os evomuit, in quod omne diabolicum suum virus contra sanctam Trinitatem, personam, officium & majestatem JEsu Christi, unici Salvatoris mundi, Prophetarum & Apostolorum scripta & Spiritus Sancti oracula congessit, ego, Georgius Wirth, medicinæ doctor, huic bibliothecæ Lipsiensi ad S. Thomam adjungere volui, ut ministri ecclesiæ verbo domini instructi hoc legentes occasionem habeant refutandi, ubi opus erit, has blasphemias, & rogandi S. Trinitatem, ut ipsos & auditores suos super doctrinam Prophetarum & Apostolorum ædificatos ab his diabolicis blasphemiis propter mortem unigeniti custodiat, & autores hujus libri cum approbatoribus velociter & æternaliter in adventu JEsu Christi perdat, amen.

Et quid impedit, quo minus illud etiam in medium proferam judicium, quod de operibus Thomæ a Kempis tulit *Michael Stifelius?* Satis abundeque, credo, notum est cuivis, quanto hic Kempisius in pretio alias habeatur, id quod vel ex libris ejus de imitatione Christi toties impressis atque in tot linguas transfusis * colligas. Stifelius vicissim plurimum fermenti in operibus ab ipso scriptis reperiri observat, dum eorundem editioni

* Conf. Tenzel. *Colloqu. menstr. an. 1693. p. 212. sq.*

tioni a Jodoco Badio Aſcenſio anno 1520. curatæ ſub titulo: *Opera Thomæ a Campis, cognomento Malleoli, viri pientiſſimi & religioſiſſimi ſub canone divi patris Auguſtini, aucta & diligentius recognita, ſuaque ſerie repoſita*, ſequentem addidit epicriſin:

Librum hunc operum Thomæ Malleoli legi ad integrum ſemel, atque ita legi, ut nunquam amplius eum ad integrum legere cupiam, cum ea, quæ mihi videbantur utilia eſſe, tanquam moralia bona, inter legendum ſignaverim omnia. Itaque præter ea, quæ ſignavi, nihil aliud a modo legam, cum ſint Papiſtica & a doctrina pietatis aliena. Filii Agar ſecundum Paulum ad Gal. 4. ejiciendi ſunt e domo, id eſt, damnandi. Sunt autem Agareni omnes illi, qui remiſſionem peccatorum & vitam æternam mereri ſummo etiam labore ac ſtudio conantur. Præmonuit nos S. Paulus in epiſtola ad Col. 2. prædixitque, ut futuri eſſent, qui in humilitate & religione angelorum ambularent, nihilominus deciperent & deciperentur. &c. Dieſe Leute haben nicht anders gewiſt von Chriſto / denn daß er ſey ein zorniger Richter / des Zorn man müſte verſöhnen mit Uberwindung der böſen Luſt und böſen Neigung / mit guten Wercken und heiligen Leben / ob ſie ihn ſchon genennet haben den ſüſſen JEſum und barmhertzigen HErrn / alſo haben ſie ſich ſelbſt betrogen / und andre mehr mit ihnen / und haben geſagt / man müſſe GOttes Gnade verdienen / und durch Fürbitt der Heiligen erlangen. Das heiſſet nicht allein ſchändlich gelogen / und die armen Gewiſſen betrogen / ſondern auch GOttes Gnad auffs höchſte geſchändet / und den Tod Chriſti mit allen ſeinen Wolthaten verleugnet / das Evangelium geläſtert / den Glauben vertilget / und an ſeiner ſtatt des End-Chriſts Greuel auffgericht. Summa / wir können uns ſelbſt nicht helffen. Aber Chriſtus hat uns geholffen / und durch ſich ſelbſt gethan / was wir ſchuldig ſeyn. Er hat gebüßt alle unſer Sünd / poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum. Er hat verdienet alles / alles / alles / was

was ich im Himmel habe und besitzen soll. Und diß ist die grosse Ehr / die ihm allein gantz und gar zugehöret. Derselbige liebe Vater und HERR Christus gebe / daß wir ihm solche Ehr gantz und gar lauter und rein lassen und bekennen / und mit Mund und rechten gantzen Hertzen ihn loben und ihm singen: Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.

Sed dum ita ad MICHAELEM STIFELIUM me delatum sentio, plura mihi dicenda incumbunt de quodam illius opere, quod manuscriptum in bibliotheca nostra Thomana asservatur. Equidem si pretiosa, quæ nobis suppetunt, singula recensere vellem, nec prætereunda esset *ecclesiarum Saxonicarum confessio*, eum in finem conscripta, ut in concilio Tridentino exhiberetur, cujus originale, quod vocari suevit, apud nos reconditum est. Juvat de hoc scripto audire *Jo. Schleidanum* hæc enarrantem: * *Quia Cæsar sedulo hortabatur ordines Imperii, ut ad Calendas Maji in concilio Tridentino comparerent, Argentinenses cæteris civitatibus vigilantiores & animosiores, quid vicini, quid etiam longinquiores in eo facere constituissent? missis internunciis exquirebant. Et Mauritius quidem Philippo Melanchthoni mandarat, ut doctrinæ capita conscriberet, quæ post exhiberentur publice. Eo confecto libro, cum ad octavum Julii diem Lipsiæ convenissent omnes Theologi & ecclesiæ Ministri jussu Principis, recitatur scriptum & omnium assensu comprobatur. Eandem quoque rationem Princeps Christophorus Wirtenbergicus instituit, & autore Brentio conscribitur ejusdem generis libellus. Et licet eadem erat utriusque scripti sententia, separatim tamen suum volebat exhiberi Mauricius, ne, si plures idem communi nomine simul proposuissent, Cæsar facta cujusdam societatis conciperet suspicionem. Veruntamen missis utrobique libellis & Saxonicum Wirtembergenses, & Wirtembergicum Saxones, & utrumque pariter Argentinenses Theologi, cum legissent, approbarunt; atque ita convenit, ut suo tempore mitterentur in concilium, qui hæc proponerent atque defenderent.* Sed caruit hæc res eventu exoptato. Utut enim Wolfgangus Colerus & Leonhardus Badehornius, Mauricii, Electoris Saxoniæ, orator patribus Tridentinis de hac confessione plura exposuerint, ac

* De *statu relig. & Reipub. lib. XXII.*

affore etiam promiſerint Theologos eandem defenſuros; utut etiam Theologi cum Philippo Melanchthone in itinere ad urbem Tridentinam jam Norimbergam usque proceſſerint, prægnantibus tamen de cauſis re infecta domum revocati ac reverſi ſunt, id quod uberius apud *Petrum Suavem* * & *Lucam Oſiandrum*, * plures ne allegem, declaratum vide. Iſtius interim confeſſionis exemplar manuſcriptum ex liberalitate Selnecceri poſſidemus, cui tot Theologi ac Viri alias celeberrimi huc Lipſiam idcirco evocati (quanquam & Wittebergæ Paſtores vicinos convenisse ſubſcriptio doceat,) nomina ſua appoſuerunt, Johannes puta Bugenhagius, Pomeranus, Jo. Pfeffingerus, Eraſmus Sarcerius, Wolfgangus Pfentnerus, Caſpar Zeunerus, Daniel Greſerus, Antonius Lauterbachius, Nicolaus Picus, Georgius Hala, Jo. Schreinerus, Auguſtinus Hymmel, Jacobus Weigandt, Jo. Buchnerus, Jo. Rotilius, Jo. Voitlender, Jacobus Klappius, Georgius Mohr, Martinus Wolfius, Val. Braun, Sebaſt. Froſchelius, Lucas Hezerus, Alex. Aleſius, Scotus, Bernardus Zieglerus, Nic. Herco, Georgius Zeclerus, Joh. Mencelius, Joachimus Camerarius, Jo. Forſterus, Georgius Major, Philippus Melanchthon, Paulus Eberus. Non equidem ignoro, typis impreſſum extare ſcriptum hoc, ſub rubrica: *Confeſſio doctrinæ Saxonicarum eccleſiarum, ſcripta anno Domini M. D. LI. ut Synodo Tridentinæ exhiberetur, Lipſiæ, in officina Val. Papæ, A. 1553.* Atque hic libellus, ſatis cæteroquin rarus, in noſtra quoque bibliotheca a me repertus eſt. Præterea & in operibus *Philippi Melanchthonis*, * quo autore in chartam conjectus fuit, is omnino legitur. At nihiloſecius jucundum arbitror, inſpicere hoc antiquitatis monumentum, & cognoſcere literarum ductus, quos Theologi & Profeſſores modo nominati formare in ſcribendo conſueverunt, atque eam ob rem ſilentio iſtud opus penitus involvere haud conſultum duxi.

* *Hiſtor. Concil. Trident. lib. IV. p. 539. 621. 629. Edit. noviſſ. Lipſ.*

* *Epitom. Hiſtor. Eccl. Cent. XVI. lib. III. cap. 3. ſ.*

* *Tomo I. fol. 121. ſeqq.*

Diutius tamen circa opus Stifelii commorandum mihi eſſe videtur, & Michaëlis quidem, non *Eſaiæ*, fanatici illius longe notiſſimi, (cujus prænomen cum Michaëlis noſtri haud obſcure confundit compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gothanum,) hic enim ad ſeculum proxime elapſum decimum ſeptimum referendus eſt, cum prior ille ſeculo decimoſexto currente obierit.

erit. Videantur tamen de Esaia Stifelio præter alios *Augustus Pfeifferus*, ** *Johannes Werberus* * & *Valentinus Ernestus Læscherus* ** Michaël vero noster album magis promeretur calculum, utpote qui & genitorem habuit *Conradum Stifelium*, Papisticæ tyrannidis ac superstitionis ipso in Papatu quammaxime pertæsum, & ipse veritatem Evangelii palam amplexus est. De Patre ejus, *Conrado*, ita refert *Matthias Flaccius*: *** *Sæpe testatus est, brevi futuram violentam sacrificorum reformationem. Et pro suo erga impietatem & impuritatem sacrificorum odio quendam suum amicum & vicinum, nomine Petrum Pirerum, oravit, ut, quandoquidem se mortuo ipse esset certo usque ad ea tempora victurus, quibus dudum prædicta sacrificorum cædes fieret, velit unum seorsim in sui gratiam interficere præter illos, quos sua sponte propriove nomine esset interfecturus.* Filius autem altius ascendit, & inter amicos Lutheri optimos connumerari meruit, qua de re tot Lutheri ad ipsum epistolæ testimonium perhibent, quæ non apud *Joannem Aurifabrum* solum, * sed & in novissimo epistolarum Lutheri supplemento cum dissertatione præliminari eruditissimi Viri, *Jo. Francisci Buddei*, edito * leguntur. Equidem non juvat heic dissimulare, quod in errorem satis infelicem prolapsus aliquando fuerit Stifelius, cum nempe auditores suos, quorum Pastorem tunc Lochaviæ agebat, de die extremo ad annum MDXXXIII. die Lucæ seu XVIII. Octobr. expectando jussit esse quam certissimos. Sed agnovit postea errorem suum, eundemque lubens, monitus & imprimis a Luthero, deposuit. Equidem num hic fortassis alius sit ab illo, de quo heic agitur, Stifelio? nescire se profitetur *Adrianus Baierus*, ** ac suam hac de re dubitationem (quam ego certe supervacaneam existimaverim,) hoc disticho exprimit:

An sit hic, extrema quem divinatio lucis
Famosum fecit? dicere non habeo.

Jenæ tamen ipsum ante solennem academiæ inaugurationem Arithmeticæ egisse Professorem innuit, & factum postea memorat ecclesiæ illius urbis Diaconum, anno, quoque 1559. sub Joanne Stigelio, Rectore tunc Magnifico, his eum verbis matriculæ inscriptum narrat: *Michaël Stieffel, Senex, artium magister & minister verbi divini.* Mortuum eum accepimus, cum annum attigisset ætatis LXXX, die decimonono Aprilis, anno MDLXVII.

Vide

** *Anti-Chiliasm.* p. 27 & 61.
* *In Censura Stifelianismi.* Erfurti, 1624. edita.
** Im Alten und Neuen / anno 1701. p. 362.
*** *Catal. Testium veritat.* p. 583. edit. Argenorat. anno 1562.
* *Tom. II. Epist. Lutheri* p. 94. & alibi.
* *p.* 59. 92. 106. 199. quo postremo in loco *de cerasis in horto ejus visitandis* familiariter jocatur.
** *In Syllabo Rector. & Profess. Jenens.* p. 516. adde p. 956.

Vide plura de eo commentantes *Buchholzerum*, *Crügerum*, *Lundorpium*, *Vossium*, *Quenstedtium*, & alios, quos magno numero citatos sistit incomparabilis *Jacobus Thomasius.* *

** Additionibus ad Meelführers Historisches spruchbuch/ p. 895. s.*

Neque minimam fuisse oportet Selnecceri cum ipso familiaritatem. Istum enim librorum suorum, si non omnium, certe aliquorum & sibi forsan charissimorum, hæredem esse jussit Stifelius, id quod haud obscure colligimus exin, quod duo volumina manu ipsiusmet scripta bibliothecæ Thomanæ Selneccerus vicissim dono dedit, qui & exteriori involucro hæc inscripsit:

Explicationem Apocalypseos D. Johannis scriptam a Reverendo V. D. M. MICHAELE STIFELIO, THEOLOGO, ARITHMETICO CELEBERRIMO, mihi testamento ejus legatam (& manu ipsius propria exaratam) consecro & dono templo Thomiano 1580.

Nicolaus Selneccerus D.
Superintendens.

Atque hæc Apocalypseos explicatio lubentiori certe animo ab ipso procul dubio suscepta est, posteaquam libri hujus lectione a vita monastica & religione Pontificia deterritum se ipsemet fatetur. * Scripsit autem eam Germanico idiomate, & isto quidem tempore, quo in numerorum mysteriis pervestigandis non imprudenter scrupulosum amplius se gessit, quanquam & sub operis hujus finem numerorum in prophetia Danielis & Apocalypsi occurentium mira trajectio & computatio appareat. Sed missa hac, specimina potius alia ex Manuscripto nostro huc transferemus, verbis Stifelii propriis ubique consulto retentis, cum commentarium hunc nondum uspiam impressum prostare arbitremur.

* In der Wortredung anno 1553. edita A. 2. conf. Thomasium modo citatum.

De titulo & autoritate Apocalypseos statim ab initio acturus inter inscriptionem alienam & authenticam distinguit, ac de utraque ita differit:

Die Offenbahrung S. Johannis des Theologen: Aus diesem fremden Titul hat man das Wort: des Theologen/ ergriffen/ und darauß den Zweiffel gezogen/ ob dieses Buch sey beschrieben von S. Johanne/ dem Apostel und Evangelisten/ oder

von einem andern Heiligen dieses Namens? Gleich als ob dem lieben Apostel und Evangelisten Johanni dieser Titul eines Theologen nicht solte billicher beykommen / denn keinem Buchschreiber der gantzen Zeit des neuen Testaments.

Et quibusdam interjectis:

Darnach ist aus gesagtem Zweiffel entstanden ein anderer Zweiffel / ob auch diß Buch zu zehlen sey unter den Büchern der heiligen Schrifft? Aber wer kan wider der Menschen Zweiffeln? Aber wieder gedachten Zweiffel von diesem Buch will ich mich erstlich rüsten mit den Worten des rechten Tituls dieses Buchs / wie ihn der H. Apostel Johannes selbst hat gestellet / der also lautet: diß ist die Offenbarung JEsu Christi. Darf hier einer dazu sagen: nein? Er sey gleich / wer er wolle / so darff ichs doch warlich nicht wagen / die Hölle ist mir zu heiß. Ich thue es nicht leugnen. Denn ich habe deß keine Ursach. Weiß auch / daß niemands auff Erden redliche Ursach hätte.

De *modo loquendi Apostolo in Apocalypsi familiari* ita censet:

Das ist seine Weise / daß er gar fleissig setzet die Sprüche Christi mit welchen er ehret den Vater / als von dem es alles komme / auff diese Weise / wie es hie fället: Diese Offenbahrung habe ich Johannes gesehen und geschrieben. Sie kömmt aber her von JEsu Christo / der sie mir hat eröffnet / und hat sie empfangen von seinem Vater. Diß lautet doch eben gleich / wie dieser Spruch Christi: Das Wort / das ihr höret / ist nicht mein / sondern des Vaters / der mich gesandt hat. Item: die Worte / die ich zu euch rede / die rede ich nicht von mir selbst / der Vater aber / der in mir wohnet /

net / derselbige thut die Werck. Item; ich habe vollendet das Werck / das du mir gegeben hast / das ich thun soll. Item: ich hab deinen Namen offenbahret den Menschen / die du mir von der Welt gegeben hast. Sie waren dein / und du hast sie mir gegeben. Item viel andere Sprüche dergleichen.

De *omisso in nuncupatione libri septem Asiæ ecclesiis facta Apostoli titulo* hæc ejus mens est:

Daß er sich nicht nennet den Apostel / das thut er auch nicht in seiner Canonica, auch nicht zum Anfang seines Evangelii / nach niendart anderstwo. In seinem Evangelio nennet er sich den Jünger / den der HErr lieb hatte. Das kan er nicht vergessen / nemlich der lieblichen Freundligkeit des HErrn gegen ihn. Weil denn seine Weise also ist / sollen wir uns dieselbige nicht irren lassen / als ob derohalben müste dieser Johannes nicht seyn der Apostel und Evangelist / sonderlich / weil er sich sonst gnugsam giebt zu erkennen.

Ad verba cap. II. 5. hæc notat:

Und ist fürwar etwas grosses / das ihm gedrohet wird / das lautet meines Verstands also: wo du nicht Buß thust / und so fort fährest / wirstu die Gemeine (dir befohlen) sehr ärgern / daß sie sich auch werden versündigen / biß so lang / daß ich nicht mehr werde zusehen / sondern sie von mir stossen / wie 4. Reg. 17. Das soltu dich ja nicht theilhaftig machen. Er geht mit ihm um / wie man mit einem rohen Ey umgeht.

Satanæ thronum Apoc. II, 13. memoratum sic exponit:

Er nennt die weltliche Gewalt / wie sie zur selbigen Zeit stund / des Satans Stuhl zu Pergamon / weil

weil die abgöttisch war auff heidnisch Weiß/ und den Namen Christi lästert und verfolget / wie sie der Teufel führet. Denn sie soll seyn eine Dienerin Christi/ und nicht des Satans.

Duriuscula sunt, quæ occasione *Antipæ*, testis illius fidelis & incertæ ejus notitiæ in hunc modum queritur:

Das ist unter andern stücken der Straff über die Undanckbarkeit der Welt auch ein stück/ daß wir solcher heiligen Märtyrer Historj nicht mehr haben/ wie wir denn auch der lieben Apostel Historien nicht haben / ohn allein/ was wir durch Lucam haben in den Geschichten/ und haben an statt der andern Geschichten von den lieben Apostelnlauter Fabeln.

Addit tamen:

Ich rede hie nichts von Ecclesiastica historia tripartita, und ihres gleichen.

Et deinceps pergit:

Es wird aber dieser heiliger Mann Antipas gewesen seyn ein hertzlicher/ geschäfftiger und thätiger Mann unter den Heyden/ wie der liebe S. Stephan war unter den Jüden/ drum ihn auch ist gelohnet worden zu Pergamon unter den Heyden/ wie dem heiligen Stephano gelohnet wurd zu Jerusalem unter den Jüden. Und wie die Gläubigen sehr betrübt wurden über den Tod Stephani/ also sind auch ohn Zweiffel die Gläubigen zu Pergamon sehr bekümmert und betrübt worden über den Tod diß heiligen Antipä/ und sonderlich dieser liebe Bischoff/ deßhalben ihn Christus hie samt den andern also mit diesen Worten tröstet.

Doctrinam Balaam pro spurcitie Nicolaitarum accipit, dum scribit:

Wie

Wie die Kinder Israel mit leiblicher Unkeuschheit und Abgötterey GOtt sehr erzürneten/ Num. 25. also trieben diese Nicolaiten auch leiblich Unkeuschheit/ und lehreten/ wie ihr schändlich Leben GOtt wohlgefiehl/ machten also eine rechte Abgötterey drauß. Davon man lesen mag das 29. Capittel des dritten Buchs Ecclesiasticæ historiæ.

Missis aliis ad ejus meditationem de *viginti quatuor Senioribus* cap. IV, 4. prima vice introductis pergimus, de quibus ille ita scribit:

Daß diese Elteste nicht bedeuten eintzelige Personen/ sondern Hauffen und viel Versamlungen der Menschen/ ja/ die gantze Summe der Auserwehlten GOttes/ beweiset diese ihre Rede/ (unangesehen/ daß es seyn einzelige Personen einzeliger Engel gewesen/) unten Cap. 5. da sie sagen/ so sie für das Lamm niederfielen: Du bist erwürget und hast uns erkaufft mit deinem Blut aus allerley Geschlechten/ und Zungen/ und Volck/ und Heyden. Da müssen ja mehr/denn vier und zwanzig einzelige Menschen fürgebildet seyn. Item/ daß sie haben Rauchwerck/ das ist/ Gebet aller Heiligen/ Cap 5. Nun sind 24. so viel als 12. und 12. So haben wir/ daß in diesem Buch gedacht wird/ erstlich der 12. Patriarchen der 12. Stämme Israel/ unten Cap. 7. und der 12. Apostel/ als der 12. Väter oder Eltesten GOttes Volcks unter dem neuen Testament. Und nu aus beyderley Volck ein Volck worden ist/ ist es glaublich/ daß zu dieser bedeutung aus 12. und 12. worden sey 24. als eine Zahl/ daß also 24. Häupter bedeuten die Summam aller Auserwehlten Gottes.

Septem Spiritus versu 5. pro donis Spiritus sancti habet:

Von diesem Stück haben wir Esa. IX. Es wird eine Rüthe auffgehen vom Stamm Isai / und ein Zweig aus seiner Wurtzel Frucht bringen / auff welchen wird ruhen der Geist des HErrn / der Geist der Weißheit und des Verstands / der Geist des Raths und der Stärcke / der Geist der Erkäntniß und der Furcht des HErrn. Davon wir singen: Tu septiformis munere, Du bist mit Gaben siebenfalt. Item: Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium. Mit solchen Geistern oder geistlichen Gaben des heiligen Geists bekräfftiget GOtt das Predigamt seiner Gläubigen.

Mare vitrium pro Baptismi imagine agnoscit:

Von diesem Stück haben wir drunten cap. 15. und und ich sahe / als ein gläsern Meer mit Feuer gemengt. Und die den Sieg behalten hatten an dem Thier / stunden an dem gläsern Meer; das ist / sie hielten sich zu den heiligen Sacramenten Christi / wie denn gewißlich und ohn allen Zweifel das gläserne Meer bedeutet die heilige Tauffe auff beyden Orten / hie cap. 4. und dort cap. 15. wie wir den wissen / wie der Tauffe Christi wird Wasser und Feuer zugeeignet Joh. 3. Es sey denn / daß jemand aus Wasser und Geist gebohren werde / kan er nicht in das Reich GOttes kommen. Und Matth. 3. Er wird euch mit dem heiligen Geist und Feuer tauffen. Drum dort das gläserne Meer mit Feuer gemenget ist.

Ad *quatuor animalia* v. 6. introducta delatus ita censet:

Dieser Text ist nie von jemands anders verstanden worden / denn von denen heiligen vier Evangelisten. Das bezeugen biß auff den heutigen Tag aller Schrifften / die davon geschrieben haben / und alle Figu-

Figuren / die davon gemahlet sind und gebildet / auch bey uns. Und wie kan man auch eine eigentlichere und bessere Deutung geben oder finden / so man bedenckt und erkennet / wie diß gantze Gesicht dieses vierdten Capitels so gar deutlich das Wesen der gantzen Christenheit bezeichne. Denn wer wolt doch sagen dürffen bey uns Christen / daß die H. vier Evangelisten in ihren Schrifften ein müßig / vergeblich oder nichtig Ding seyn? Diese einige Betrachtung zwingt mich zu diesem Verstand / als zu einer ungezweiffelten Warheit.

Librum septem sigillis munitum & cap. V. 1. ostensum Apocalypsin Johannis ipsam esse dicit:

Bewehrlich ist / daß das Buch der sieben Sigillen sey das Buch / davon cap. I. im ersten Gesicht der HErr Befehl thut und spricht: Was du siehest / das schreib in ein Buch ꝛc.

Quæ his præmittuntur, ob laudem Lutheri merito notanda sunt:

Heinrich Bullinger hebt den lieben Luthero auff seine erste Vorrede über das Apokalypsin / daß ers für ein Buch hat gehalten / in welches er sich nicht hat können richten ꝛc. Aber man leß diß fünffte Capittel / so wird man die Ursach finden. Er selbst / Bullingerus / weiß nicht anders / denn er habs sehr wohl getroffen; spricht / es sey ein verständlich Buch / erzehlet viel / die er dazu gebraucht hab. Unter welchen er auch Thomam Aquinatem nennet / item Erasmum Roterod. Glossam ordinariam, und seiner Præceptoren etliche / so da sind gewesen Sacramentarii, welches alles ich hie in seinem Werth laß bleiben / ohn daß / so er Franciscum Petrarcham, der vor dem Jahr Christi 1350.

wider

wider den Pabst geschrieben / so köstlich macht (wie es Bullinger fürgiebt /) daß seine (des Petrarchæ) Schrifften weit übertreffen des Lutheri Schrifften. Antwort: Eine solche Red und Urtheil kan ein Sacramentarius leichtlich wider Lutherum zu wegen bringen bey den Seinen / die dem lieben Luthero die Ehr nicht geben / die ihm GOtt der HErr gegeben hat / nemlich die Ehre der Offenbarung des End-Christs. Dasselbige aber ist der Grund und die Zeit der gantzen Sach / davon dieser Bullinger nichts will wissen. Er führet auch viel andre Lehrer ein / so wieder den Pabst und seinen Hof geschrieben haben. Aber was haben diese alle gethan? Personalia und äuserlichen Pracht / Hoffart und Unzucht haben sie gestrafft und verdammt / und geschrieben / wie es das Wesen sey des endlichen Anti-Christs. Aber das rechte Hauptstück / die Verfälschung des gantzen Gottesdiensts samt der heiligen Schrifft haben sie uneröffnet gelassen. Von Meßhalten / Anbehten der verstorbenen Heiligen / und andern Greueln Päbstischer Beicht und Gnugthun ꝛc. Haben sie ja nicht gedacht. Ich geschweig des Artickels der Gerechtmachung / an dem es doch alles liegt / und unmüglich ist / daß ihn solt ein Sacramentarius recht gläuben und haben / oder ein andrer Schwermer im Glauben / deren jetzt ohne Zahl viel sind.

De duobus testibus cap. XI, 3. allegatis hæc ejus est sententia:

Daß dieser Text von diesen zweyen Zeugen Gottes solte eine gemeine Sache seyn von allen getreuen Predigern / so das Wort GOttes rein predigen / solte uns generalia fürhalten / und nicht specialia, ist des Buchs Weise gar nicht. Generalia in solchen

chen Dingen gehen mir wenig zu Hertzen / sie machen bey einem andern / was sie mögen. Und im Text stehen auch etliche Stücklein / die uns zwingen / dieses Capittel zu verstehen von zweyen sonderlichen Zeugen GOttes. Ist aber etwas schweres bey diesem Text / so erwarte man der Zeit/biß die Erfüllung vorüber ist/wie man in anderer Weissagungen Unverstand thun muß.

Et post interjecta pluscula:

Vor der Zeit der Offenbahrung des Antichrists hat man von diesen zweyen Zeugen GOttes nicht anders gehalten / denn daß es werden seyn die zween entzückten Knechte GOttes / Enoch und Elias, davon man viel gedichtet / geprediget / geschrieben und gesaget hat. Aber das auffgegangene Licht des Evangelii erleuchtet uns in vielen Stücken / von denen wir zur Zeit der Finsterniß nichts rechts urtheilen konten --- Danielis 12. wird zu verstehen gegeben / wie ein guter Theil herrlicher Prediger viel zur Gerechtigkeit unterweisen werden / welches anders nicht kan verstanden werden / denn von der Zeit Lutheri / oder der Offenbahrung des End-Christs / da die Kirche GOttes viel herrlicher Lichter hat gehabt / als die Stern des Firmaments / von denen man weit und breit wuste zu sagen / wie man die Stern allenthalben siehet. Siehe diese Summa der Lehrer kömmt zuletzt auff diese zween Zeugen / ob denen GOtt hält / wie der Text sagt. Es sind wol zu unsern Zeiten auch Prediger / die von ihnen selbst viel halten / aber was GOtt von ihnen halte / wird sein Tag zeigen.

Capitis undecimi versiculum decimum nonum: *tum apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca fœderis ejus in templo ejus &c.* ita in suo complemento sistit:

Wer kan doch unter dem geöffneten Evangelio diesen Text anders verstehen oder auslegen / denn daß hie der Himmel sey das Reich Christi hie auff Erden; und der Tempel GOttes sey sein liebes Völcklein/ wie Paulus sagt: Der Tempel GOttes ist heilig/ derselbige seyd ihr selbst / und vom Antichrist sagt er / daß er sitzen werde im Tempel GOttes; und die Archa seines Testaments sey sein heilig Evangelium / als die neue Archa seines neuen Bundes/ seines neuen Testaments / bestätiget im Blute seines geliebten Sohnes / JEsu Christi; und das Auffthuen des Tempels zu Ersehung der Archa sey die Offenbahrung beyde des Evangelii und des Antichrists / des Pabsts; und die Stimmen seyn die Predigten Lutheri / und anderer getreuen Mithelffer; und das Blitzen und Donnern sey das gewaltig Stürmen in das leidige Pabstthum / dem niemands hat wehren können / weder Pabst / noch Kayser / noch König / noch Fürsten / wer Miracula sucht oder fodert/der sehe hieher; und die Erdbebung seyn die schröcklichen Drohungen von allen Orten der Erden / das ist / von allen/ so diß Werck GOttes suchen zu dämpffen; und der grosse Hagel sey das Ungewitter so vielerley Schreibens wieder GOttes Wort und Werck dieser Offenbahrung / als da war das Schelten Sylvestri, Eckii, Catharini, Latomi &c. Welchem diese Auslegung nicht gefället / der gebe uns eine bessere.

De *filio masculo, qui pasturus erat omnes gentes virga ferrea* cap. XII, 6. hæc scribit:

Wie der vorgehende Text giebt den Handel Lutheri im Jahr 1517. also hat dieser Text hie den Handel Lutheri des Jahrs 1518. Denn hie kommt das Knäb-

Knäblein an das Licht / das den Mund darff auffthun und nu nicht allein den Ablaß tadeln / sondern den Pabst selbst und das Pabstthum / und da gehn erst recht einher die Mordstreiche / ja die Fehlstreiche der Disputation Eckii, der Bullen Leonis Decimi, der Legation und Händel Cardinalis Cajetani, der Legation mit der güldenen Rosen an Hertzog Friedrich / der Citation Lutheri gen Worms auff den Reichs-Tag für den Kayser Carolum &c. Da (sprech ich /) war der Sohn des Weibes fürhanden / und das Knäblein wuchs zu einem Mann / der die Heyden (eines unrichtigen verworrenen Glaubens) solte weiden mit der eisernen Ruthen / wie die Schrifft auch von Christo sagt / Psal. 2. reges eos in virga ferrea, mit dem eisernen Zepter / dem dem Evangelio / wie uns die Erfahrung den Verstand gegeben hat.

Quomodo notam illam pericopam capite duodecimo *de pugna & victoria Michaelis contra draconem* intellectam voluerit? satis capient, qui hæc ejus verba observaverint:

Weil der Streit eigentlich ist das Thun und Wesen der Offenbahrung des lautren Evangelii / und des Pabstthums / als des Reichs des Antichrists; müssen die Engel dieses Streits Christi seyn Lutherus / Pomeranus / und andere getreue Lehrer des reinen und lautern Evangelii Christi / und dagegen die Engel des Streits draconis müssen seyn Sylvester, Eckius, Emser, Cochlæus, und ihres gleichen. Diese bösen Engel stritten / aber sie siegeten nicht / denn der Streit war GOttes / und must nichts helffen / was Käyser / König / Pabst und Welt dawieder gedachten.

Sub initium capitis XIII. ita summatim ejus sensum indicat:

Oben in dem XII. Capitel haben wir gesehen die Offenbahrung des End-Christs / des Pabsts / zur Zeit des lieben Lutheri, mit wenigen daß seinem Leben solte nachfolgen. Nu aber in diesem folgenden XIII. Capitel werden wir lauter und allein haben solche Sachen / die künfftig seyn solten nach seinem Leben / wie wir sehen werden.

Imprimis autem multa ex hoc capite trahit ad librum *interim*, de quo inter alia sic fatur:

Man lese nur das interim, und sehe draus / was es für ein bild sey / und was man gethan hab / da man es hat angenommen / und was der heilige Senior für ein Gesell habe seyn müssen mit seinem rathen.

In margine adscriptum est nomen *Philippi*, nec dubium, quin per eundem seniorem *Melanchthonem* intelligat, cui & alibi parum se faventem exhibet.

Numerum 666. ad Papam Pium V. trahit, & modum suum calculandi latius exponit, quam ut heic eundem referre liceat.

In textu cap. XIV, 6, 7. non alium admittere vult, quam Lutherum, cujus concionis heic descriptæ contenta versiculis a Stifelio nostro inclusa fuerunt, quorum initium huc apponere haud pigrabor, una cum ipsius præfatione:

Solcher viererley Lehren summam habe ich vor etlichen Jahren / als A. Domini 1522. wollen celebriren / als ich noch im Clauster ein Mönch war / mit einem langen Lied / das will ich itzt verkürtzet wiederholen:

Johannes thut uns schreiben
Von einem Engel klar /
Der GOttes Wort soll treiben
Gantz lauter offenbahr;
GOtts Wort er rein absenget /
Kein Wust läst er daran /
Sein Feind hat er geschweiget /
Die ihn hart renuten an.

Sein

Sein Stimm die thut stärcken
Ohn alles trügen frey/
HErr/ gieb/ daß ich mag mercken/
Was dieser Engel schrey!
Zum ersten thut mich schrecken/
Sein Lern'n/ was Adam sey/
Das Gsetz thut er entdecken/
Groß Furcht erwächst dabey.
Das Gsetz dem Menschen boldert/
Es ist den Wercken gfähr/
Den Geist es tieff erfordert/
Als ob er selig wär.
Dieß Ziel hat GOtt gestecket/
Zu dem ich kommen muß
Gantz lauter unbeflecket/
Dafür hilfft mich kein Buß.
Zum andern lehrt er eben/
Mit Schrifften klar bestimt/
Daß man GOtt Ehr soll geben/
Denn sie kein'n andern ziemt/
Weil unser geistlich Leben
In Christo ist gegründ't/
Wie in dem Stock die Reben/
Drauß Ungnad alles bind't. &c.

Angelum, qui secutus fuisse priorem versiculo 8. dicitur, pro Matthia Flacio, Illyrico habet, & de eo ita scribit:

Die Nothwendigkeit dieses andern Engels soll uns billich bekannt seyn aus der fürfallenden Noth der Christenheit/ die herfür bracht/ so bald der erste Engel das Haupt legete. Demselbigen solte bald folgen dieser andere Engel/ wieder die fürgefallene Noth. Als nun aus Furcht des Kaysers jederman nur mummelt/ und niemands das Maul durfft

rechtschaffen auffthun / unsere Gelehrten zu Wittenberg (auff die jederman sahe /) hielten / als die an GOttes Hülff verzagten / erweckt ihnen GOtt zu Trotz einen undeutschen Mann / der uns wacker machte / und gieng zu / wie zur Zeit Christi / da die Schrifftgelehrten nicht wolten / das sie solten / erweckte GOtt an ihrer statt die Kinder / von denen Christus saget. Denn dieser Mann / Illyricus, schrieb büchlein / die zur Sach dieneten wieder das Interim. Eins hieß Wahremund. Eines hieß Lauterwahr. Eines Henetus. Eines des Azariæ. Diese alle ließ er ausgehen / da sonst niemands wieder das Interim durfft mucken / und wurden dennoch viel frommer Männer erwecket und erkecket / die darnach auch ihr bestes dazu thaten. Ich zwar weiß auff den heutigen Tag keine Person zu nennen / die billiger in diesem handel den Namen führe des andern Engels / denn diesen Illyricum. Und das weiß GOtt / daß / nachdem ich gedachte Büchlein bekam / und erfuhr / daß er sie gemacht hätte / keine Ruhe hatte / biß mir der Mann zu sehen war / das geschah zu Coswig, an einem Tisch voll seiner Freund. Und als er mir gezeiget ward / weiß GOtt der HErre / und er selbst / und alle / die zu Tisch sassen / wie sich mein Ernst bewiese wieder meinen Willen / denn ich liesse mich bedüncken / ich sähe einen andern Lutherum. Was sich aber hernach hat zugetragen mit mir und ihm / und den seinen / das sey dem jetzt gesagten Handel unschädlich.

Apoc. XV, 4. ad verba: *quia solus sanctus es*, hunc sensum notat:

Ach HErr / dieser Pabst Pius ist doch ja nicht pius, sondern du HErr allein bist pius. Hie ist Nam und That warhafftig / dort ist Nam und That wider-

widersinnig / und wird Nam und Persona gezwiefacht.

De *millennio* cap. XX. ejusque initio ac fine hæc ex manuscripto nostro damus:

Daß etliche die tausend Jahr anfangen zu rechnen von der Zeit / da diß Buch ist geschrieben / das ist / von der Zeit Johannis Apostoli & Evangelistæ, kan nicht bestehen. = = Die tausend Jahr sollen ausgehen hart vor dem jüngsten Tag / oder eine kurtze Zeit zuvor / sonst wäre er nicht so eben vermengt worden unter den Handel der tausend Jahr.

Deinceps ad verba: *qui vixerunt & regnarunt cum Christo mille annos*, ita disserit:

Hier ist eine Synechdoche gleichwie Matthæi 12. da Christus spricht: wie Jonas war drey Tage und drey Nacht im Bauche des Wallfisches; also wird des Menschen Sohn drey Tag und drey Nacht in der Mitte der Erde seyn. Drum ob gleich diese aufferweckte und lebendig gemachte (von denen hie die Rede ist /) nur das letzte Theil dieser tausend Jahre erlangen / so bleibet dennoch dieser Text recht und wahrhafft von ihnen / daß sie mit Christo leben und regieren die tausend Jahr / das ist / sie leben mit ihm und regieren in denen tausend Jahren / ehe dieselbigen tausend Jahr ausgehen und ihr Ende gewinnen. Und also kommen wir aus Erkäntniß des Endes dieser tausend Jahr zur Erkäntniß ihres Anfanges. Und haben wir nicht ein gering Zeugniß und Wahrzeichen von ihrem rechnen hinter sich / das ist / vom Ausgange der tausend Jahre gegen ihren Anfang. Deß nehme einer diß mein Gleichniß oder Exemplum: wenn ich anfange zu rechnen vom Jahr 1560. (pono casum,) gegen den Anfang der tausend Jahr / so komme

me ich auff das Jahr von der Geburth Christi 560. Da mag man die historias lesen von diesen Zeiten/was der Teuffel habe fürgehabt wider die Christen zur selbigen Zeit.

Primam resurrectionem sic delineat:

In diese Aufferstehung gehören alle Menschen / die vor der gemeinen Aufferstehung am Jüngsten Tage werden zum ewigen Leben aufferwecket. Und giebt der Text eigentlich / daß nicht allein wieder lebendig worden seyn die / von denen der Evangelist schreibet / sondern auch die, von denen Lutherus und Ambrosius geschrieben haben / und daß diese Aufferweckung geschehe durch die gantze Zeit des Neuen Testaments biß auff den Jüngsten Tag / weil er gedenckt derer / die hart vor den Jüngsten Tag erwecket werden / zum Leben / als die das Mahlzeichen des Thieres nicht haben wollen annehmen / zur Anzeigung / daß Christus allezeit seiner Geliebten etliche habe bey sich im Himmel haben wollen / und Freud mit ihnen haben. Und wie wäre Ihm / wenn Lutherus auch derselbigen einer jetzt wäre?

Gog & Magog Turcas & Moscovitas esse conjicit:

Gog und Magog sind vielleicht die Türcken und Moscoviter.

Sed desinendum est, ne librum integrum describere velle videar. Hæc ergo in gustum velut aliquem Lectori Benevolo propinasse suffecerit, quandoquidem exinde jam satis constare arbitror, non contemnendum esse, quod possidemus manuscriptum Stifelii. Unicum superest, quod præterire non possum, cum ad illustrandam temporum superiorum historiam faciat. Objectum nempe fuerat Stifelio ab iis, qui partes tuebantur Matthiæ Flacii, ac si Antinomorum se præberet asseclam. Istam vero notam sibi inuri minime passurus, peculiari, in scripto innocentiam suam exposuit Serenissimo Principi, JOHANNI FRIDERICO, Saxoniæ Duci, in quo statim ab initio hæc verba leguntur:

Durch-

Durchlauchtiger / Hochgebohrner Fürst / Gnädiger Herr /

Ich alter schwacher Mann werde sehr beschwert von denen vier Professorn der Theologien, Musæo, Illyrico, Wigando und Judice. Geben mir schuld / ich sey ein Antinomer, Gesetz-Schänder / (wie sie es verdeutschen /) des mich GOtt der HErr unschuldig weiß. Wo ich nu des schrecklichen Irrthums würde überwiesen / soll man meines Alters nicht verschonen / sondern über mich gehen lassen meine verdiente Straffe. Wo ich aber nicht werde überwiesen / wollen E. F. G. mit diesen hochmüthigen Leuten verschaffen / daß ich Fried vor ihnen mög haben. Ihr ist vier / so bin ich allein / und ist jeder unter ihnen viel listiger und geschwinder / denn ich / als der ich jetzt auff der Grube gehe. Hab viel Stichelns von der Cantzel jetzt eine lange Zeit von ihnen müssen erfahren / und ist des Stichelns noch biß auff den heutigen Tag kein Auffhören. Sie haben mir des vergangenen Jahres eine Schrifft gestellet voller grober Irrthum / damit ich von ihnen wohl geplaget ward / deren Confutation ich zuletzt gen Hoff ließ gelangen / in Hoffnung / diese unsere Sach solte erkennet werden / welches biß anhero nicht geschehen. So denn jetzt das Christlich und wohlbedacht Consistorium durch E. F. G. ist auffgericht / hab ich diese Gelegenheit nicht wissen zu versäumen / denn sonst hätt ich wohl mein Lebenlang müssen schweigen / und grosses Unrecht leyden.

Latius deinceps causam suam defendit, & scriptum istud se concepisse testatur Jenæ anno M D LXI. die Laurentii. Quin & duplex aliud composuit, alterum Germanicum Latinumque alterum, in quorum utroque Flacianorum errores detectos atque refuta-

futatos dare allaborat. Singula vero ista digressionis loco commentario huic suo ad caput nonum inseruit, & eodem, quo apologiam, quam dixi, in aulam principalem transmiserit, anno istum quoque scriptum & ad nonum usque caput continuatum fuisse indicavit. Unde colligo, cum paucis annis post e vivis Stifelius excesserit, non potuisse ipsum luci publicæ committere hoc opus, quod tamen sibi soli haudquaquam scripsisse videtur. Equidem interiorem faciem involucri, quo tectum est volumen ejus secundum, aliquando inspiciens, præter alia & hoc monitū adscriptum deprehendi: Laß diß Buch nicht aus deiner Hand! quibus verbis insuper præmiserat hæc, licet postmodum rursus deleta: bey leibe! Quem vero istum in modum alloquatur, aut quo de libro ipsi sermo sit, aut quid monitum istud sibi velit? me divinando assequi vix posse fateor. Non interim peccavi, credo, in Stifelianos manes, quod post elapsos demum annos CXXX. atque amplius hos labores in lucem protraxi. Certe enim præstat, Autoris ita memoriam refricare, quam committere, ut cum situ & squalore liber ejus haud inutilis porro colluctetur.

Atque nunc manum removendam arbitror a tabula. Dabunt istud cordati lectores pio meo in Thomanum templum, imo & in urbis patriæ literariam historiam affectui, & schediasma hoc æqui bonique consulent. Ego interim animitus precor, absit a sacra hac librorum supellectile durum quodque fatum, quale bibliothecas sæpe illustres mansit, igne imprimis ad earum forulos non raro perreptante, & tot præclarissimorum ingeniorum monumenta brevi tempore miserandum in modum absumente, quod, ut publicas Alexandrinam, Capitolinam, Constantinopolitanam, Scorialensem, aliasque taceamus, privatæ etiam illi, sed locupletissime, *Thomæ Bartholini*, contingit. * Absit rapax manus, quæ belli imprimis ac turbarum publicarum tempore alias subinde dissipavit, ceu *Stephani Durantii* supellex libraria experta fuit. ** Crescat econtra & in annos singulos plurimum augeatur apparatus a laudabili maximam partem liberalitate profectus. Nec desint, qui eodem utantur cum fructu Ecclesiæ insigni, docentes in hac æde Deo consecrata divini verbi Ministri, usquedum post apertos, quos Johannes conspexit, libros istud ingressi fuerimus sacrarium, in quo sine libris beati omnes æternum vocari merebuntur Doctissimi.

* Conf. ejus de *bibliotheca incendio* dissertationem ad Filios. Hafniæ a. 1670. editam.

** Thuanus *lib. XIV.* ab init.

S. D. G.

Exhibet altera hæc acceſſio tractatus ſequentes:

INDEX CAPITUM

libri Lomeieri de Bibliothecis.

INDEX

rerum & autorum

A.

Poëta.

quare

Casto-

D.

Hein-

Fre-

Nobi-